Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Innocent Ciron de Paul Josef Riegger von Conrad Ignatius Lützow de

Paratitla ... In ... Libros Decretalium Gregorii IX.

[4-5] : Innocentii Cironii Iuris Utriusque Professoris, Canonici, Et Ecclesiae Ac Academiae Tolosanae Cancellarii Paratitla In Duos Posteriores Libros Decretalium Gregorii IX. Et Observationes Iuris Canonici In Quinque Libros Digestae ...

Vindobonae: Trattner, [1761]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219

Band (Druck) Freier Zugang

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0003
DFG

~~XX XII. V. 16.~~

~~J. C.~~
~~29. 5.~~

J. b. — 1016. (2).

8863

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn817465219/phys_0004
DFG

INNOCENTII CIRONII

IVRIS VTRIVSQVE PROFESSORIS, CANONICI, ET ECCLESIAE, AC ACADEMIAE TOLOSANAE CANCELLARII

PARATITLA

IN DVOS POSTERIORES LIBROS

DECRETALIVM

GREGORII IX.

ET

OBSERVATIONES

IVRIS CANONICI

IN QVINQVE LIBROS DIGESTAE.

QVVM

SVB SACRATISSIMIS AVSPICIIS

ROMANORVM IMPERATRICIS

MARIAE THERESIAE

HVNGARIAE ET BOHEMIAE REGINAE

APOSTOLICAE, &c.

IN DVCALI SABAVDICA NOBILIVM ACADEMIA

PRAESIDE

PAVLO IOSEPHO RIEGGER IC.

CAES. REG. APOST. MAI. A CONSIL. AVLICIS,

SS. CANONVM PROFESSORE P. ET O.

SELECTAS EX VNIVERSO IVRE POSITIONES

PROPVGNARET

ILLVSTRISSIMVS DOMINVS

CONRADVS IGNATIVS L. B. DE LÜTZOW

MEGAPOLITANVS.

DIE MENSIS OCTOBRIS MDCCLXI.

VINDOBONAE,

TYPIS IOANNIS THOMAE TRATTNER, CAES. REG. ET APOST. MAI. AVL. NEC NON INCL. ORDINVM INFER. AVSTR. TYPOGR. ET BIBLIOP.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0007

DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn817465219/phys_0008
DFG

SACRATISSIMAE, AVGVSTISSIMAE,
GLORIOSISSIMAE

MARIAE

THERESIAE

ROMANORVM IMPERATRICI,
HVNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE,
CROATIAE, SCLAVONIAE, BOSNIAE, RAMAE,
SERVIAE, GALLITIAE, BVLGARIAE, CVMANIAE,
LODOMERIAE
REGINAE APOSTOLICAE,
ARCHIDVCI AVSTRIAE,

DVCI

BVRGVNDIAE, BRABANTIAE, MEDIOLANI,
STYRIAE, CARINTHIAE, CARNIOLAE, MANTVAE
PARMAE, PLACENTIAE, LIMBVRGI, LVXEMBVRGI, GEL-
DRIAE, WVRTEMBERGIAE, ET VTRIVSQVE SILESIAE,

PRINCIPI

SERVIAE, ET TRANSILVANIAE,

MARCHIONI

S. R. IMPERII BVRGOVIAE, MORAVIAE, SVPERIO-
RIS ET INFERIORIS LVSATIAE,

COMITI

HABSPVRGI, FLANDRIAE, TYROLIS, FERRETIS, KIBVRGI,
GORITIAE, GRADISCAE, ARTESIAE, ET NAMVRTIAE,

LANDGRAVIAE

ALSATIAE,

DOMINAE

MARCHIAE SCLAVONICAE, PORTVS NAONIS, SALINARVM,
MECHLINIAE, &c.

DOMINAE DOMINAE

CLEMENTISSIMAE,

D. D. D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0009
DFG

Ex Bibliotheca Academiae Francofurtensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0010
DFG

AVGVSTISSIMA

IMPERATRIX, DOMINA DOMINA CLEMENTISSIMA!

Quamquam cum accedendum mihi ad TE *est* IMPERATRIX AVGVSTISSIMA, *imperium ac maiestas animum magnopere percellant: tamen quam vultu oculisque spiras, clementia eundem erigit, mirificeque confirmat. Quapropter & illud ipsum, quod immortali* TVO *mihi beneficio concessisti, vt cum exacta iusti & aequi disciplina studiorum meorum rationem publice reddendam putarem, id* TE *auspice,* TE*que iudice facerem; illud inquam ipsum praeter spem arduum ac pene ne audendum quidem videretur, nisi & hanc rerum vndique amplitudinem & hunc insuetum loci splendorem leniſſimus* TVVS *mititissimusque nutus temperaret. Quid igitur? Macte animo. Inibo certamen* IMPERATRIX AV-

GV-

GVSTISSIMA *auſpiciis* TVIS, *hoc eſt, ſecundis: obiiciam vires periculo*, TE *iudice, iuſtiſſima certe, ſed clemente. Verumtamen antequam id facio, inſcribo*, AVGVSTAE *nomen libro huic, arenae nempe, in qua depugnabitur: de qua nullo aeuo defluxum eſt, quia* TVVM *eſt, ſolennique ritu eum dedico,* TVVM*que Numen precor, velit certanti adeſſe, viresque ſufficere, & iter gloriae commonſtrare. Eat per vniuerſum qua latepatet orbem teſtis* TVAE *in me beneuolentiae, teſtis* TVORVM *in vniuerſas literas beneficiorum. Celebretur a diſertiſſimis ingeniis, & per omnium eruditorum ſermones vagetur, celebretur a poſteris, omnique memoria ſit diuturnior: non quod ipſe aut ingenio aut induſtria ad celebritatem aeternitatemque ſit elaboratus, ſed quod* TE AVGVSTA *! fronte gerat, factis virtuteque immortalem.*

Pro-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0012
DFG

Proroget TIBI *Deus Optimus Maximus imperium, quantumque homini licet, perenne reddat, proroget tibi aetatem in ſera tempora placidam beatamque: facies* TV, *vt caeteris quoque, quos* TVOS *habes, quibusque imperas, perpetua ſua ſit felicitas; facies tandem, vt cum* TVA *in omnem rem literariam maxima iam notiſſimaque ſint merita, poſtea fidem etiam ſuperent, ipſaeque literae, quidquid ſplendoris habiturae ſint,* TIBI *ex aſſe debere videantur.*

AVGVSTISSIMAE
MAIESTATIS TVAE

Clientum infimus
CONRADVS IGNATIVS
L. B. DE LÜTZOW

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0013
DFG

POSITIONES

EX

VNIVERSO IVRE

PVBLICAE PERICLITATIONI EXPOSITAE
DATA CVILIBET FACVLTATE OPPONENDI.

EX IVRE NATVRAE.

I.

Dantur leges naturales toti humano generi per dictamen rectae rationis promulgatae nullique mutationi aut dispensationi obnoxiae.

II.

Licitum est vitae membrorum, & bonorum aggressorem etiam cum illius occisione, seruato tamen moderamine inculpatae tutelae, repellere.

III.

In extrema necessitate licet alteri rem auferre cum obligatione tamen damni reparandi.

IV.

Promissio turpis etiam patrato delicto nullam producit obligationem, quamuis solutum ex turpi causa repeti nequeat.

V.

Successiones ex testamento & ab intestato fundamentum habent in iure naturae.

)(VI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0015
DFG

VI.

Matrimonium non est naturaliter indissolubile, nec eius fini repugnat absolute polygynecia, sed polyandria.

EX IVRE CIVILI.

VII.

Periculum & commodum rei in specie venditae ante traditionem in regula pertinet ad emptorem.

VIII.

Exceptio priuilegiata non numeratae pecuniae lapsu biennii cessat, durat tamen ordinaria cum onere probandi.

IX.

Senatusconsultum Macedonianum filium familias reddit in vtroque foro tutum, etsi pecunia adhuc exstet, cui nec iuramento renuntiare potest.

X.

Augmentum & decrementum monetae prodest ac nocet debitori, nisi aliter sit conuentum.

XI.

Procurator fines mandati excedens in pretio, rei excessum neque vtili negotiorum gestorum actione repetere potest.

XII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0016
DFG

XII.

Si exhaeredationis cauſa vel iniuſta vel non expreſſa fuerit, validum eſt teſtamentum, per quaerelam tamen inofficioſi reſcindibile.

EX IVRE CANONICO.

XIII.

Vtraque poteſtas tam eccleſiaſtica quam politica eſt ſumma & independens.

XIV.

Lex eccleſiaſtica pro vniuerſali eccleſia lata non obligat niſi in ſingulis dioeceſibus promulgetur, accedente placeto regio.

XV.

Ius decimandi legibus humanis ſtabilitum etiam laici praeſcriptione immemoriali acquirere poſſunt.

XVI.

Ex priuilegiis principum promanat ius aſyli.

XVII.

Matrimonia proteſtantium ſunt valida non obſtantibus impedimentis dirimentibus iure eccleſiaſtico introductis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0017
DFG

XVIII.

Summus pontifex extra ſuum temporale territorium nequit legitimare quoad effectus ciuiles nec indirecte, adeoque nec diſpenſare in radice matrimonii.

EX IVRE PVBLICO VNIVERSALI.

XIX.

Summum imperium ſemper manet vnum & idem, qualiscumque ſit forma reipublicae.

XX.

Summum imperium habere non deſinit, qui illud ſub clauſula commiſſoria accepit.

XXI.

Nec is, qui illud ſub nexu feudali tenet aut cum obligatione aunui tributi.

XXII.

Idem dicendum de eo, qui cum potentiori eſt inaequaliter foederatus.

XXIII.

Summo imperanti competit dominium altum & eminens in perſonas, res & iura ſubditorum.

XXIV.

Damnum tamen, quod ſinguli pro communi vtilitate vel neceſſitate ferunt, ex aerario publico illis reſarciendum eſt.

XXV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0018
DFG

XXV.

Lis de futura ſucceſſione in regno non patrimoniali nec a rege nec a populo iudicio iurisdictionis dirimi poteſt.

XXVI.

Rex accedente conſenſu populi valide renunciat regno pro ſe & liberis nullo modo exiſtentibus.

XXVII.

Primogenitus regis filius ad ſucceſſionem legibus regni vocatus a patre exhaeredari nequit.

XXVIII.

Tutela regni a tutela pupilli regii diſtingui debet, illa eſt tantum legitima, haec autem teſtamentaria vel pactitia, niſi quoad vtrumque aliud legibus fundamentalibus definitum ſit.

XXIX.

Vſurpatorem regni alieni populus & ſinguli ex populo iure occidunt, ſi in actu inuaſionis adhuc verſetur, aut diſerta authoritas legitimi imperantis accedat, aut ante inuaſionem lex publica exſtiterit, quae hoc permittat. Extra hos caſus interim a populo ei obedientia praeſtanda eſt.

XXX.

Nec totum regnum non patrimoniale, nec pars eius ſine conſenſu populi alienari poteſt.

XXXI.

Mortuo rege in regno electiuo & exstincta familia regnatrice in haereditario imperium pertinet ad populum.

EX IVRE GENTIVM.

XXXII.

Foedera cum gentibus infidelibus inita per se iuri naturae non repugnant.

XXXIII.

Crescens vicinae gentis potentia non est iusta belli causa vti nec conseruatio aequilibri.

XXXIV.

Non datur inter gentes locus praescriptioni vere tali.

XXXV.

Gens gentem, etsi nullum foedus praecesserit, ab iniuria defendere potest, quod tamen pro subditis alienis, vt ab eis arceatur iniuria legitimi imperantis licitum non est.

XXXVI.

Repraesaliae non repugnant iuri naturae.

XXXVII.

Inuiolabilitas legatorum eorumque comitum ac rerum tam in ciuilibus quam criminalibus causis quoad substantiam

est

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0020
DFG

est iuris naturalis, quoad specialia vero pactis & moribus gentium diuersimode determinatur.

EX IVRE PVBLICO PARTICVLARI.

XXXVIII.

Ius publicum Romano Germanicum oritur ex legibus fundamentalibus scriptis & non scriptis. Inter quas eminent Pax religiosa & Westphalica, quae vtraque licite & valide fuit inita.

XXXIX.

Consensus statuum in ferendis legibus se habet per modum conditionis sine qua non.

XL

Leges sic conditas status imperii non tantum vi promissionis sed etiam obligatione legali ita obseruare tenentur, vt nec iis per statuta contraria derogare queant.

XLI.

Habet imperator supremam iurisdictionem per vniuersum imperium Romano Germanicum.

XLII.

Inde manet etiam imperatori non obstante priuilegio de non appellando electoribus concesso & ad terras electorales limitato ius vltimae cognitionis & extremae prouocationis saluum & integrum, cui extra casus in legibus expressos per recursum ad comitia derogari nequit.

XLIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0021
DFG

XLIII.

Iurisdictio in cauſis eccleſiaſticis proteſtantium tam in prima quam in ſecunda inſtantia pertinet ad imperatorem.

LXIV.

Superioritas territorialis ſtatibus imperii qua talibus competens nequaquam eſt ſumma & independens.

XLV.

Tutela electoralis legitima in aurea Bulla fundata non omnino excludit teſtamentariam vel pactitiam.

XLVI.

Ius ſacrorum ex communi vſitata praxi cum iure territorii ad ius reformandi ita ſe extendit, vt catholicis non minus ac proteſtantibus ſtatibus competat.

XLVII.

Ius reformandi pro regula, annus vero normalis 1624. pro exceptione ſtatuendus eſt.

XLVIII.

Simultaneum innoxium religionis exercitium introducere non repugnat paci Weſtphalicae.

XLIX.

Iurisdictio circa ſacra etiam domino territoriali catholico in ſubditos Auguſtanae confeſſioni addictos ſiue reformatos competit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0022
DFG

L.

Ius eundi in partes non habet locum in cauſa banni.

LI.

Nemini in imperio noſtro licet nec in cauſis religionis ius ſuum vi & armis perſequi aut repraeſaliis vti.

LII.

Ius primariarum precum non eſt priuilegium pontificis, ſed ex antiquiſſima conſuetudine imperatoribus quaeſitum.

LIII.

Eoque vtitur in omnibus fundationibus etiam mediatis, in quibus ante diem decretorium nemo in poſſeſſione iuris prohibendi fuit, etſi tum ius hoc actu non exercuerit.

LIV.

Concordata nationis Germanicae non ſunt priuilegia pontificis, ſed vim verae tranſactionis & legis fundamentalis habent, poteſt tamen illis opponi contraria conſuetudo aut praeſcriptio immemorialis.

EX IVRE FEVDALI.

LV.

Sicut vaſallus de dominio vtili, ita etiam dominus directus de ſuo dominio directo alium infeudare poteſt.

LVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0023
DFG

LVI.

Quamuis in pecunia quoque possit constitui feudum, ex feudo tamen vendito redacta feudalis non est, quamuis accesserit pactum, vt ad aliud feudum acquirendum expendatur.

LVII.

Filia vltimi possessoris masculi in successione feudi praeferenda est omnibus aliis descendentibus etiamsi ex foeminis primi acquirentis sanguinem trahant.

LVIII.

Ex clausula in tabulis inuestiturae adiecta pro haeredibus & successoribus non recte concluditur feudum mere esse haereditarium.

LIX.

Foemina semel a successione feudi excluſa non manet perpetuo excluſa.

LX.

Regula, quod in dubio omnis res praesumatur, potius allodialis, quam feudalis fallit in feudis imperii Romano Germanici dignitatem regalem annexam habentibus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0024
DFG

INNOCENTII CIRONII

IVRIS VTRIVSQVE

PROFESSORIS, CANONICI,

ET

ECCLESIAE AC ACADEMIAE TOLOSANAE

CANCELLARII

PARATITLA

IN

DVOS POSTERIORES LIBROS

DECRETALIVM

GREGORII IX.

VINDOBONAE,

TYPIS IOANNIS THOMAE TRATTNER, CAES. REG. AVLAE, NEC NON INF. AVSTR. ORDINVM TYPOGR. ET BIBLIOPOLAE.

M. DCC. LXI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0025
DFG



DECRETALIVM LIBER QVARTVS.

TITVLVS I. DE SPONSALIBVS, ET MATRIMONIIS.

I.

Totus hic liber ad iura connubiorum ſpectat, & contractuum, de quibus ſuperiori libro, materiam complet; eſt etenim matrimonium contractus, ad quem perficiendum conſenſus potiſſimum requiritur, *can. 1. 27. q. 2.* & ad hunc confirmandum, & roborandum alii contractus veniunt, quales ſunt *ſponſalia*, *dotis*, vel *arrharum datio*, *donatio propter nuptias.*

II. Sponſalia ſunt contractus, qui nuptias praecedunt, & conſenſu fiunt, ſiue re, ſiue verbis, ſiue literis exprimatur, *can. noſtrates. 30. q. 5. cap. is, qui fidem. hoc tit.* Definitio propria eſt in *l. 1. ff. de ſponſalibus; ſponſalia ſunt mentio, & repromiſſio futurarum nuptiarum*, quam noſtri canones ſequuntur: per hanc repromiſſionem, ſeu ſponſionem reciprocam fides habetur de futuris nuptiis, duplici tamen modo; nam aliquando fides illa reſpicit conſenſum praeſentem, & tunc verum & ratum eſt matrimonium, quod diſſolui iure non poteſt; aut reſpicit conſenſum futurarum nuptiarum, qui non ita adſtringit, nec complet matrimonium: & haec eſt differentia, quae habetur inter fidem pactionis, & fidem conſenſus in *can. vlt. 27. q. 2.*

III. Olim quidem veteri lege omnia ſponſalia vtroque modo concepta contractum matrimonii perficiebant, quod & definit *ſyn. VI. in can. 69.* omnia fidei verba ad praeſens tempus referebantur, interpoſitis ſtipulationibus, ſpondes, ſpondeo, *l. 2. ff. eod. & l. ſponſio. de verb. ſigniſ.* vnde ſponſi nominantur, quaſi inuicem repromiſſi, & ſtatim actio naſcebatur

ex sponsione: SERVIVS SVLPITIVS apud GELLIVM *lib. 4. cap. 4. Si post eas stipulationes vxor non dabatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat, iudices cognoscebant:* quo fiebat, vt sponsi seiungi, & separari non possent, & si quis alii desponderetur, reus adulterii esset, *d. can. 99.* & ad priorem redire cogeretur, eodem modo, quo hodie sponsalibus factis de praesenti foedus matrimonii contrahitur, *cap. 1. hoc tit.* nec enim amplius sponsi erant in potestate patris, sed sponsus sponsae dominus erat. PAVSAN. *in Messeniacis* refert, cum Aristodemus filiam suam dedisset immolandam, ciuem quendam Messenium ex sponsu agentem puellam vindicasse, negantem eam amplius in patris potestate esse, suam esse, qui sponsus sit, in illam ius omne se habere: *αὐτὸς δὲ ἐγλυπσάμενος κυριώτερος ἐκείνε γίνεσθαι.*

IV. Paulatim hoc vinculum imminutum est, poena primum quadrupli statuta, tum deinde dupli contra perfidum, *l. vnica. C. Theod. si rector prouinciae. l. penult. ff. de sponsalib.* iure nostro poenitentia iniungitur, *cap. 5. & cap. sicut. hoc tit.* fides illa, seu repromissio iureiurando contrahitur, quo fit, vt fidem frangentes periuri dicantur, *cap. quemadmodum. sup. de iureiur.* imo & Deorum contemptores olim haberentur, ob sacrificium in sponsalibus fieri solitum, quod dicebatur *προγαμεία*, & *προτελεία* apud IVL. POLLVCEM, *lib. 3. cap. 3.* Latinis confarreatio apud VLP. *in fragm.* hinc etiam sponsi & sponsae nomen quidam deducere malunt, quod *σπονδὰς*, id est, libationes in foedere sanciendo adhiberent, teste FESTO.

V. Hoc iure periurium nascitur ex iureiurando, sacrilegium, seu diuini numinis contemptus, ob *ἱερολογίαν*, per quam conciliatur matrimonium, *can. 1. & 2. 30. q. 5.* & tunc sponsalia fiunt de praesenti, & est matrimonium, licet copula non interceserit. *can. cum initiatur, & seqq. 27. q. 2.* Sicut enim iure ciuili emptionis & venditionis contractus solo consensu fit, licet res nondum tradita fuerit, ita & matrimonium sine copula consistit, solus concubitus matrimonium facere non potest, solus consensus potest; *l. nuptias. de reg. iur. l. penult. C. de incest. nupt. cap. cum locum. hoc tit.* Sicut enim separatio corporum diuortium non facit, sed animorum; ita nec matrimonium coniunctio facit corporum, sed voluntatum, *can. matrimonium. 27. q. 2. nou.* IVSTINIANI. *127.* Vetus opinio Aegyptiorum erat, vt matrimonium non censeretur, nec nuptiae existimaren-

marentur contractae, nisi corporum conuentio interceſſiſſet; tunc enim re contractas nuptias dicebant, quod damnat Zeno in *l. penult. C. de inceſt. nupt.* per Aegyptios intelligimus Iudaeos.

VI. Inter matrimonium quidem, & nuptias proprie differentia eſt, nuptiae enim dicuntur, cum ſponſa traditur viro, cum mancipatur: QVINTILLIANVS *decl. 306. Vis ſcire quid ſint nuptiae? aſpice illam virginem, quam pater tradidit:* traditio fiebat per deductionem in domum, *l. 5. de ritu nupt. l. 3. §. mulieri. de vſu & habit.* vnde NONIVS ait, *innubere*, pro, *tranſire;* quod hae, quae nubunt, in domum maritorum tranſeunt: ſunt enim haec ſolennia vnius diei, epulae nuptiales γαμήλια, quaſi δαμήλια; nuptias enim γάμον, quaſi δάμον dixerunt, a verbo δαμάζειν, quod eſt *domare*, ideo Graeci diem primum γάμες vocabant, ſecundum vero ἐπαύλια, Latinis repotia. Matrimonium differt a nuptiis, quod ſit totius vitae ſocietas, *cap. praeterea. hoc tit.* & mentium coniunctio, ἔυνοια, ſtabile coniugium VIRGILIO: indiuidua vitae conſuetudo, ex definitione IVSTINIANI, qui hanc differentiam ponit in *§. ſi ad aduerſus. inſt. de nupt. §. nuptiae. de patria pot. & §. quibus. de haeredit. quae ab int.*

VII. Qua ratione factum arbitror, vt hic titulus ſit conceptus de ſponſalibus, & matrimoniis, non de nuptiis, cum nuptiae, quibus commiſtio ſit corporum, non ſint neceſſariae ad matrimonium, *can. omnis. 27. q. 2.* contrarium tamen videtur probari in *can. non eſt dubium, & ſeq. ead.* in quibus matrimonium non creditur, niſi per ſexuum coniunctionem, ideoque ALEX. III. in *cap. 2. hoc tit. in 1. compil.* ait: *non ſunt vna caro vir, & mulier, niſi cohaeſerint copula maritali*, quod temperate ſumendum eſt; ſcilicet matrimonium perfectum non eſſe, in quo commiſtio ſexuum, id eſt poteſtas reciproca corporum non eſt, vt poſſit alter ab altero debitum exigere, *can. ſunt, qui dicunt. in fine, ead. can. ſi dicat. 33. q. 5.* poteſtas illa mutua corporum oritur ex conſenſu, ſine qua tamen conſiſtit matrimonium; quod ideo non ſolum canonibus, ſed etiam legibus eſt conſtitutum, ne plus tribui concubitui, quam conſenſui videretur: concubitus perficit, & adimplet matrimonium, adeo vt petentibus denegari nequeat, & hinc matrimonium dici ait D. AVGVST. *contra Fauſtum*, quod vxor mater fiat: cui ſimile eſt, quod dicitur in *can. requiſiſti. 33. q. 1.* dum agitur de vxore, quae impleri matrimonium poſtulat; *volo eſſe mater, & filios procreare.*

VIII. Vt tamen consensus ille, non concubitus facere nuptias videretur, primis ecclesiae temporibus sponsi sese continebant diebus nuptiarum, *can. 13. concilii Carthag. IV.* quem BVRCHARDVS citat ex synodo Valentina *lib. 9. cap. 5.* BALSAMON ad *can. 3. syn. Carthag.* D. AVGVST. *rusticum esse*, ait, *vt statim pacta traderentur, ne viles haberent mariti, 8. confessionum.* Per biduum, vel triduum decreto Euaristi abstinebant in *can. 1. 30. q. 3.* & Soteris, vt idem BVRCHARD. refert *eod. cap. 7.* ob reuerentiam nempe ἱερολογίας, quae tunc impendebatur, & sine qua nec matrimonium, nec nuptiae consistere possunt, *can. nullus. 30. q. 5.* imo, quod maius est, cum miscebantur coniuges, ab ecclesiae ingressu per dies 30. prohibebantur, *cap. 2. concil. Mediol. I.* apud eundem BVRCH.

IX. Ad contractum matrimonii alia desiderantur, arrharum nempe, dotisque datio, & donatio propter nuptias, sed praecipue dos, *can. nullum. ead.* ius enim publicum laeditur, cum sine dote fit matrimonium, *l. 2. ff. de ritu nupt.* & indignissimum esse ait VLP. vt mulier dotem non habuisse existimetur, *l. cum pater. de pactis dotalib.* sine dote legitimum non est coniugium, *can. aliter. 30. q. 5.* vel sine dotali titulo, vt ait *canon consanguineorum. 3. q. 4. nouel.* IVSTINIANI *117.* id est, dotalibus instrumentis.

X. Tria ad matrimonii foedus requiri docet MATTHAEVS BLASTARES; ἔιτε δὶ ἐυλογίας, ἔιτε διὰ στεφανώματος, ἢ διὰ συμβολαίᾳ, *per benedictionem, per coronationem, & per instrumentum*, tit. ὅρος γάμ. *Nou.* ALEXII COMNENI osculum, annulum, & benedictionem requirit: nam quod de coronatione dicit, idem, ni fallor, cum benedictione: siquidem sacerdos contrahentes coronabat, vt ex *epistola 3.* MICHAELIS CERVLARII constat, dum loquitur de poenis sacerdotis, qui citra consensum parentum coronauerit ἐστεφάνωσε., *lib. 4. iuris Graeco-Rom.* quod prohibetur, monachi κρατεῖν στεφάνας γάμων, id est, *coronas nuptiales tenent*, inquit HARMENOP. *ad can. vlt. tit. 2. sect. 4.*

XI. Haec instrumenta dotalia olim a sacerdote subscribenda erant, nec alias rata habebantur; DAMASCIVS in *vita Isidori philosophi* apud PHOTIVM: ἐκ ἦν δὲ γνήσιος ὁ γάμος εἰ μὴ ὁ ἱερεὺς ὁ τῦ Θεῦ ἐν τοῖς γαμικοῖς συμβολαίοις ὑπεσημήναλο χειρὶ τῇ ἑαυτῦ: id est, *non erant legitimae nuptiae, nisi sacerdos Dei matrimoniales contractus, seu nuptialia instrumenta,*

sua

sua manu notasset. Hoc ius imperatores non agnouerunt in *l. neque. C. de nuptiis. l. vlt. C. Theodos. eod.* qui sine dotalibus instrumentis nuptias contrahi posse sanxerunt: IVSTINIANVS *nouella 18. c. 4.* ait, nuptias non constitui dotibus, sed mutuo cohabitantium affectu, εἰ καὶ μὴ ϖροῖκες τοῖς γάμοις ἀκολεθήσαιεν, ἀλλὰ διάθεσις ὡμολογημένη, καὶ σαφὴς μεταξὺ τῶν συνοικέντων ἔστα. Id est, *licet non sint secutae nuptiae dotes, sed affectus indubitatus, & manifestus inter coniuges existens.* Idem *nou. 22. c. 18.* HARMENOP. *lib. 4. tit. 4.* καὶ χωρὶς ϖροικῶν συμβολαίων συνίσαται. Hoc alias in dubio fuisse ostendit IVSTINIANVS *d. nou.* ideo nuptias illustrium personarum sine his praemissis contrahi noluit, *can. Lotharius. 31. q. 2.* humiliores vero, quibus nulla, aut tenuissima dos est, ab hac lege exemit, quod & refert idem HARMENOP. de omnibus, qui aliqua dignitate fulgent, τὰς ἐν ἀξιώματι μετρίῳ, vsque ad Protospatharium, quem illustrem nominant *glossae Basilicorum*, & NICOLAVS I. *ad Michaelem imp.* glorioſum; tanto enim honore fulgebat, vt etiam praefecturas prouinciarum gereret, vt ex CVROPALATE, & PHRANZE *lib. 1. cap. 35.* constat: sed quare haec dotalia instrumenta fieri praecipiantur, cum non sint de substantia matrimonii, sicut est benedictio, dicemus *inf. tit. de incest. nuptiis.*

TITVLVS II.

DE DESPONSATIONE IMPVBERVM.

I. De his, qui per se sponsalia contrahere possunt, dictum est titulo superiori; nunc de his, qui ob aetatis imbecillitatem parentum consilio contrahunt, ideo titulus inscribitur de *desponsatione impuberum*, siue, vt alii legunt, de desponsione impuberum: *despondere*, & *desponsare* idem sonant, & tam ad eos, qui per se, quam per parentes coniunguntur, referri possunt, vt annotanit CVIAC. *obs. 30. lib. 16. ex l. si quis tutor. §. quamuis. de ritu nupt. l. cum hic status. §. fin. de donat. inter vir.* cui addo *caput 1. sup. tit.*

II. Propria quidem significatio pertinere videtur ad eos, qui a parentibus copulantur, tam masculos, quam foeminas, licet DONATVS,

in Andriam, dicat patrem puellae spondere, adolescentem despondere: TVLLIVS *orat. pro Cluentio: despondit ei filiam suam.* PAVLVS *l. 5. de ritu nupt.* ait, tutorem non posse vxorem ducere adultam, nisi a patre desponsam, destinatamque; vbi notanda vis verborum, quae coniunctionem monstrant a patre factam; destinare, est, *vincire*, *alligare* apud APVLEIVM *lib. 6. lorum, quo fueram destinatus, abrumpo.* PLAVTVS in *Rudente*, *sibi puellam destinat*, & *iureiurando alligat.* Nec moror distinctionem CVIACII, vt despondere sit cum stipulatione, destinare nudo consensu, & solo animi motu.

III. Per impuberes hoc loco intelligimus eos, qui septennium egressi ad 12. vel 14. annum nondum peruenerunt, *cap. 3. hoc tit.* & *l. 14. de sponsalib.* Ante septennium non consistunt sponsalia, quia in ea aetate non censetur adhiberi consensus, *can. vnico. 30. q. 1.* & *d. l. 14. de sponsal.* ὥςε μὲν ἥττων τῶν ἑπτὰ ἐνιαυτῶν, διακρίσεως ἐνδελοῦς ἀμοιρεῖ. Id est, *nimirum eam, quae minor sit annis septem, iudicio omnino destitui*, respondet ALEXIVS patriarcha *in sententiis synodal. c. 3.* Augustus decennio tantum voluit sponsalia contrahi posse, teste DIONE, *lib. 54.* τότ' ἔξι δεκέτιν παντὸς ἐγγυᾶσθαι. Id est, *vt omnino decennem despondere opus esset*, tales nuptias inter infantes, cum pene in cunis sint, imaginarias vocat IVO CARNOT. *epist. 243. sine fide, sine prole, sine consensu, sine omni bono coniugali.*

IV. Quod si in ea aetate attentatus sit pudor puellae, licet nullus existimetur esse consensus, propter publicam honestatem sponsalia esse creduntur, *l. 14. ff. seruiles, ff. de ritu nupt.* & tunc affinitas contrahi dicitur, *cap. 4. hoc tit.* impetus ille in puellam nondum septennem, quasi contra statum, & ordinem naturae factus, vocatur extraordinaria libido, in *cap. fraternitati. inf. de eo, qui cognouit consang.* & *in can. extraordinaria. 35. q. 3.* nec ad genus libidinis aliud cum gloss. referas, quicquid enim sine lege, sine ratione fit, extra ordinem, pro libidine, pro libito fieri dicit TERTVLL. *in apolog.* Septennium censetur tempus legitimum sponsaliorum, quod ALEXIVS COMNENVS tempus statutum nominat, *nou. 3.* ὅσαι μετὰ τῆς ἱερᾶς εὐλογίας καὶ τὸν ὡρισμένον δηλονότι καιρὸν τελεθεῖσαι. Id est: *sponsalia quae cum sacra benedictione, statutoque tempore peracta esse noscuntur.*

V. Post septennium, licet pubertas iure communi non computetur, nisi a duodecimo anno in foeminis, a decimo quarto in masculis, consensu sponsa-

lia

lia contrahuntur, quae dissolui nisi dissensu non possunt, si ambo, vel vnus eorum ad pubertatem peruenerit, adhibito ecclesiae iudicio, *cap. de illis. hoc tit.* cum pubertate, & numero annorum succedit aetatis iudicium, & ratio, ideoque recte IVO *epist. 134.* annos pubertatis vocat *rationales:* & antiquitas non tam dignoscebat puberes ad nuptias contrahendas, quam eos, qui rebus agendis idonei ad negotia deputabantur TERTVL. *lib. de vel. virg. cap. 11. & lib. de anima.*

VI. Quod si ante dictam aetatem commistio corporum interceserit, & paucitatem annorum maturitas corporum praeuenerit, tunc sine dubio matrimonium ecnsebitur, & malitia supplebit aetatem, *cap. a nobis. hoc tit.* & tunc consensus praesumitur, vt ait gloss. *in d. cap. de illis*, vbi & proximos pubertati copula carnali coniungi posse dicit pontifex: hanc vicinitatem pubertati statuit in masculis ad annum vndecimum, vel circa duodecimum *cap. continebatur. hoc tit. cap. ad id, quod. sup. tit.*

VII. Quin etiam tantum huic deferunt pontifices, vt quamuis concubitus non interuenerit, nascatur tamen publicae honestatis iustitia, & & affinitas contrahatur inter eorum consanguineos, etsi pubertate accedente solutum fuerit matrimonium *cap. 11. hoc tit. in 1. compil.* quod quidem singulare est, vt matrimonium dissensus impediat, & tamen affinitas remaneat; quod hoc iure locum habet propter suspicionem, quae est inter pubertati proximos, quod si nondum vicinitas pubertatis accesserit, tunc nulla nascitur affinitas; nisi & simul cohabitauerint. *cap. duo pueri. hoc tit.*

VIII. Similiter quando attentata est pudicitia puellae nondum viripotentis, viripotis, vel viropis, quod opus habeat viro, vt loquuntur *gloss.* PITHOEI, vel etiam nondum septennium egressa fuerit, licet virginitatis flos corrumpi non possit, tamen pudor, & honestas laeditur, quae ideo inducit speciem quandam affinitatis, *cap. iuuenis. sup. tit.* cum & suspicio quaedam remaneat; nam & septimo anno nubiles & maturas esse puellas apud quosdam populos constat, vt apud Indos, autore ARRIANO *lib. rerum Indic.* PLIN. *lib. 7. cap. 2.* MACROB. ARISTOPHANES, & alii puellas septimo, octauo, & nono anno peperisse referunt, nec illa libido censetur extraordinaria, quae post septennium emergit, quia naturae leges non superat, licet raro id contingat, ideoque Sabiniani pubertatem non ex annis, sed ex corporis habitu iudicabant apud VLP. *lib. reg. tit. 11. §. vlt.*

IX. Quo-

IX. Quorum sententiam probant nostri canones, ratione matrimonii tantum, vt optime notat glosſ. in *cap. 2. hoc tit.* publicae honestatis tuendae causa; incongruum enim esſet eos, qui cum nondum pubertatis annos attigissent, naturae tamen exuberantis viribus, & facultatibus vtuntur, impune a sponsalibus potuisse recedere *d. cap. de illis;* aetatem pubertati definitam non ita obseruant nostri canones, vt praecoces naturae ignes contemnant, quamuis habitum corporum stricte non seruent, sed consensum. Fuit haec lex PLATONIS *lib. 11. de legib.* in nuptiis adhibendum esse iudicem, qui de statu, mensura, & qualitate corporum cognosceret, quam inspectionem, vtpote impuram, & indecoram damnant imperatores *in l. vlt. C. quando ex facto tut. §. 1. instit. quib. mod. tut.* quod & nostri sine dubio faciunt, aspectum corporis approbantes, tunc demum tantum, cum necessitas id exigit, ne iam completum, & consummatum matrimonium rescindatur, & sacramento illudatur. *cap. penult. sup. de probat.*

X. Huic vero inspectioni fidem raro adhibendam censent; quippe manus, & oculi obstetricum saepe falluntur. *can. nec aliqua, & seq. 27. q. 1.* Leges ciuiles nusquam hanc explorandi rationem improbarunt, sed indecoram illam, & inhonestam consuetudinem, qua, quicumque fraudare vellet suos creditores, vel tutelae iugum excutere, adibat praesidem prouinciae, qui eius aetatem ex corporis statu iudicabat non tantum ad pubertatem, sed etiam legitimam aetatem explorandam. *l. minor. 33. ff. de minorib.*

XI. Quod attinet ad ius commune, duodecimus annus in foeminis, decimus quartus in masculis seruatur, ante quem nulla rata matrimonia sunt, nec pubertas censetur, nisi contrarium facto comprobetur. Puella creditur immatura, ἄχαρις, ἄνυμφος, *illocabilis, cruda,* vt loquitur CLAVDIANVS, *paneg. 30. acerba* apud NONIVM; nec scire, nec velle existimatur, *cap. a nobis. hoc tit. l. vlt. de iuris, & facti ignor.* nisi concubitus interceſſerit, ex quo consensus nascitur, *cap. continebatur. hoc tit.* aliter sponsalia, quantumlibet fuerint facta per verba de praesenti, ad futurum referuntur, *cap. vnico. hoc tit. in 6.* & licet parentes pro filiis sponsalia fecerint, non tamen firma sunt, nisi post pubertatem rata fiant, *can. vnico. 30. q. 2.* excepto casu *cap. 2. pro bono pacis* inter illustres, *ratione dilatandae, vel conseruandae pacis,* vt loquitur IVO CARNOT. *epist. 99.*

quia

quia tunc, licet partes resilire cupiant, ecclesia non patitur. *cap. 6. in 1. compil.*

XII. Consensus autem, qui rata facit parentum sponsalia, debet intercedere statim, atque filiis reclamandi facultas accesserit, vt sentit PANORMIT. *in cap. ex literis. sup. de sponsal.* sine vlla procrastinatione, vt loquitur imperator, *l. qui contra. C. de incest. nupt.* vtpote si violentiam patris allegent, *d. cap. de illis. hoc tit.* data est patribus potestas in filios non tyrannica, & violenta; & despondendi facultas non tantum est munus, sed etiam onus, quo filiorum meliorem conditionem procurare tenentu *l. qui liberos. de ritu nupt.* Publicae vtilitatis contemplatio efficit, vt filii a parentibus alligentur coniugio, vt ait PAVLVS, *2. sentent.* & licet nuptiae iustae dici aliquatenus non possint (omnis enim coactio pugnat cum lege) tamen lex publica mandatum, vel consilium paternum desiderauit, *cap. veniens. de sponsalib.* vnde & illegitimas dixit APVL. *lib. 6.* & TERTVLL. *2. ad vxorem.* Consensus patris non minus firmat sponsalia, quam iussus, *can. nostrates. 30. q. 5. l. nec filium. C. de nupt.* CATVLL. *in Epithal. Pelei:*

Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.

Sensit, id est, consensit.

XIII. Nec tamen autoritati parentum tantum tribuitur, vt omnis libertas liberis adimatur, quin & horum, cum puberes facti sunt, desideretur consensus, alioquin nullum est matrimonium, *can. sufficiat. 27. q. 2.* IVO *epist. 134. Quicquid pater nesciente virgine iurauerit, cum ad ad annos rationales perducta est, nisi ipsa virgo consentiat, irritum erit.* Quae mens est PAVLI in *l. Titia. de verb. obligat.* tota potestas non ita haeret capiti parentum, quin particula aliqua liberi arbitrii filiis relinquatur: eleganter CATVLL. *in carmine nuptiali 76.*

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est,
Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
Tertia sola tua est.

TITVLVS III.
DE
CLANDESTINA DESPONSATIONE.

I. Quae potissimum in sponsalibus, & matrimoniis desiderentur, dictum supra; nunc defectus exprimuntur, quibus inutilia fiunt, quorum vnus est *clandestina desponsatio.*

II. Per desponsationem intelligimus tam nuptias, quam sponsalia. Fit autem quatuor modis, cum nulli sunt arbitri, nulli testes, *cap. 2. hoc tit.* cum ad ecclesiam alienam decurritur, ex *concilio Tridentino*; si ἱερολογία non interceserit, postremo inuocatis, & inconsultis parentibus, quae omnia exprimuntur in *can. 1. 30. q. 5.* his omissis nuptiae clam, & furtim fieri dicuntur, κλεψιγάμιας, vocant Graeci; si testes non fuerint, quibus constet matrimonium fuisse contractum: saepe enim inter ipsos contrahentes nascebatur dissensio de matrimonio facto, *cap. 4. de sponsa duorum, in 1. compil.* duo, vel tres desiderantur, *concil. Trident.* vel paranymphi, *can. qualis. 30. q. 5. cap. 5. lib. 9.* apud BVRCH. coram sacerdote, id est, parocho, *can. nullus. ead. cap. 165. 166. lib. 1. Capitul.* qui missam celebrare debet, & ambos deinde benedicere *cap. 8. lib. 9.* apud BVRCHARD.

III. Per sacerdotem, intelligimus proprium tantum parochum, non extraneum; nam & officium erat olim, sicut hodie, interrogare eos, qui ad sacramenta veniebant, cuius essent territorii, seu parochiae, *can. 1. concil. Nannet.* apud IVONEM *parte 2. cap. 122.* ab eo tantum rite benedictio impenditur, sine qua nullos iure matrimonii potiri vult Imp. IVSTINIANVS *nou. 24.* LEO *nou. 89.* S. AMBROSIVS *epist. 70. lib. 9. coniugium*, inquit, *velamine sacerdotali, & benedictione sanctificari oportet*; & hoc intelligitur fieri in facie ecclesiae, vt est in *cap. ex tenore. infr. qui filii sint legitimi*, vel in conspectu ecclesiae, vt est *in d. cap. cum inhibitio*, vbi, *parochiae*, sumitur pro *ecclesiae*, non vt necessario id fieri debeat in ecclesia parochiali, sufficit enim in domo priuata, coram parocho, & testibus: imo nec partes cogi possunt alibi contrahere, vt est definitum *in decisionib. concilii Trid. cap. 1. sess. 24.*

IV. Hic

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0036
DFG

IV. Hic autem antiquus ritus εὐλογίας, in precibus, & velamine consistebat, vt hoc velo, tum quasi aliquo iugo cognoscant foeminae se subditas viris fore, cum quod quasi vitta, seu vinculo copularentur, ne compagem vnitatis postea dirumperent, *can. foeminae. 30. q. 5.* flammeum vocant veteres, quod accipiebant nubentes, ne facerent diuortium, CATVLL. *in nuptiis Iuliae & Manlii*, SEVERVS SVLPIT. *Hist. sacrae lib. 11. post Pythagorae cuidam in modum solennium coniugiorum nuberet, inditumque imperatori flammeum.*

V. Parentum quoque praesentia desideratur, non tantum patris, & matris, vt *sup. tit.* diximus, cognatorum minime, *l. in copulandis. C. de nuptiis*; nisi tunc demum, cum alii decesserint, *l. in coniunctione, C. eod.* quod partim factum, ne ipsis insciis cognatis, & affinibus clandestinum dicatur matrimonium, *cap. ad dissoluendum. sup. tit. prox.* qua etiam de causa statutum fuit, vt publice, spectante populo, nuptiae celebrentur, ne de cetero inter aliquos clanculum, sed publice coram idoneis testibus sponsalia contrahantur, *cap. 4. de sponsa duorum, in 1. compil.* non gentilium more, qui noctu hos ritus peragebant, quod notissimum ex SERVIO: quin & conuiuia, choreae, & festiuitates fiebant, vt nuptiae publicae, omnibusque cognitae essent, *can. qualis. 30. q. 5.* quas durare solitas septem dies scribit D. AVGVST. *1. quaest. super Genesim, ad cap. 29. Genes.*

VI. Hae celebritates erant veluti acta, & testimonia rei gestae, & matrimonii perfecti, quod pulchre notat ATHENAEVS, *lib. 5. cap. 1.* ὡς νενόμιςαι ἄγειν συμπόσια περὶ τὰς γάμους, τῶν τε γαμηλίων Θεῶν ἕνεκα, καὶ τῆς δίονεὶ μαρτυρίας, id est, *sic enim moribus, & legibus scitum est, vt in nuptiis epulum fiat, tum nuptiales Deos vt veneremur, tum vt pro testimonio id sit.* Nec vnquam conuiuia ab ecclesia fuerunt damnata, quae procul sunt a turpibus, & scurrilibus iocis, non plaudere, vel saltare, βατταλίζειν, seu βαλλίζειν, ἢ ὀρχεῖσθαι, ἀλλὰ σεμνῶς δειπνεῖν ἢ ἀριςᾶν: *sed modeste coenare, vel prandere* praecipit *can. 53. syn. Laod.* Praeter haec, vt furtiuis illis coniugiis remedium adhiberi possit, dotalia instrumenta confici voluerunt imperatores, vt *sup. tit.* dictum fuit.

VII. Cumque haec nondum sufficerent INNOCENT. III. consuetudinem peculiarem ecclesiae Gallicanae in ius commune conuertit, vt banna publica edantur, quibus omnes moniti sint de futuris nuptiis, & contradicere, & causas impedimenti legitimas obiicere possint, *cap. cum*

inhibitio. hoc tit. Id peculiare Gallis docet idem INNOCENTIVS, *cap. cum in tua. de ſponſalib. in 4. compil.* ad epiſcopum Beluacenſem, quod Raimundus repoſuit *in tit. de ſponſalib. & tit. qui matrimon. accuſ. poſſ. cap. cum in tua.* ſed truncum, & mutilum, deletis hiſce verbis, *in eccleſiis ſecundum conſuetudinem eccleſiae Gallicannae editis.*

VIII. Ideo vt ius publicum ſtatueret, eccleſiae Papienſis eandem fuiſſe conſuetudinem dicit ALEX. III. vt ſi quando controuerſia naſceretur de cognatione eorum, qui matrimonio erant copulandi, publice presbyteri nunciarent, praefixo termino, intra quem ad accuſationem, & teſtificationem venire liceret, quod & aliis commune fuiſſe docet CLEMENS in *cap. vlt. qui mat. accuſ. poſſ. in 2. compil.* nec enim hoc nouum, vt pro omnibus caſibus, & negotiis emergentibus presbyter publice moneat vnumquemque; id ex Aurel. concilio conſtat apud BVRCH. *lib. 2. cap. 70. can. 1. diſt. 3. de conſecrat. cap. 183. 184. & 187. lib. 6. Capitular.* Quin & debuit antiquitus inquiri coram populo, an ſponſus, & ſponſa eſſent propinqui, vel aliis per matrimonium iuncti, *cap. 8. concil.* Trosleiani apud ANT. AVGVSTINVM *lib. 28. tit. 33. epitomes.*

IX. Banna vero ſunt proclamationes, edicta, ſeu denunciationes, vt notum ex *Capitular. lib. 3. cap. 40. & 45.* Bannire, eſt citare, conuocare: inde *bannum imperiale*, apud KRANZIVM *lib. 10. Wandal. bannum dominicum*, *bannum regium.* Tres autem denunciationes, ſeu tria banna fieri voluit *concilium Trident.* cum antea decreto Innocentii III. vnum, vel plura arbitrio ſacerdotis fierent, *d. cap. cum in tua. hoc tit. competenti termino praefinito;* quae verba mihi ſuadent ex veteris eccleſiae inſtituto manaſſe; Euariſtus ſiquidem in *d. can. 1.* ait: *ſuo tempore ſacerdotaliter benedicatur:* quid eſt ſuo tempore, quam termino competenti denunciationis obſeruato.

TITVLVS IV.
DE
SPONSA DVORVM.

I. ALius modus, quo inutilia redduntur matrimonia, detegitur *hoc tit.* cum contra fidem, & conſenſum priorem noua ſponſalia contrahuntur, cum

cum noua superducitur vxor; vno verbo, cum vno & eodem tempore aliquis duas vxores habet, vel quae foemina duos maritos; sic enim rubrica concipienda, quae amplior est in antiqua compilat. vbi legitur, *de sponsa duorum, & de sponso duarum.*

II. Qui vxorem habet, & aliam ducit, dicitur superducere vxorem a IVSTINIANO *nou. 18. cap. 5.* praepositio illa, *super*, aequiualet praepositioni, *praeter*, vel, *vltra*, vt notat PRISCIANVS, & superducta est mulier, quae praeter, seu vltra aliam ducitur, Graeci ἔισακτον vocant, differtque a subintroducta, quam Graeci συνείσακτον, id est, quae simul introducitur, quasi contubernalis, licet non dubitem ἐπείσακτον & συνείσακτον promiscue sumi a IVSTINIANO *nou. 123. cap. 19.*

III. Superducere igitur, aliam habenti vxorem non licet, quod D. AVGVTTINVS dixit, *more Romano statutum, lib. de bono coniugali: more Romano superducere vxorem non licet*, quod confirmant imperatores in *l. neminem. C. de incest. nupt. neminem qui sub ditione Romani nominis sit, binas vxores hab.re*, & quod nusquam licuit apud Romanos; quamuis explendae libidinis causa, vt Iustinam formosissimam puellam superduceret, Valentinianum legem tulisse falso referat SOCRATES *lib. 4. cap. 26.* cuius fabulae autorem sequuti sunt ZONARAS, & PAVLVS *diaconus*, quod tamen a SOZOMENO, THEODORITO, & aliis nusquam relatum est. Irrogata semper fuit infamia duas vxores habentibus, *l. 1. de his, qui notant. infam.* & iure diuino talia matrimonia prohibita, licet primis temporibus Lamech, & alii Patriarchae duas, aut plures habuerint vxores, id enim peculiari priuilegio indulsit Deus, vt refert TERTVLL. *lib. de pudicitia, ad vx. & de monogam.*

IV. Iurē canonico nusquam probatum, quum & vnam sponsam, & alteram vxorem habere fuerit vetitum, ita vt si quis sponsalibus contractis ad alia vota transierit, & ea concubitu firmauerit, tale matrimonium vt falsum rescindi debet, *cap. si inter. sup. de sponsal.* & damnatur hac in parte consuetudo Mutinensium, qui de duabus ductis vxoribus, vel sponsis, eam, quae concubitu cognita esset, legitimam, & iustam esse statuebant, *cap. vlt. hoc tit.* quod & visum quibusdam antecessoribus suis refert ALEX. III. *in cap. licet. hoc tit.* quod ad Mutinensium iura referendum putat gloss. cui non assentior; siquidem non solos Mutinenses hunc morem habuisse, sed passim ius diuersum in ecclesia fuisse, asserit idem pontifex in *cap. 6. & 7.*

in 1. compil. qui litem hanc & controuersiam, definiuit *in d. cap. licet & seq.* quod integrum videre iuuat *hoc tit. in 1. compil. de desponsatis.*

V. Sequuto nondum concubitu certum ius semper fuit, primae desponsationi per secundam non potuisse derogari, *can. desponsatam, & can. desponsatas. 27. q. 2.* adeo vt talia ambientibus infamia irrogetur, *l. 13. §. item si alteri. de his, qui not. infam.* HAMENOP. *lib. 4. tit. 1.* ἢ μνηςευομένη ἑτέρῳ καὶ ἑτέρῳ γαμηθεῖσα ἀτιμᾶται, quin & praeter adulterium etiam sacrilegium committitur, *can. de coniugali. 27. q. 2.* quibus non obstat, quod est in *l. 1. C. de sponsalib. vni desponsatas alii nubere non prohiberi*, quod est accipiendum de desponsatis per verba futuri temporis, *cap. sicut ex literis. sup. de sponsalib.* nec secundo desponsata potest haberi vt concubina, quia cum concubinatus iure ciuili sit coniunctio legitima, stuprum committitur, *l. vnica. C. de concubinis;* nec vllo iure (licet aliquando concubinam habere licuerit) potuit haberi vxor simul & concubina, sed & hoc impium ius, vel prauam potius consuetudinem habendae concubinae damnatum saepius deinde fuit.

TITVLVS V.

DE CONDITIONIBVS APPOSITIS IN DESPONSATIONE, VEL ALIIS CONTRACTIBVS.

I. Parum fuisset dixisse de sponsalibus, & matrimoniis, nisi & de conditionibus in eis apponendis ageretur, dupliciter sumitur conditio, aliquando pro pactis, & conuentionibus, vnde TVLL. *ad Tironem lib. 16. stare conditionibus*, dixit, id est tenere pacta, & ita conditiones matrimonii sunt pacta & leges, quas contrahentes sibi inuicem dixerunt; vnde & sponsalia dicuntur conditiones, FESTVS conuentum dixit primum sermonem, qui de nuptiis, & earum conditionibus habetur; siquidem sponsalia sunt primi tractatus nuptiarum, primae conuentiones, prima pacta; ideoque & repudii libellus inter sponsum & sponsam his verbis olim concipiebatur, *conditione tua non vtar l. 2. ff. de diuortiis.*

III. Conditio sumitur quoque frequenter pro exceptione, quae suspendit obligationem, donec ex postfacto confirmetur, *l. 44. de act. & ob-*

& obligat. vel potius pro causa, quae suspendit factum, donec ex postfacto confirmetur, vt notauit CVIAC. *ad l. 37. de rebus creditis*, quae definitio congruit conditionibus, quae hisce contractibus sponsaliorum adiiciuntur, quae quidem suspendunt matrimonii effectum *cap. de illis, & cap. super eo. hoc tit.*

III. Qua in re aduertenda est natura conditionis, vtrum sit resolutoria matrimonii, an vero impediens, ne initium sumat; siquidem illa nullius est momenti, vtpote contra substantiam matrimonii, veluti si ita contrahant nubentes, si simul non manserint, si liberos nullos habuerint, *cap. vlt. hoc tit.* quae conditio pro non adiecta habetur vt turpis, contra bonos mores, & contra iuris publici autoritatem, *l. hoc modo. de condit. & demonst. l. 2. §. tractare ad Trebell.* quae facta verecundiam, pietatem, & existimationem nostram laedunt, vt ait PAPINIANVS in *l. filius. de condit. instit.* videntur illi sibi per stuprum, non per connubium conuenire, & animo adulteri sunt, licet tamen matrimonium seruare teneantur. *can. solet, & seq. 32. q. 2.*

IV. Impossibilis quoque conditio pro non adiecta habetur, hoc vulgatissimum est, quae non est sita in nostra potestate, & quae non est ἐνχερὴς, vt loquuntur Basilica; imo etsi sit in potestate nostra, quae tamen non est completa, non ideo matrimonium impedit, praesertim quod fit de praesenti, quae quidem licet non eueniat, circumscribitur, & nullius est momenti *cap. 1. hoc tit.* ita intelligendus IVO CARNOT. *epist. 183. & can. quod conditio*, cum *seq. 27. q. 2.* conditio adiecta efficere non potest, vt fides, consensus, & verba praesentis temporis in verba de futuro conuertantur, & sic mutent naturam, *cap. 1. sup. tit. prox.* e contrario fides pactionis in fidem consensus per verba de futuro in verba de praesenti conuerti possunt, si concubitus intercesserit, *cap. tuas. hoc tit.* vbi eleganter gloss. obiicit, hoc esse contra regulas iuris, quibus res tradita sub conditione, repeti ea deficiente potest, *l. sub conditione. ff. de condict. indebit.* cum & concubitus non faciat nuptias; sed recte addit, hoc fauore matrimonii fieri. Melior tamen ratio adduci potuit, solum concubitum non efficere nuptias, bene concubitum, qui subsequitur sponsalia, quo consensum adfuisse, & contrahentes a conditione recessisse praesumitur. *cap. penult. hoc tit.*

V. Praeter conditionem supradictam, est etiam tacita, quae inest contractibus; veluti, vt intra biennium nuptiae sequantur, quod demum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0041
DFG

mum exacto sint irrita sponsalia, ex lege Augusti apud DIONEM *lib. 54.* μετ' δὲ δυοῖν διελθόντοιν γαμήσει ἔθων τις, quod tempus vsque ad quinquennium trahit CAIVS in *l. 17. de sponsalib.* Sed iterum ad biennium reductum est inter praesentes, *l. 4. C. Theod. de sponsalib. l. 2. C. eod.* inter absentes ad triennium, *l. 3. C. de repudiis:* quod iure canonico non probatur, *cap. de illis, & cap. sicut ex literis. sup. de sponsalib.* quod de contractibus matrimonii per verba futuri temporis intelligendum est: nam quoad sponsalia per verba de praesenti nullum tempus constitui potuit; imo quandocumque pars vna alteram interpellauerit, vel debitum exegerit, non poterit recusare, vt plenius dicetur infra, *tit. de diuortiis.*

VI. Est praeterea hic titulus de conditionibus aliis contractibus appositis, quod πάρεργον est, sumpta scilicet occasione, vt videtur in *cap. 2. & 4. hoc tit.*

TITVLVS VI.

QVI CLERICI, VEL VOVENTES MATRIMONIVM CONTRAHERE POSSVNT.

I. Post modos contrahendi matrimonii expositos, aequum est de causis distrahendi, & impediendi agere, & de personis, quae contrahere possunt: qui titulus videtur superuacaneus, cum iam *lib. 3. tit. de clericis coniugatis* illud actum sit, quod quidem non esset omnino diffitendum, nisi etiam de vouentibus conciperetur, quorum nomine alios intelligimus, quam clericos, qui ad horum differentiam non solenni, sed simplici voto sese obstrinxerunt.

II. Inprimis, quamuis dixerimus, an clerici matrimonium possint contrahere, vt missam priorem tituli partem non faciamus, iterum repetemus, quae lucem historiae huius iuris maiorem possint adferre. Certissimum est olim innuptis episcopis, presbyteris, & diaconis non licuisse postea vxorem ducere, sed tantum lectoribus, cantoribus, & aliis minoris ordinis, vt refertur in *can. 26. Apostolorum*: scilicet nuptiae non poterant ordinationem impedire, ordinatio nuptias impediebat, ideoque ordi-

ordinandi, qui nondum vxoribus alligati erant, castitatem, & continentiam polliceri cogebantur, εἰ σωφρονεῖν αἱροῖντο, ait ZONARAS: qui vero vxorati ordinabantur, vxorem relinquere non cogebantur, imo nec poterant, *can. 5. apostolorum;* quod confirmant imperatores HONORIVS, & THEOD. in *l. eum qui. C. de episc. & cleric.* quod & repetitum fuit a IVSTINIANO *nou. 6.* & deinde detractum *nouel.* LEONIS *3.* & *79.* tum etiam diuersis consuetudinibus, tam durum existimarunt iugum hoc orientales, inter quos & plures nationes ordinem occidentalium sequebantur, vt notat BALSAMON de barbaricis regionibus in *can. 30. synodi VI.*

III. Certe episcopos post consecrationem vxores retinere non diu passa est ecclesia, quod primum *syn. VI. in Trullo can. 12.* effectum fuit, non vt lex diuina pessum iret, qua solutio matrimonii vetatur; sed vt honori ecclesiae consultum foret, & eius status in pulchriorem ordinem restitueretur, vt BALSAMON notat ad eum locum: fuerat hoc indultum initio nascentis ecclesiae episcopis, *can. 5. apost.* ne qui recenter ad fidem conuersi essent, hac continentiae seueritate deterrerentur, idcirco remissius cum eis agebatur, nec adhuc ab eis integritas perfectionis desiderabatur, vt recte ZONARAS aduertit in *d. can. 5.*

IV. Presbyteri, & diaconi diutius vxores suas retinuerunt, maxime apud Graecos; siquidem Romana, & vniuersalis ecclesia vxores abegerat, vt notum est ex D. AMBROSIO, & HIERONYMO *epist. aduersus Iouinianum ad Pammachium, & aduersus Vigilantium, & can. 13. dictae synodi sextae* testatur, qui ait morem fuisse Romanae ecclesiae. In concilio Carthaginensi II. *can. 2.* id fuit statutum, cuius pars est in *can. 3. dist. 31. episcopi, presbyteri, diaconi pudicitiae custodes etiam se ab vxoribus abstineant;* decretis etiam summorum pontificum, vt supra *d. tit. de clericis coniugatis,* fuse tractauimus. ZONARAS factionis Graecorum assertor ad concil. Carthag. V. *can. 4.* titubat multum, & nesciens, quo pacto se tueri posset, recurrit ad *d. can. 5. apostolorum,* cui se omnino deuouet, quem tamen frustra in suam sententiam adducit; hoc enim tantum vult, episcopum, presbyterum, vel diaconum non posse eiicere vxorem, & diuortium cum ea facere, vt ipsa alteri nubat, sed praecipit, vt episcopus cum ea martialia iura non exerceat, & ita interpetatur D. GREGORIVS *epist. 30. lib. 7. sicut canonica decreuit autoritas, vxores, quas caste*

debent regere, non relinquant, quod a mente sanctorum apostolorum non fuit alienum, vt ex ipso *can. 2. syn. Carthag.* constat, quo apostolos continentiam decuisse monstratur. Nolo hac in parte autoritatem ipsius synodi V. impugnare, & consequenter Graecorum interpretum sententiam, quam suspectam, & illegitimam fuisse perspicue docet CARDINALIS BARONIVS; religiosi fuere patres illius synodi ad adimendas vxores episcopis, presbyteris vero, & diaconis retinendas, quasi vero, & ab his non eandem continentiam exegerit APOSTOLVS I. *Cor. 7.* quum similiter & sacris ordinibus insignirentur.

V. De subdiaconis non ita, quos inter minores ordines constitutos vxores habere concessum erat, vt supra dixi. Horum primis temporibus certum, & praecipuum munus non aliud fuisse reperio, quam vt ministri essent diaconorum, & omnibus negotiis, quae a diaconis eis demandabantur, occuparentur, ideoque simpliciter, & absolute ὑπηρέτας vocant *can. 22. & 43. syn. Laod.* Maxime pro foribus ecclesiae stare solebant, vt catechumenos introducerent, & poenitentes educerent, vt notant BALSAMON, & ZONARAS ad *d. can. 22. & 43.* Fuerunt etiam ad describenda, & in mundum, siue ordinem redigenda martyrum acta occupati, quae notarii per notas διὰ σημείων, vt ait TVLLIVS *ad Atticum*, exceperant, cui muneri praeposuit eos Fabianus, vt est apud ANASTAS. Et ita erant vicarii diaconorum, qui huius dignitatis honore tumidi, paulatim sacris ministeriis se interponere conati sunt, & orarium gestare, solis diaconis attributum, *can. ministrum. dist. 23.* Data est primum facultas contrectandi vasa sacra, gestandi, & loco mutandi, non vero tangendi, vt notat BALSAMON ad *can. 28. syn. Carthagin.* non omnibus tamen hypodiaconis generaliter id concessum, sed specialiter quibusdam; nec in eo laborare debet ZONARAS, cur in *can. 25. syn. Laod.* vetentur sacra contingere; hoc vero possint contrectare, cum aliud sit ψηλαφᾶν, *contrectare*, aliud ἅπτεσθαι, id est, *tangere*.

VI. Ideoque *d. canon 28.* iniungit vxorum abstinentiam hypodiaconis, qui sacra contrectant, ὑποδιακόνους τοὺς τὰ ἱερὰ μυστήρια ψηλαφῶντας ἐκ τῶν συμβίων ἐγκρατεύεσθαι, id est, *hypodiaconos, qui sacra mysteria contrectant, a contubernalib. abstinere*, id est, vxorib. quod & indicat *can. 33.* concilii Eliberit. ante Nicaenum celebrati, *placuit in totum prohiberi episcopis, presbyteris, diaconibus, & subdiaconibus positis in ministerio*,

rio, abstinere a coniugibus suis. Notanda verba, *in totum*, quia primum sacris ordinibus insigniti non arcebantur ab vxorum amplexibus, nisi tunc demum cum officio suo fungerentur, κατὰ τὰς ἰδίας ὥρας, id est, *in propriis terminis*, vt ait syn. Carthag. *d. can. 28. & 73. can. de quorundam. dist. 84. can. placuit. d. 32.* ἐν τῷ καιρῷ τῆς τῶν ἁγίων μεταχειρήσεως ἐγκρατεῖς εἶναι. Id est, *in tractandorum sacrorum tempore esse continentes:* ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας, *tempore vicis suae*, LVCAE I. quod facillimum erat sacerdotibus, qui non singulis diebus interesse sacris cogebantur, sed statis temporibus, & per hebdomadas, vt scribit BALSAMON: qui tamen obiicit, quid sentiendum sit de his, qui quotidie celebrare ex officio suo debent, quibus vinculis expedire se non posse fatetur, dum nimis Graecorum partes aduersus Latinos tueri nititur; attamen fatendo presbyteros continere se debere, tempore, quo sacris sunt adstricti, consequenter admittere debet eos non potuisse excusari, qui semper sacris altaribus sunt obstricti.

VII. Quod ad minores ordines attinet, olim matrimonium non impediebant, *can. 26. apostolorum, & can. 6. syn. VI. in Trullo*, qui loquuntur de lectoribus, & cantoribus tantum, non de aliis, quod & *nou.* IVSTIN. *6. & 22.* nominatim obseruat, vltra lectorem, & cantorem nuptias prohibens; quasi vero id non licuerit exorcistis, acolythis, & ceteris infimi subsellii? minime, an quod, cum de illis mentio fiat, tacite ceteri intelligantur? nec hoc quidem; sed quia cantores, & lectores ex numero clericorum censebantur, non reliqui; id dignoscere libet ex IVSTINIANI *nou. 3.* constituto enim numero in maiori ecclesia presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, lectorum, & cantorum, ait imperator; *ita vt sit omnis numerus reuerendissimorum clericorum in quadringentis viginti quinque, & insuper existentibus centum ostiariis.* Ostiarii, acolythi, copiatae, parabolani non proprie erant clerici, sed quasi clericis ministri potius, & famuli, vt annotauit CVIAC. ad *d. nou.* cui tamen non assentior, dum eiusdem conditionis facit lectores, & cantores cum ceteris, cum hanc differentiam faciat IVSTINIANVS; licet enim lectores, & cantores ministri sint, *can. 24. apostolorum*, tamen aliquid praecipuum supra reliquos habent; nam & sacros ἱεροψάλτας vocat cantores synodus VI. *can. 33.* Lectoris officium dignius ceteris fuisse dubium non est, & eos proprie clericos dictos fuisse, contra quorundam sententiam vindicaui

ex BALSAMONE *sup. tit. de clericis non residentib.* reliqui non appellabantur clerici, sed iuuenes *l. 10. C. Theod. de episc. & clericis;* quia in minima aetate ordinabantur; lectores vero, & cantores non nisi 18. annorum, *nou.* IVSTIN. *123. cap. 13.* BALSAMON ad *tit. 1. de fide, cap. 24. Nomocan.* PHOTII. Denique vbicumque agitur de presbyteris, diaconis, & subdiaconis, continuo mentio fit de lectoribus, & cantoribus, quod notat optime differentiam.

VIII. Licuit ergo primis temporibus lectoribus, & ceteris vxores ducere, quod paulatim deinde imminutum est, & tandem effectum, vt omnes hi minorum ordinum clerici, cum ad annos pubertatis venerant, continentiam profiteri, aut vxorem ducere cogebantur, *can. seriatim. 32. dist.* sumpto ex concilio Carthag. *can. 16.* quod peculiare fuisse in ecclesia Africana, contendit BALSAMON: postea in plerisque regionibus consuetudo effecit, vt omnino coelibes essent, aut beneficiis priuarentur, ab INNOCENTIO III. in *cap. Ioannes, & cap. cum decorem. sup. de clericis coniugatis.*

IX. Altera tituli pars est de vouentibus, de his, qui se voto obstrinxerunt, an matrimonium contrahere possint. Duplex est votum, *solenne*, & *simplex*: illud impedit matrimonium tam contrahendum, quam contractum, *cap. 3. & fin. hoc tit.* simplex impedit contrahendum, *cap. veniens. hoc tit.* sicut sponsalia de futuro. *cap. rursus. hoc tit.*

X. Est autem votum solenne, cum, qui se deuouent religioni, vel monasterio, & habitu suscepto, seu velamine professionem faciunt, *d. cap. 3.* poenam enim anathematis incurrunt, si se vxori alligent, *can. si qua virgo. 117. q. 1.* & propriae professioni iniuriam facere dicuntur, τὸ ὀικεῖον ἐπάγγελμα καθυβρίζοντες, ait *can. 42. syn. VI.* poenas fornicationis incurrere *can. 44.* eiusdem, adulterii D. BASILIVS *can. 60. ad Amphil.* Cur cur autem in *d. cap. 3.* loquitur de eo, qui se deouet religioni, & habitum suscipit? an quod vtrumque sit necessarium? Maxime; habitus enim solus non facit monachum, sed professio regularis cum habitu; & sic accipienda est vulgata sententia, vestem non facere monachum, sed professionem; quod vt intelligendum sit, memini me supra *tit. de regularibus* exposuisse.

XI. Hic autem ius singulare aduertendum; etiam apud antiquos numquam licuisse vxorem ducere iis, qui votum continentiae peculiare emisis-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0046
DFG

emisissent: & licet monachi non essent clerici, imo perinde ac laici, tamen in eo longe digniores erant minoribus clericis, quibus continentia non interdicebatur; quod si clerici fierent, non ideo tamen matrimonium contrahere poterant, *nou.* IVSTINIANI *5.* nempe propter votum solenne, quod olim minores clerici non profitebantur, vt constat ex *d. can. lectores, & can. seriatim.*

XII. Votum simplex fit non obseruatis solennibus, si quis sponte se obligauerit ad vitam regularem, vel habitum, & vestem mutarit, non tamen locum, nec viuendi modum, *cap. consuluit, & seq. hoc tit.* si votum fecerit in manibus cuiusdam monachi, non abbatis, *cap. vlt. hoc tit.* apud Deum non minus quidem obligat, quam solenne, inquit COELESTINVS, & ideo, frangenti poenitentia iniungitur in *d. cap.* eadem ratione, qua nulla est differentia inter iuramentum, & loquelam nostram. *cap. 1. de pactis.*

TITVLVS VII.

DE

EO, QVI DVXIT IN MATRIMONIVM, QVAM POLLVIT PER ADVLTERIVM.

I. Enarrantur alii modi, quibus matrimonium impeditur, hoc, & sequentibus titulis; quotiens vxorem habens, cum alia rem habet, mortua enim vxore cum ea coniungi matrimonio non potest; sicut e conuerso foemina adultera mortuo marito non potest nubere adultero suo, quod ex constitutione Leonis primum processisse GRATIANVS ait in *can. 1. 31. q. 5.* licet enim morte vnius coniugum solutum sit matrimonium, nec amplius fides duret, tamen propter grauia pericula, & scandala, quae ex hac libertate contingere possent, id vetitum fuit: spes enim noui coniugii votum captandae mortis induceret, & frequentia inde veneficia, insidiae, fraudes, homicidia prodirent, *can. si quis viuente. ead.* interfecti quidem mariti vxor nubere occisori non prohibetur, dummodo hic adulter non fuerit, nec ea mente, & consilio mors illata fuerit. *cap. 1. de conuers. infidel.*

II. Et licet Dauid adulterii, & homicidii reus, peracta poenitentia vxorem Vriae habuerit, *Reg. 2. cap. 12.* vt est in *can. si qua. ead.* lex tamen Christi seuerior, coniugium non permisit, nisi prius vir & mulier innocentes esse ab adulterio & homicidio districta examinatione probarentur, ait IVO CARNOT. *epist. 170.* imo & adulterii accusationem supereesse aduersus eam, quae commisso adulterio postea mortuo marito suo non violenta, sed naturali morte, constupratori nubit, *l. commissum, & l. si qua adulterii. C. ad l. Iul. de adult.* non tantum autem crimen homicidii, & mortis illatae punitur, sed etiam consilii, *can. si qua mulier. 31. q. 1.* aequali enim poena plectitur saepe apud iurisconsultos scelus, & sceleris voluntas, maxime in criminibus publicis, *l. cogitationis. ff. de poenis. l. 1. C. ad l. Iul. de ambitu. l. 1. de extraord. criminibus*: μοιχὸν κολάζει ὁ νόμος ὃ τὸν δράσαντα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν βεληθέντα. Id est: *moechum lex punit, non qui moechatus est tantum, sed & qui voluit,* inquit MAXIMVS TYRIVS *dissertat. 2.*

III. Nec vero sufficit, crimen homicidii effugisse, sed etiam adulterii: vtrumque abesse debet, vt matrimonium valeat, quod recte additur *d. canoni, si quis viuente,* quem citat BVRCHARD. ex concilio Triburien. & integer refertur in *concil. Melden. cap. 69.* quamuis contrarium dicat *d. can. si qua fuerit. eadem d.* quo quidem quinquennii poenitentia peracta vitium adulterii purgari dicitur: quod est ita intelligendum, vt id adulterii vitium ab his, qui matrimonium contraxerunt, purgari possit, licet enim canones vetent, tale matrimonium contrahi, contractum tamen non dissoluunt; sicut nuptiae illicitae, vel incestae fieri prohibentur, factae tamen non pereunt. *can. nec illud. 30. q. 5. cap. vlt. inf. qui filii sint legit. cap. contracto. de cognat. spirit.*

IV. Iure constare matrimonium inter adulteros morte prioris coniugis non potest, quod satis indicat *can. denique. ead.* si restituatur negatio, vt apud D. AVGVST. legitur: *Marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit:* nam vt idem subdit *lib. 1. de nuptiis, cap. 10. tom. 7. ita inter viuentes manet quoddam vinculum, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre.* Ideo, quod maxime notandum in *d. concil. Triburien. can. si qua,* non dicitur matrimonium licite fieri posse, sed tantum cum hac conditione, *si expedierit,*

pedierit, id est, causa cognita, quae talis potuit esse, vt iuris seueritas relaxari possit. *cap. perlatum. inf. qui filii sint legit.*

V. Longe aliud est, quando viuente legitima vxore alia superducitur, & contumaciter in eo scelere adulteri perseuerant; mortua enim legitima non sustinetur matrimonium, imo penitus nullum censetur, & licet liberi nati fuerint, non sunt legitimi, & eorum status infirmatur, *cap. 5. hoc tit.* quamuis a parentibus sint alendi, contra iuris ciuilis ordinem. *nou.* IVSTINIANI *89. §. vlt.*

VI. Tribus praecipue casibus hoc titulo matrimonium est dirimendum, si adulteri cogitauerint pendente matrimonio de futuris nuptiis, si re vera matrimonium contraxerint, si vterque, vel eorum alter in necem coniugis prioris conspirauerit, *can. relatum. & seq. 31. q. 1. cap. 5. & aliis hoc tit.* Quod si durante priori matrimonio vxor vt adultera dimissa, & repudiata fuerit, & ipsa tunc demum alteri nupserit, vel ipsi adultero, non ideo dissoluitur prius matrimonium, quamuis prior maritus minatus fuerit crimen adulterii intendere, *l. quaesitum. ff. ad l. Iul. de adult.* oportet secundum maritum prius conuictum, & adulterii damnatum esse, antequam mulier accusetur, & matrimonium dirimatur, *l. Claudius. l. miles. §. licet. ad l. Iul. de adult.* Quae differentiae iure nostro non possunt admitti, quum quaeratur tantum de matrimonio post prioris viri obitum contracto, nam eo viuente id fieri non potest, nec enim repudium soluendi prioris matrimonii causa hoc iure admittitur, quum semper vinculum remaneat. *cap. 2. inf. de diuort. can. licite. 32. q. 7.*

TITVLVS VIII.
DE
CONIVGIO LEPROSORVM.

I. Impedimenta contrahendi matrimonii multa sunt, contracti pauca; sponsalia de futuro morbis superuenientibus non soluuntur ipso iure, sed vnius arbitrio, vtpote, si sponsus vel sponsa correptus est morbo comitiali, vel lepra, liberum est alteri, impune a contractu suo recedere, *cap. fin. hoc tit.* non ita in sponsalibus de praesenti, quae so-

lum

lum adulterium soluere potuit, non vero deformitas corporis, vel quid aliud, vt ait D. AVGVSTINVS in *can. si vxorem. 32. q. 5.* notanda verba, *quid aliud,* quae sunt intelligenda de aliquo morbo insolito, cui vix medela adferri possit, qualis est morbus regius, quem comitialem, ἐπιλεψίαν vocant; vel lepra, quam malam scabiem vocat HORAT. *in arte poetica:*

Vt mala quem scabies, aut morbus regius vrget.

II. Morbi, qui nunquam, vel raro sanantur, qui perpetui sunt, aliquo nomine peculiari insigniuntur, vt comitialis vocatur ἱερὰ νόσος, vel maior morbus apud CORNELIVM CELSVM *lib. 3. cap. 23.* sonticum vocat *l. 113. de verb. signif.* vbi CVIACIVS notat morbum non dici sacrum, quod sit diuinus, sed quod magnus, vt apud HOMERVM dicitur ἱερὸς βῆς, & apud HIPPOCRATEM ἱερὸν ὀςῆν dicitur os magnum; & magnus dicitur morbus, id est valde malus, vt apud PLAVTVM *in Bacchide; ego sum malus, ego sum sacer, ego sum sceleſtus.* Sacer etiam dici potest, quod minime sit sacer & diuinus, vt homo sacer, valde criminosus, quem non licebat immolare, apud FESTVM. Sic lepra dicitur mala.

III. Quatuor sunt species scabiei, vna est simplex, nempe pruritus ex bile, vel tenui pituita; alter a lichen, quae acrius corrodit, & formatur ex bile ardentiori, PERSIVS *sat.*

Namque est scabiosus, & acri bile tumet.

Tertia est ψώρα, quae difficile sanatur, cum cutis est asperior, & pustulis quibusdam redundat. Vltima est omnium deterrima elephantias, qua totum corpus etiam ossa vitiantur, ait CELSVS, *cap. 25. lib. 3.* haec sanari infantum sanguine vulgo sentitur, castratione vero impeditur, *cap. 5. supra, de corp. vitiat.* Sicut epilepsia, si edantur linguae pauonum, calcanea camelorum, & cristae pauonum viuorum apud LAMPRID. in *Heliogab.*

IV. Hi morbi ingraueſcentes causam diſſidii inter sponsos afferre possunt. Sed an sponsalia de praesenti soluere possint, quaesitum ex *d. cap. fin.* ex cuius verbis etiam sponsalia de futuro solui colligitur, si concubitus nondum interceſſerit, ait enim, *cum nondum matrimonium fuerit consummatum;* quod CVIACIVS intelligit de concubitu, quo matrimonium dicitur consummari, *can. non est dubium, & seq. 27. q. 2.* aliter

sentiunt

sentiunt omnes fere interpretes, vt consummatum dicatur, cum est completum, quantum ad sui essentiam, non quantum ad effectum, vt aiunt HOSTIENSIS, & PANORMIT. licet copula nondum intercesserit, quia, vt diximus supra, consensus perficit matrimonium, cuius sententiae sunt etiam theologi, D. THOMAS *parte 3. q. 52. art. 1.* tunc nullus morbus, siue comitialis, siue elephanticus, hunc nodum soluere potest, *d. can. si vxorem quis:* sed coniuges simul manere debent, & sibi inuicem debitum reddere, *cap. 1. & 2. hoc tit. cap. quemadmodum. sup. de iureiur.* ratio quaedam videbatur, nam quum ex veteri ritu seiungi a consortio hominum leprosi, & extra vrbes domicilia sua habere debeant, vt est in *can. 6. concil. Lugd. II.* sub Pelagio II. iniquum videbatur, vt leprosos sani sequi cogerentur; nam & inter reliquos Christianos orare in templo prohibebantur, sed inter excommunicatos, & profanos homines referebantur *can. 17. syn. Ancyr.*

V. Hic morbus diu incognitus fuit, equidem elephantiasim ante Pompeii M. tempora; lichenem vero ante Tiberii principatum in Italia non accidisse refert CELSVS, & post eum PLINIVS *lib. 21. cap. 1.* qui & hoc malum Aegyptios inuexisse narrant, quod posterioribus seculis experta est Gallia sub regno Philippi pulchri, qui eos expellere coactus est, quod huiusmodi tabe & lue fontes infecissent, vnde summa calamitas populos inuaserat.

VI. Porro sicut lepra coniugium corporale soluere non potest, ita nec spirituale; nec enim a clericali, vel sacerdotali remouere potest, licet ab officio, & regimine suspendat, *cap. 3. & 4. sup. de cleric. aegrot.* sicut nec morbus ille arcet fideles a communione dominici corporis, quos tamen cum sanis celebrare conuiuia vetat, *can. 31. concil. Wormat.* sub Adriano II. & ne huiusmodi foeditate sani homines contaminentur, habitatio peculiaris cum ecclesia & coemeterio eis est assignanda. *cap. 23. concil. Later. sub Alexandro III.*

TITVLVS IX.
DE
CONIVGIO SERVORVM.

I. An vitium corporis impediat matrimonium supra, nunc de vitio status, conditionis, seu originis; an seruitus obesse possit: qua in re dissentit ius canonicum a ciuili; cum enim seruitus introducta sit contra ius naturale, sitque ex legibus humanis orta, vt ait GELASIVS papa *epist. 1.* & ita pugnet legi diuinae, qua libertas omnibus innata est, noluit improbare seruorum coniugia, *can. omnibus, & seq. 29. q. 2.* ius ciuile contubernium vocat hanc coniunctionem apud PAVLVM *2. sentent. tit. 19.* & vxores seruorum contubernales in *l. 12. de fundo inst.* nec tanti facit, quam concubinatum, qui legitimum matrimonium olim imitabatur, adeo vt lex Iulia, quae vindicabat adulterium, tam in vxore, quam concubina, ad seruorum contubernium non pertineret. *l. serui. C. ad l. Iul. de adult.*

II. Ius nostrum inter seruos matrimonium probauit, iisdem ritibus, quibus inter liberos, quod sequutus est Basilius imp. qui benedictiones nuptiales in vtrisque locum habere voluit, vt est *in nou. 9.* ALEXII COMNENI *de testibus*, quam refert BALSAMON *ad can. 85. syn. VI. in Trullo*; consequenter etiam fatendum legem Iuliam ad eos traducendam esse, adeo vt nonnisi fornicationis causa vxor repudiari possit, vt est in *can. 38. concil. Tribur.* & apud LEONEM *epist. 9. cap. 4.* denegabatur seruis benedictio, quia per eam libertatem consequebantur, vt refert *d. nouella;* & ita dominus iniuria afficiebatur, quapropter impediebant domini, ne eis benedictio impenderetur, BALSAMON *ad d. can. 85.* ne si assumant benedictionem, ἀδικηθείη ἂν περὶ τὴν δεσποτείαν ὁ τέτων τῆς ἐπ' αὐτοῖς ϛερισκόμενος δεσποτείας: id est, *eorum dominus iniuria afficiatur in dominio, illorum dominio priuatus.*

III. Hoc more sublato statutum fuit, vt coniugium legitimum & rite factum censeatur, nisi fiat praeter domini voluntatem, sicut filiorum citra patris consensum, vt supra diximus; vnde infertur inuito domino non valere; imo dissolui matrimonium, quod confirmat synodus Aurel.

rel. IV. *cap. 24. parentibus, aut propriis dominis reſtituti ſub ſeparationis promiſſione reddantur.*

IV. Effectum tamen ſucceſſu temporis, vt inuitis dominis matrimonium contrahi poſſet, dummodo ius ſeruitii, & obſequii conſeruetur, *cap. 1. hoc tit.* nec tantum inter ſeruos conſtare poteſt matrimonium, ſed etiam inter liberum, & ancillam, vel ſeruum, & liberam contra iuris ciuilis autoritatem, & mentem ſenatusconſulti Claudiani, quo mulier, quae ſe ſeruo alieno iunxerat, fiebat ancilla, & conſequenter manebat in contubernio, niſi poſt trinam denunciationem ab eo abſtinuiſſet, vt THEOPH. notat ad *§. vlt. Inſt. de ſucceſſ. lib.* & TERTVLL. *2. ad vxorem*, SVETON. *in Veſpaſian.* non e contrario liber homo, qui ſe ancillae iunxerat, fiebat ſeruus, *l. ſi liber. C. de liberal. cauſ.* Legibus Francorum priſcis non habebatur diſpar ratio, imo ſeruus fiebat, *cap. 3. tit. 27.* legum Salic. *Si quis francus alienam ancillam ſibi iunxerit, ipſe cum ea in ſeruitio permaneat.*

V. Hoc noſtro iure quisque conditionem ſuam ſeruat, & matrimonium rite fit inter liberum & ancillam, ita vt ex ea cauſa dirimi non poſſit, *can. ſi quis liber. 29. q. 2.* niſi per errorem factum fuerit, vt ſi liber contraxerit cum ancilla, quam liberam putabat *cap. 2. & 4. hoc tit.*

TITVLVS X.

DE

NATIS EX LIBERO VENTRE.

I. Non ſatis fuit, dixiſſe matrimonium inter ſeruos recte contrahi, niſi etiam, cuius conditionem ſequantur filii, dicatur, quod hoc titulo expeditur.

II. Regula iuris ciuilis eſt ex VLP. *lib. reg. tit. 5.* ex iuſto coniugio natos patrem ſequi, ex contubernio matrem; ſic ſumendum eſt, quod vulgo dicitur partum ventrem ſequi, *l. partem. C. de rei vindic.* quod refertur, & ad vulgo quaeſitos, qui comparantur natis ex contubernio, *l. cum legitimae. de ſtatu hom.* hoc iure matrimonium, vt diximus, inter ſeruos conſtat; ſed tamen non ideo partus paternam ſequitur conditionem, ſed maternam, ac ſi matrimonium non conſtaret; lex enim naturae

de qua in *l. lex. de ſtatu hom.* ſeruatur, qua ſpurii, & illegitimi matri accedunt, eodem modo, quo ſata, & plantata ſolo cedunt; mater eſt veluti ſolum, vnde & vulgo quaeſiti, qui incerto patre nati, terrae filii dicuntur, OVID. *1. Metam.* de Io loquens:

Iupiter e terra genitam mentitur, vt autor
Deſinat inquiri.

III. Si igitur mater libera fuerit, partus quoque liber erit, vt dicitur in *cap. vnico. hoc tit.* & ſufficit, aliquo tempore eam fuiſſe liberam, licet puerperii tempore ancilla fuerit; e contrario natus ex libero & ancilla ſeruus fit: quia matris origo, & parentis deterior ſtatus ſpectatur, ſic enim intelligere debemus illud Iſidori in *can. liberi. 32. q. 4.* ſequutus eſt Iſidorus ius ciuile, quo nati ex ancilla, & libero ſeru fiebant, quia tunc nullum erat matrimonium, nec gloſſa hac in parte haerere debuit ad *cap. vlt. ſup. de ſeruis ordin.* aliud enim eſt, an quis naſcatur ex libera, an ex ancilla; quia licet matrimonium iuſtum ſit, tamen ius pontificium iuris ciuilis ordinem ſequutum eſt.

IV. Nec iuuat quidpiam, adducere legem Longobardorum, qua, vt gloſſa notat, partus ventrem non ſequebatur, ſed deterioris parentis ſtatum, quod nusquam memini me legiſſe: lex Longobardorum hoc quidem voluit, vt liber, qui ſeruae ſe iunxerat, ſeruus fieret, quod & apud Francos locum habuit, *lege 3. tit. 27. legum Salic.* vt vero natus ex libera, & ſeruo ſeruus fieret, & deteriorem conditionem ſequeretur, vix credam; ſemper enim pro libertate in dubiis iudicatum fuit, meliorem, & honeſtiorem conditionem partum ſequi aliquando viſum eſt, vtilitatis publicae cauſa, veluti ſi ex vno infideli, & altero fideli infans editus ſit; tunc enim non reſpicitur matris conditio, ſed illius parentis, qui fidem ſequitur, *can. Iudaei. 28. q. 1.* ſimiliter publica vtilitas effecit, vt partus ventrem non ſequatur aliquando, ſed patris conditionem, vt de publicis ſeruis fabricae, & aliis operibus publicis deputatis dicitur in *l. fin. C. de ſeruis fugit. & in l. eos. C. de decurionib. lib. X.*

V. Sed & cauſa publica fecit, vt nati ex adſcriptitio, & libera non ſequantur matrem, ſed patrem, & adſcriptitii fiant, quod temporibus Theodoſii, Honorii, & Valentiniani obtinuit, ſicut colligere licet ex SIDON. APOLL. *epiſt. 19. lib. 5.* in qua, cum inquilinus liberam rapuiſſet, petit a Pudente, domino inquilini, vt eum originali ſoluat inqui-

quilinatu, ne ratione ipsius foemina, & eius partus colonariam conditionem patiatur. Sed postea constitutione IVSTINIANI factum, vt partus ex hoc coitu liber nasceretur, in *l. vlt. C. de agricol. & cens. lib. XI.* quod *nou. 54.* confirmauit, statuens in futurum praedictam legem obseruari, tum deinde *nou. 162.* quae constitutiones deinceps locum habuerunt, addito temperamento, ne per tales nuptias colonorum filii facti liberi terras deserant. Iustinus vero statuit, vt quamuis sint liberi, tamen terris adscripti remaneant *nou. de filiis liberorum.*

VI. Quod ad honores attinet, patris conditio spectatur, *l. foeminae. de senatorib. l. 1. C. de dignitatib.* nisi consuetudo aliter poposcerit, vt apud Zanthios a matribus nobilitatem sortiri filios refert PLVTARCH. *lib. de virtutib. mulier.* & apud Lycios HERODOT. *lib. 1.* vel si id lege aliqua, vel statuto quibusdam priuatim populis datum sit, vt de Ilienſibus, Delphis, Ponticis refert VLP. *in l. 1. ad municipal.*

VII. Neque vero semper haec pro regula seruanda sunt, vt partus ventrem sequatur: excipitur enim casus hoc iure detestandus, nempe clericorum concubinatus, ex quo partus seruituti addicitur, concil. Tolet. in *can. cum multae. 15. q. 8.* nec mirum, quum in odium talis incontinentiae, foemina licet libera statim in seruitutem sit mancipanda, *can. eos. 32. dist.* vel venundanda, *can. quidam. 81. dist.* vel in monasterium detrudenda, *can. fraternitatis. 34. dist.* ex alio vero quam clerico, ordo iuris seruatur, siue mater sit concubina, siue pellex, aut potius amica, aut quae minus honorata dicitur Graecis παραλοιτὶς, vel παλλακὴ in *l. Masurius. de verb. signif.*

TITVLVS XI.
DE
COGNATIONE SPIRITALI.

I. Impedimenta nuptiarum persequitur Gregorius, inter quae iura cognationis hoc, & sequentibus titulis exponit. Tres sunt cognationis species, spiritalis, legalis, & naturalis, quae viam nubentibus praecludunt, vt recte dixit ATHANASIVS patriarcha Constantinop. *epist. 5. in coniugiis caueatur pueritia, propinquitas sanguinis, adoptio, & susceptio in baptismate*, qui ordo seruatur hoc libro.

II. Dignior, & nobilior est spiritalis, de qua hoc tit. quae quidem imitatur adoptionem, imo & vocatur adoptio, ita vt duplex sit adoptio spiritalis, & ciuilis; illa fit per sacramentum baptismatis, haec aliis modis, de quibus infra *tit. sequenti.* Baptisma igitur est adoptio, per quam coelestis cognatio contrahitur, vt scribit SALONIVS *Viennen. episcopus in ecclesiastem: in sacro baptismate omnes Christiani filii Dei efficiuntur, & fratres Domini nostri Iesu Christi, ille solus proprius, & naturalis filius, ceteri omnes sunt adoptiui.* Nec mirum, cur baptismus vocetur adoptio, quia sicut per adoptionem ciuilem mutantur genus, familia, & conditio, *l. si paterfam. de adopt.* ita per hanc spiritalem exuitur seruitus, & homo fit nouus, renascitur, regeneratur, & reuiuiscit, *can. ex quo, & can. non ex quo. de consecrat. dist. 4.* ideo frequentissime ista cognitio comparatur baptismo, *can. 1. & penult. 30. q. 3.* adeo vt cognatio eadem nascatur per compaternitatem, quae per adoptionem.

III. Cognationem cum dicimus, nomen generale intelligi debet, quod complectitur agnationem, & cognationem: agnatio est nomen iuris, nomen speciale, quo ii tantum denotantur, qui nobis per patrem coniunguntur, qui sunt ex familia patris, non matris, *l. 4. §. penult. de gradib. & affinib.* per adoptionem ius istud agnationis tantum acquiritur, non vero ius sanguinis, siue cognationis specialiter sumptum, vt VLP. ait in *l. 12. §. vlt. de ritu nupt.* PAVLVS *in l. qui in adopt. 23. de adopt.*

IV. Quum igitur susceptio de lauacro, seu compaternitas imitetur adoptionem, necessitudo tantum, & affinitas ciuilis, sicut per adoptionem contrahitur; quod indicat dictus *can. 1. & can. post susceptum. ead.* & in eo differentia est inter cognationem naturae, siue carnis, & ciuilem, quod illa longius, quam haec diffunditur: ciuilis namque, quae fit per adoptionem, & spiritualis, quae eius sequitur exemplum, personas cum quibus contrahitur, vix egreditur, *can. qui spiritualem, & seq. 30. q. 4.* quemadmodum enim per adoptionem ex foemina, seu vxore patris adoptiui nulla nascitur adoptato cognatio, nullus fit ei auunculus, aut matertera, *d. l. 12.* quia vxor non est in familia viri, nisi ex iure veteri in manum conueniisset, vt est apud VLPIANVM *lib. reg.* ita nec ex parte eius, quae vxor est patris, spiritualis vlla compaternitas, vlla cognatio spiritalis concipitur.

V. In-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0056
DFG

V. Inter ſuſceptum vero, ſuſceptamue, & filium, filiamue ſuſcepti, vel ſuſceptae, denique inter eos, qui inter ſe patris, matrisue, & filii, vel filiae, nepotis vel neptis perſonas gerunt, matrimonium nullum eſſe poteſt, *cap. 4. 6. 7. & vlt. hoc tit. cap. 1. de cogn. ſpirit. in 6.* talis cognatio exinde naſcitur, vt eam naturali neceſſitudine maiorem veteres cenſuerint, *can. 53. ſyn. VI. in Trullo;* imo quod maius eſt, eo ſuperſtitionis Graeci deuenerant, vt hanc cognationem tam late diffundi debere, quam ſanguinis exiſtimauerint, quod tamen improbat BALSAMON, coarctans ad caſus iure ciuili expreſſos, vt permiſſum matrimonium intelligatur iis, qui nominatim non prohibentur, quia edictum de nuptiis eſt prohibitorium. *cap. cum apud. de ſponſal. ſup. arg. can. conſaluiſti. 2. q. 5.*

VI. Hodie tamen *concilio Trident.* tales cognationes omnino imminutae ſunt, ita vt cognatio ſpiritalis tantum contrahatur inter ſuſcipientes, inter ſuſceptum, ſuſceptamue, & patrem eius, vel matrem, inter baptiſmi miniſtrum, miniſtramue, & baptizatum, vel baptizatam, & patrem eius, vel matrem, fraternitate omnino ſublata, *cap. 2. de reform. ſeſſ. 24.* compaternitatis ſeruata eſt cognatio, quae per patrem nouum, vel matrem oritur; ſicut enim adoptio imitatur naturam, ita & haec cognatio; quo fit, vt vnus tantum admittatur vir, & vna mulier, non plures cuiusque ſexus, *cap. 3. hoc tit. in 6.* quod ſcilicet generationis naturalis exemplo filium, vel filiam Deo producant, & regenerent, vnde dicuntur compatres, quaſi ſimul patres; ſicut competentes, catechumeni, id eſt ſimul petentes, apud D. AVGVST. patrini, *can. in catechiſmo. de conſecrat. diſt. 4. can. 14. concil. Arelat. IV.* σύντεκνοι apud CEDRENVM, & CONSTANTINVM CABASILLAM in *quaeſt. d. can. 53. ſyn. VI.* & ſicut parentes ſanguinis naturae lex ad alimenta, & educationem adſtringit; ita lex ſacramenti, vnde appellantur ἀναδόχοι, ἐγγυήται, *ſponſores, & fideiuſſores. can. vos ante. de conſecrat. diſt. 4.* TERTVLL. *lib. de baptiſmo cap. 18.*

VII. Primitus vnus tantum vel mas, vel foemina hoc munus obibat, ne duo ſimul ex contracta cognatione familiaritatem, quae nuptias alliceret, conciperent, decreto Leonis I. in *can. non plures. de conſec. diſt. 4.* quantum ad virum, & vxorem id olim videbatur prohibitum, ne qui iam vna caro effecti erant, cauſam diſſidii quaererent, & ad torum ſuum

redire

redire non possent, *can. 1. & 2. 30. q. 1.* hac de causa cum Andouera Chilperico marito suo absente filiam peperisset Chilechindam, & suasu Fredegundis eam de fonte sacro leuasset, rediens Chilpericus repudiauit Andoueram: *non potero*, inquit, *te habere coniugem, cum commatris adepta sis nomen*, quam idcirco cum filia in monasterium detrusit, vt refert AYMONIVS *lib. 3. cap. 6.* sed hoc paulatim euanuit imminutum ab Vrbano II. in *can. vlt. 30. q. 4.* qui licet id non tollat, tamen ab omni labe, & infamia alienum non esse contendit: verum INNOCENTIVS III. *in epist. ad Rosan. archiepiscopum lib. 2. regist.* nullam inter virum, & vxorem oriri dicit compaternitatem, licet alienum puerum teneant in baptismo.

VIII. Non solum autem per baptismum cognatio fit spiritalis, seu & per confirmationem, & catechismum: *can. si quis ex vno. 30. q. 4.* & in his tribus patrinus, compater, seu fideiussor interuenire debet, *can. in catechismo. de consec. d. 4.* ita vt haec affinitas matrimonium impediat. *cap. contracto. hoc tit.*

IX. Catechismus est professio futuri baptismi, & non quidem est sacramentum, sed quid sacramentale, quod fit per sacrati salis pabulum; sal denotat sapientiam, & doctrinam fidei, qua omnis vitiorum putredo sanatur, *can. ex hinc. de consec. dist. 4.* ISIDORVS *lib. 2. de offic. cap. 20.* nullum sacrificium in veteri lege sine sale admittebatur; imo & antiqui omnia sale purificari, & sanctificari existimabant; vnde est, quod aquam maris omnia hominis vitia eluere dicebant. EVRIPID. *in Iphigenia*:

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακὰ.

Hanc salis adhibendi ceremoniam, cum ipso baptismo, non natam fuisse praeter ISIDORVM, & alios, WALAF. STRABO scribit: *alii addiderunt*, inquit, *in baptismatis sacramento exorcismos, alii consecrationem fontis, alii salis &c.* sensim enim ecclesia ceremoniis illustrata fuit.

X. Cur autem catechismus cognationem inducat, ratio est; quia catechismus est quaedam professio futuri baptismi: & sicut in sponsalibus sponsione futurarum nuptiarum species quaedam cognationis, & publicae honestatis contrahitur, per quam matrimonium impeditur contrahendum, non contractum; ita & in catechismo. *cap. 1. & 2. hoc tit. in 6. & cap. 3. 6. & penult. hoc tit.*

XI. Praeter catechismum, & baptismum oritur cognatio etiam per confirmationem, *cap. 1. & vlt. hoc tit. in 6.* quia sicut baptismus est

quae-

quaedam generatio ſpiritalis, ita & confirmatio, vt refert D. THOMAS: & ſicut catechiſmus eſt initium, vel, vt loquitur CYRILLVS *Hieroſolymit. catecheſi 4.* γαλακτώδης ἐν Χριϛῷ εἰσαγωγὴ: *lactea in Chriſto introductio*, ita & confirmatio eſt perfectio, quae & ideo perfectionis nomine appellatur, & ſigillum Domini a CORNELIO papa *in epiſt. ad Fabium*, & eſt ſacramentum omnino neceſſarium. *can. 1. & ſeq. de conſecrat. d. 5.*

XII. Sunt & aliae compaternitates minimi momenti ratione cognationis, vt eſt paternitas ſpiritalis ratione poenitentiae, & confeſſionis, *can. omnes. 30. q. 1.* ratione ordinum ſacrorum, quas omnes cognationis ſpecies aboleuit *concil. Trident.* quia nempe in immenſum creuerant, & conſuetudo effecerat, vt in aſſecutione omnium ſacramentorum patrini adhiberentur, imo in dignitatum, & honorum gradibus adipiſcendis, & duelli indictionibus.

TITVLVS XII.

DE

COGNATIONE LEGALI.

I. De cognatione ſpiritali dictum, nunc de legali agendum, quae fit per adoptionem; adoptio eſt legis actio, νόμιμος πράξις, qua quis extraneum filium ſuum facit: natura non tantum filios parit, ſed etiam adoptio, *l. 1. de adopt.* quae ideo dicitur παιδοποιΐα, quae quum ſit naturae imitatrix, nullam aliam parit affinitatem, quam filiorum, & nepotum, qui filiorum loco ſunt, non vero fratrum, ἀδελφοποιΐα non admittitur, quia frater fratrem gignere non poteſt, *l. 7. C. de hered. inſtit.* nec ſimiliter πατρογονεία, quum nemo adoptari poſſit in patrem; quamuis apud veteres & patroni adoptati fuerint, ſed nomine adoptionis improprie ſumpto: ſic ab Achaeis Piſonem patronum adoptatum ſcribit TVLL. *diuinat. in Verrem*, & a Puteolanis Brutos *Philipp. 2.*

II. De hoc genere adoptionis non eſt ſermo noſter, ſed de eo, quo filios nobis acquirimus; duobus nempe modis iure ciuili, adoptione, & arrogatione, *l. 2. de adopt.* certis & ſolennibus ritibus: adoptio per trinam venditionem aeris, & librae; arrogatio curiatis comitiis, & populo

in curias distributo, adhibitis pontificibus fiebat, vt est apud TVLL. *orat. pro domo sua ad pontif.* Translata vero omni imperii potestate in principem, adrogatio principali rescripto fieri coepit, vt videre licet apud VOPISCVM.

III. His solennibus modis successerunt alii quam plures, vsitatior fuit per arma apud barbaros, vt notum est ex CASSIOD. *lib. 8.* & CORIPPO, *lib. 1.*

Cape dona Dei, sceptrisque paternis
Vtere, & augustum, quod defuit, accipe nomen.

Apud Romanos id literis etiam, vel epistolis factitatum docet PROCOP. *lib. 1. belli Persici:* ἀ γράμμασιν οἱ βαρβαροι τὲς παῖδας ποιῶνται, ἀλλ' ὅπλων σκευῇ, & alibi: καὶ κατὰ τάχος εἰς τὴν πράξιν ἠπειγέθην τὴν εἰς ποίησιν ἐν γράμμασι θέσθαι, ᾗ νόμος ῥωμαίοις: contra formam iuris, quo absens adoptari non poterat, *l. neque, & seq. de adopt.* Apud nostrates Francos per comam & capillos, teste PAVLO DIACONO *lib. 6. dial.* per mallones, vt loquitur ANASTASIVS *in vita Dionysii II.* per quos Iustinianus, & Heraclius adoptati fuerunt ab ecclesia Rom. per barbae tactum apud Gothos, sicut Alaricum adoptasse Clodoueum scribit AYMONIVS, *cap. 20. de gestis Francorum lib. 1.* vel per barbae praecisionem, quem morem antiquum fuisse refert idem AYMONIVS *lib. 4. cap. 23.* PAVLVS DIAC. *4. de gest. Longob. cap. 38.*

IV. Et quidem haec adoptio per capillos vsitata fuit apud Christianos, & in ecclesiis saepius facta; qua de causa AYMONIVS vocat adoptionem spiritalem, *lib. 4. cap. 57.* loquens de Carolo Martello, qui filium suum Pipinum ad Luitprandum regem Longobardorum miserat, *vt more fidelium Christianorum eius capillum attonderet, ac pater illi spiritualis existeret:* haec adoptio dicitur fieri *per sacras preces*, διὰ ἱερᾶς εὐχῆς a BALSAMONE, *ad can. 53. syn. VI. in Trullo;* seu potius, διὰ τελετῆς ἱερᾶς, id est, *per sacrum missae sacrificium*, vt idem docet: ex quo notandum missam celebrari solitam in adoptionibus, vt indicat *nou.* LEONIS *24.* licet is locus BALSAMONIS intelligi possit de baptismo: siquidem τελετὴ, & τελείωσις praeter communem significationem, quae denotat initiationem, seu consecrationem, sumitur pro baptismo apud GREGORIVM NAZIANZ. *5. ad Ephesios,* & *3. ad Titum:* nam & vul-

vulgo, ἐν τῷ θείῳ λετρῳ, *in diuino lauacro*, fiebat adoptio, vt Theodosium a Belisario adoptatum fuisse scribit PROCOPIVS *in historia arcana.*

V. Est praeterea alia adoptio, quae fit tegendo aliquem pallio, vel veste, quam barbaros desumpsisse a Iunone scribit DIODORVS SICVL. *lib. 4.* referens Iunonem rogatam a Ioue, vt Herculem sibi adoptaret, eum corpori suo applicitum de sub veste fluere voluit imitata parturientem: de Apelle narrat similia SVIDAS *in Apelle.*

VI. Testamento fiebat etiam adoptio, sic Octauius a C. Iulio Caesare adoptatus fuit, & hunc modum ius ciuile recepit, *arg. l. 7. C. de heredib. instit.* per nominis proprii dationem: sic Adrianus Ceionem Commodum adoptando Aelium Verum appellauit apud SPART. Hi sunt adoptionum modi, quos recensere superuacaneum non duxi, cum ex his cognatio legalis pendeat, quam ex iure ciuili depromptam sequitur omnino ius canonicum.

VII. Haec autem cognatio tamdiu durat, quamdiu adoptio, *cap. vnico. hoc tit.* quod totum petitum est ex iure ciuili in *l. per adoptionem. ff. de ritu nupt.* Aliud dicendum inter eos, qui parentum, & liberorum locum tenent; nam semper soluta adoptione cognatio remanet, *§. ergo. instit. de nupt.* & nuptiae propter reuerentiam prohibentur eorum, qui aliquando parentum loco fuerunt; pudor, & honestas potissimum in nuptiis spectatur, *l. adoptiuus. 14. l. semper. eod.* cui tamen pugnat *l. quin etiam. 55. ff. eod.* in qua CAIVS soluta adoptione filium adoptiuum ducere posse matrem patris adoptiui ait, nisi vt sentit CVIACIVS verbum matrem reiiciendum sit vt subditicium.

TITVLVS XIII.

DE

EO, QVI COGNOVIT CONSANGVINEAM VXORIS SVAE, VEL SPONSAE.

I. Species cognationis persequitur Gregorius hoc tit. eam nempe, quae fit per coniunctionem consanguineae vxoris, vel sponsae, vel e conuerso mariti, vel sponsi; nam in antiqua compilatione titulus vtroque modo concipitur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0061
DFG

II. Primum quidem agendum est de eo, qui iam factae vxoris suae consanguineam ausus est sibi copulare, qui in odium criminis puniendus est, & quasi lege talionis plectendus, vt, in quo peccauit, coerceatur, *cap. literas. de temporib. ordinand.* & ideo debitum ab vxore exigere non possit, *cap. 1. cap. discretionem. hoc tit.* & licet vinculum matrimonii subsistat, praesumitur vxorem non habere, *can. qui dormierit. 31. q. 7.* vbi recte gloss. addit eum quidem vxorem habere, vt cum ea maritali affectione tantum versetur, sed plene haberi ab vxore sua, quia vxor potest ab eo debitum exigere, dummodo ipsa sceleris particeps non fuerit, *cap. tuae fraternitatis. hoc tit.* hoc enim casu vltro citroque prohibentur debitum, quod Graeci τὴν ὀφειλὴν vocat, reciprocum petere, ita vt ob publicam honestatem simul congredi non possint. *cap. ex literis. hoc tit.*

III. Distinguebat Alex. III. vtrum crimen esset notorium, an vero occultum; primo casu publicam honestatem laedi existimabat, & ideo quantumuis inscia foret vxor, ab exactione debiti eam arceri, imo separationem fieri voluit, *cap. 4. hoc tit. in 1. compil.* & licet poenitentiam egisset maritus, ad vxorem redire non posset, quamuis tunc demum benigne id tolerari posset, indulta tamen & concessa ab episcopo licentia, vt ipse ait in *cap. 5. eod.* Inspexit praeterea Alexander gradum cognationis, siquidem illicita coniunctione facta inter proximos, in primo, vel secundo gradu perpetuam continentiam iniungi debere ait *cap. 2. hoc tit. in 1. compil.* in aliis gradibus si notorium fuerit crimen, idem seruandum; si vero occultum, libere post poenitentiam ad τὴν ὀφειλὴν eos redire posse, *cap. vlt. de diuortiis in 1. compil.* quod falso Vrbano III. adscribitur, cum sit Alex. III. vt refertur in *parte 12. cap. 1. concil. Later.* & optime annotauit ANTONIVS AVGVSTINVS.

IV. Hanc differentiam non admisit Innocentius III. in dicto *cap. discretionem:* imo generaliter hoc definiuit; siue notorium, siue occultum fuerit crimen, vxorem posse debitum a marito exigere, dum tamen ipsa sceleris particeps non fuerit; ob publicam tamen honestatem ipsam moneri debere, vt abstineat a tali viro, non vero cogi, & in eo reprobauit sententiam Alex. III. his verbis, *quanquam a praedecessore nostro, &c.* Quod si vxor cognito delicto mariti ei non erubuit commisceri, eadem poena plecti debet, *cap. ex literis. hoc tit.* quod si legatur integrum, vt est in *cap. 3. in 2. compilat.* videtur facessere negotium: siquidem Inno-

cen-

centius III. distinctionem Alex. III. inter publicum, & occultum crimen videtur comprobare, his verbis, *cum hoc factum publicum, & notorium habeatur*, quae ideo Raimundus reiecit a sua compilatione, quae tamen in casu dicti capitis nihil obsunt; siquidem Innocentius III. factum narrans sicut ei propositum fuerat, in petitione partis dicta verba apponit, non vero in responsione sua; nam secundum ius introductum ab Alex. III. partes interrogabant Innocentium III.

V. Verum vt excutiamus integrum titulum, videndum est, an idem ius obtineat in eo, qui consanguineam sponsae cognouit: qua in re distinguendum inter sponsam per verba praesentis temporis, & futuri; primo casu indubitatum est idem ius statui, quod in ducta iam vxore, cum matrimonium sponsae per verba de praesenti ratum fuerit omnino, *cap. discretionem*, id ipsum sentiendum in sponsa de futuro, quando copula subsequuta est, quia tunc verba futuri temporis in praesens tempus conuertuntur, *cap. vlt. hoc tit. cap. a nobis. de desponsat. impub. & cap. per tuas. de conditionib.* sponsalia siquidem conualescunt. *cap. duo. de desponsat. impub.*

VI. Quod si contracta sunt de futuro sponsalia, & vir postea se turpiter consanguineae sponsae suae coniungat, coniungi omnimode, & matrimonium complere prohibentur, & potest quilibet ad aliud matrimonium venire, nisi id ita occultum fuerit, vt commentitium potius, & fictitium ad sponsalia dissoluenda censeatur, *cap. super eo. hoc tit.* in quo pontifex recte addit, praeter allegationem partium fide dignas probationes esse addendas; nam si facile eis crederetur, frequenter sponsaliorum promissionibus, & pactis illuderetur, ideoque id testibus, vel fama publica comprobari debet. *cap. super eo, infra titulo proximo.*

TITVLVS XIV.

DE CONSANGVINITATE, ET AFFINITATE.

I. Huic titulo in tertia compilatione additur, *& publicae honestatis iustitia*, vt sub eo contineantur impedimenta nuptiarum, non solum ratione consanguinitatis, & affinitatis, sed etiam, quae solam honestatem publicam respiciunt. Consanguinitatis nomen hoc titulo su-

mendum non est vt iure ciuili, quo intelligitur tantum ciuilis agnatio, & proximitas fratrum & sororum ex eodem patre. Ius ciuile consanguinitatis nomen proprium fecit, vt suitatis, quae est liberorum; agnationis vero eorum, qui sunt ex transuerso, & hi tantum dicuntur consanguinei, qui ex patre oriuntur, vt loquitur VLP. in *l. 4. vnde cog. & lib. reg. tit. 26.* fratres ex eodem sanguine nati, ὅμαιμοι, & ξύναιμοι, apud SOPHOCLEM, & κασίγνητοι, apud EVSTATH. STATIVS 2. Thebaid.

Et consanguineo glisçit regnare superbo
Exsule.

Et hi omnes tam sui, quam consanguinei, & qui ex transuerso sunt, numero agnatorum continentur.

II. Distant iure ciuili consanguinei a cognatis, qui tantum per foeminas coniunguntur, quae differentia admissa, & obseruata est propter ius successionis; at ius canonicum respexit ad impedimenta nuptiarum, ideoque omisso cognationis, agnationis, & consanguinitatis discrimine, hic sumitur consanguinitas pro cognatione generaliter sumpta, quae omnes consanguineos, agnatos, & propinquos continet. *l. iurisconsultus. de gradib. can. progeniem, & seqq. 35. q. 2.*

III. Diuiditur autem cognatio in tres gradus, eorum, qui superiorem faciunt ordinem, quales sunt pater, auus, abauus, & eorum, qui inferiorem gradum tenent, filius, nepos, abnepos, & reliqui, & transuersales, seu a latere venientes, qui sunt frater, consobrinus, patruus, auunculus, patrueles, & reliqui. Inter eos quidem, qui superioris & inferioris ordinis sunt, nulla vnquam licita fuit coniunctio tam ciuili iure, quam pontificio, *ff. ergo. instit. de nuptiis*, etiamsi non sint ex legitimis nuptiis. *l. adoptiuus. de ritu nupt. l. 1. de concubinis.*

IV. Tota quaestio est de collateralibus, quorum primi sunt fratres, quos ius ciuile in secundo tantum gradu constituit, *l. 1. de gradib.* ius pontificium in primo, *can. series, & can. ad sedem. 35. q. 4. & 5.* cuius autores fuisse Gregorium primum, & Zachariam vulgo existimatur, in *can. porro, & can. parentelae. eod.* quos tamen potius assertores, quam autores existimare debemus; siquidem in veteri lege in primo gradu habiti fuerunt, licet inter eos ob raritatem hominum coniunctio initio recepta fuisset; statim enim fuit damnata: quin & veteres omnes in primo consanguinitatis gradu fratres posuisse constat ex PLATONE, *lib. de rep.*

& ARI-

& ARISTOTELE *2. Politic. cap. 2.* Hierocles philosophus apud STOBAEVM, dum gradus cognationum describit per circulos, in primo circulo parentes, vxores, & liberos ponit, ἔν ᾧ τετάκται γονεῖς, ἀδελφοὶ, γυνὴ, παῖδες: in secundo, auunculos, materteros, auos, auias, nepotes ex fratribus, & consobrinos; in tertio reliquos cognatos, a quo ordine recesserunt iuris conditores. Neque nobis hac in parte adferri debent Graecorum exempla a CVIACIO, quos iuris ciuilis ordinem seruasse recenset, quum hi pertinaciter iura connubialia defenderint, non mirum fuit, si orthodoxae ecclesiae regulas non fuerint amplexi, licet tamen nuptias ad septimum vsque gradum prohibuerint, vt ostendit BALSAMON *tit. 13. nomoc. Photii.*

V. In primo igitur gradu constitutis fratribus, in secundo erunt fratrum filii, seu consobrini, quos in quarto posuerunt iurisconsulti, & ita ius nostrum ex duobus gradibus legalibus vnum canonicum effecit, vt ait Alexander III. in *d. can. ad sedem*, qui ordo in ecclesia semper locum habuit, nec olim ecclesiam aliter numerasse gradus, sentiendum; quamuis D. AMBROSIVS *lib. 8. ad Paternum*, legum numerationem obseruarit, & fratres numerarit in secundo, consobrinos in quarto gradu.

VI. Nam certum, caesarum leges praeualuisse pontificiis in hac parte, vsque ad Theodosium imperatorem, qui matrimonia inter consobrinos prohibuit, *l. 2. C. Theod. de incestis nuptiis*, quod indicat Gregorius in *can. quaedam. 35. q. 3.* dum ait consobrinos in ecclesia in secundo gradu numeratos fuisse, quamuis adhuc inter eos coniugium licitum esset; sed quia nefarium visum fuit, & ex eo sobolem non posse succrescere experientia docuit, coniunctio illa reducta fuit vsque ad septimum, vel saltem sextum gradum, *can. progeniem, & seq. eod.* & antea, licet vulgo id permitteretur, tamen suspectum maxime erat, & propter vicinitatem illiciti inter fratres coniugii horrebatur, vt quod fiebat cum consobrina, pene cum sorore fieri videretur, ait D. AVGVST. *lib. 15. de ciuit. cap. 16.* saepe etenim consobrinos vocatos fuisse fratres germanos, & consanguineos constat, & sic Tobias vxorem suam, quod ex eadem cognationis stirpe esset exorta, vocauit sororem, & Loth frater Abrahae dicitur, quamuis Abraham eius esset patruus, vt scribit D. AVGVST. *lib. 22. contra Faustum:* paulatim horreri coepit coniunctio inter cognatos, ita vt prohibitio vsque ad extremos gradus fuerit producta, donec

Inno-

Innocentius III. ad quartum consanguinitatis gradum reduxit in concilio Later. *cap. non debet. hoc tit.*

VII. Alia longe dissimilis est cognatio, quae veniens ex affinitate, cognatio abusiue dicitur, vt recte BALSAMON ad *d. tit. de laicis, cap. 2.* καταχρησικῶς συγγένεια ἐξ ἀγχισείας, ἤτοι συμπενθερίας: ideo CALLICRATDES ille Pythagoricus apud STOBAEVM adscititios huiusmodi affines vocabat, ex nuptiarum coniunctione ortum ducentes, οἰκεῖοι δὲ ἐπίκτητοι συγγενεῖς ἀπὸ τὰς τῷ γάμῳ κοινωνίας λαμβάνοντες τὰν καταρχάν: nuptiae originem dant affinitati, *l. 4. ff. adfines. de gradib. cap. 5. hoc tit.* & quod notandum est, affines non constituunt inter se gradus, cum ex affinibus affines non generentur: nunquam, inquam, constituitur gradus, sed genus, adeo vt non eodem modo numerentur genera affinitatis, quo gradus; quia saepissime contingit, vt qui tertio, quarto, vel quinto gradu consanguinitatis iunguntur, non eodem genere affinitatis tangi censeantur, sed primo, *cap. 2. in 1. compil. hoc tit.* quod refertur non quidem integrum in *cap. 1. hoc tit.* verba vim faciunt; *surrexerunt duo proponentes coniuges in quinto gradu consanguinitatis; & primo genere affinitatis sese contingere:* quibus verbis agnoscimus affines primi generis dici dici eos, verbi gratia, qui viro primae vxoris erant cognati; secundi vero generis eos, qui vxoris propter alias nuptias sunt affines, & ita de reliquis.

VIII. Hi autem affines nil operantur circa gradus cognationum, quos nunquam mutant, sed peculiare genus faciunt; & vt vox illa, *genus*, intelligatur, non logicorum sensu sumenda est, sed iurisconsultorum, quo intelligitur quod logici speciem faciunt; ita vt hoc genus sit quoddam genus speciale, vt loquitur SENECA.

IX. Exemplum proponit glossa optimum in *d. cap. non debet*, ego & frater sumus consanguinei, vxor fratris est mihi affinis, non quidem ratione gradus consanguinitatis, qui est inter me, & fratrem, sed ob nuptias, quae statuunt, & formant primum genus affinitatis, seu attinentiae; quia alio genere attingor vxori fratris, quam ipse fratri: vno verbo, primum genus est, cum persona per carnis copulam alterius consanguineo adiicitur; secundum, cum persona primo generi additur; tertium, cum persona secundo: & ita recte PANORMIT. Nuptiae quidem non constituunt hos gradus affinitatis, sed formant genus, ex quo gradus cognationum

tionum descendunt: TVLLIVS *I. offic.* hoc voluit; *sequuntur*, inquit, *connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui.*

X. In primo genere affinitatis non tantum olim erat prohibitum matrimonium, sed etiam in secundo, & tertio, *can. de propinquis, & seq. 35. q. 2. & 3. & can. porro. eod. q. 5.* quod satis demonstrat Innocentius III. in *d. cap. non debet*, qui in concilio Later. hanc prohibitionem vltra primum genus trahi noluit; nec absque ratione, cum hoc triplex genus affinitatis numquam lege diuina fuerit cautum, sed potius disciplina iurisperitorum, quod innuit P. BLESENS. *epist. 115. Inueniuntur canones, ex quorum intelligentia triplex affinitatis genus, & in eis diuersorum distinctionem graduum industria scholaris explicuit; sed iuxta conscientiae meae iudicium, noua haec inuentio, & traditio magistralis matrimonio non praeiudicat;* ideo acrius inuehit, quia nondum Lateranensis concilii constitutio edita fuerat.

XI. Est praeterea publicae honestatis iustitia, qua nuptiae prohibentur, etsi nullum affinitatis vinculum interceserit, sed tantum vmbra quaedam, quae sufficit, vt de extraordinaria libidine dixi sup. *ad tit. de desponsat. impub. cap. inuenis. cap. ad audientiam. cap. si sponsam. sup. de sponsalib.* in quibus sponsam consanguinei non licet vxorem ducere, licet nuptiae, & commistio non fuerint subsequutae, & hoc propter publicam honestatem, quam etiam iuris ciuilis autores amplexi sunt in *l. vxorem, in l. & nihil. ff. de ritu nupt.* in qua ait, etsi nuptiae non interceserint, tamen inter cognatos vulgo quaesitos matrimonium prohibetur; quae ratio locum habuit & in seruis, inter quos licet matrimonium non esset, sed contubernium, tamen leges coniunctionem prohibuerunt pro ratione graduum in matrimoniis obseruandorum, & hoc propter eandem honestatem: naturale enim ius, & pudor est inuestigandus ait PAVLVS in *l. adoptiuus. §. seruiles. eod.*

XII. Est & alia publica honestas, quae sublata fuit constitutione Later. concilii, *d. cap. non debet*, ideo nulla rescripta congessit Raimundus, quamuis in prima compilatione specialis sit titulus, nempe de sobole susceptа ex secundis nuptiis.

TITVLVS XV.

DE FRIGIDIS, ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEVNDI.

I. De impedimentis nuptiarum tam ratione ſtatus, & conditionis, quam conſanguinitatis, & affinitatis actum fuit; conſequenter videndum fuit de impedimentis, quae proueniunt ratione defectus corporalis, quem triplicem facit Gregorius in hoc tit. *frigus*, *maleficium*, & *impotentiam*, quaſi haec tria diſtinguenda ſint, quod & innuit vetus compilatio.

II. Frigiditas primo inſpicienda eſt, quae vel a natura, vel caſu procedit: alios etenim eunuchos natura, alios vis hominum facit, *can. qui ſtitit. 33. q. 5.* natura dicuntur eunuchi, qui ita frigidi ſunt, quorum natura ita frigida, vt operam carni dare non poſſint, *can. requiſiſti. 33. q. 1.* qui ſunt imbecilles, & ſegnes, VIRGILIO *frigida bello dextera*; ideo pueri, ſiue infantes propter naturae imbecillitatem nuptias contrahere non poſſunt, *cap. quod ſedem. hoc tit.* adeo vt contractum matrimonium, poſt legitimum aetatis tempus confirmatione egeat. *cap. a nobis. ſup. de deſponſat. impub.*

III. Quaerit gloſſa, an de ſenibus, & aetate confectis idem ſentiendum, qui pueris frigidiores ſunt, ſenectus enim omnino frigida eſt, & vt ARISTOTELES ſcribit *5. de gener. animalium cap. 4.* τὸ γῆρας ψυχρὸν καὶ ξηρόν ἐϛι. Hac de cauſa olim lege Pappia inter ſexagenarium & quinquagenariam nuptiae vetitae erant, quaſi in hac aetate prolis ſuſcipiendae ſpes eſſet adempta, quam tamen IVSTINIANVS ſuſtulit in *l. ſancimus. C. de nupt.* non enim ſpes liberorum euanuit, nec adeo vires effoetae ſunt, vt medici ſentiunt, quin naturae ſatisfacere poſſint; ideo canones contra ſtatuerunt, decrepitis etiam ſenibus contrahere permittentes ad humanitatis, & imbecillitatis ſolatium, vt ait D. AVGVST. in *can. nuptiarum. 27. q. 1.* quod & Iuſtinianus annuit in dicta lege, dum generaliter omnibus tam infra, quam ſupra ſexageſimum annum nuptias inire concedit.

IV. Nu-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0068
DFG

IV. Nuptiae non tantum liberorum habendorum, vel libidinis explendae causa institutae fuerunt; sed etiam ad mutuum obsequium, & solatium, ad vitae societatem, πρὸς τὴν βίε συμπάντων κοινωνίαν, ad consortium, & communionem totius vitae, vt loquitur MODESTINVS in *l. 1. de ritu nupt.* Hunc duplicem scopum matrimonii, vt veteres denotarent, duplici annulo vtebantur; vno, quem vocabant δακτύλιον ἁρμοςὴν παιδεργῦ συμβιώσεως, id est, *procreatricis coniunctionis conciliatorem;* altero, quem δακτύλιον σωφρονιςὴν, id est, *temperantiae magistrum;* hunc vxori suae dedisse Theosebium ad continentiam seruandam, sublato altero, cum liberos ex ea non suscepisset, refert DAMASCIVS in *vita Isidori philosophi* apud PHOTIVM.

V. Frigus illud aetatis, & corporum temperatur calore, & igne huius communionis, sicut idem calor frigore, seu diuortio aliquando absumitur; vnde diuortium frigus dicitur, & rixa leuissima inter coniuges friguscu-lum, in *l. cum hic status. de donat. inter virum:* vetus inscriptio Prisci Aurelii ad tumulum Faustinae vxoris suae, quam diu solam reliquerat; *longum coniugalis tori frigus patienter tulit.* Ergo frigus senectutis non impedit nuptias, sicut nec omne aliud incommodum, quo natura generandi prohibetur, vt loquitur iurisconsultus in *l. 9. de liberis, & posthum.* δύναμις πρὸς διαδοχὴν τῦ γένες, vt ait LEO *nouell. 66.* dummodo corporis partes implicatae, & impeditae non sint, quo in genere sunt spadones, qui licet prolem suscipere non queant, tamen Veneri inseruiunt, quibus mulieres abutuntur, quae parere nolunt, vti refert IVVENALIS *sat. 6.* D. HIERONYMVS *contra Iouinianum*, vocat *spadonem in longam, securamque libidinem exsectum.*

VI. Et quamuis scopus nuptiarum sit liberorum procreatio; tamen sola sterilitas ad soluendum matrimonii vinculum non sufficit, *can. tantum. 32. q. 7.* & glos. in *can. hi qui. ead.* D. AVGVST. *lib. 1. de nuptiis ad Valerium Comitem, cap. 10. Huius sacramenti tanta obseruatio est, vt cum filiorum procreandorum causa nubant foeminae, vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia foecunda ducatur:* quamuis legibus suis statuerit contrarium PLATO *lib. 6.* vt si qui steriles per decennium fuissent, consilio cum cognatis ex parentibus habito disiungerentur, quod etiam sequitur PANORMITANVS; quamuis spado impotens non sit, tamen si inutilis ad generandum detegatur, nullum contrahere matrimo-

nium contendit; ait enim legem Rom. non praecipere contrarium, licet consuetudo Rom. talis sit: quem sequuntur etiam theologi quidam, nixi authoritate legum Romanarum, quae nuptias liberorum quaerendorum causa institutas asserunt, vnde CALLISTRATVS in *l. liberorum. de verb. signif.* ait, pios parentes dici, qui liberorum causa vxores duxerunt; quod confirmare videtur *can. requisisti. 33. q. 1. & cap. 1. hoc tit.* his verbis: *volo mater esse, volo filios procreare, & ideo maritum accepi.*

VII. Nec obstat, quod dicitur in *d. can. requisisti, & cap. consultationi. hoc tit.* vt qui sicut coniuges esse nequeunt, sint vt fratres; hoc enim ius commune non esse, sed consuetudinem ecclesiae Rom. docent Alex. III. & Clemens III. in *cap. 2. 3. & vlt. in prima compil.* nec ita in aliis regnis, & ditionibus obseruari ostendit idem Alex. in quibus contrarium ius tolerai ait, praesertim in Gallia. Verum haec consuetudo Rom. ecclesiae non tam praeceptum, quam consilium dicendum est. Quod autem quidam censuerunt spadonem recte contrahere matrimonium posse, hoc dicendum ex summa contentione inter Proculeianos, & Cassianos, quia aliquando generare possunt, aliquando non.

VIII. Qui vero omnino exsecti, aut contusi sunt, qui tam potentia, quam generandi facultate priuantur, hi procul dubio a nuptiis arcentur, nuptias soluunt, *cap. ex literis, cap. laudabilem, & cap. fin. hoc tit.* quales sunt thlibiae, tlasiae, & ectomiae, qui per collisionem, ruptionem, & excisionem, inutiles facti sunt, qui omnes enuchorum, & spadonum nomine generaliter sumpto continentur. *l. 5. C. qui test. fac. poss. l. spadonum. de verb. signif.*

IX. De maleficiatis est altera tituli pars, de qua constitutio nulla in hoc tit. licet duae constitutiones exstent in prima compil. *cap. 2. & 3.* in quibus agitur etiam de Rom. ecclesiae consuetudine, ob maleficium solui non debere matrimonium: per maleficium intelligitur incantatio, quemadmodum in *tit. C. de malef. & math.* maleficiati sunt incantati, quibus magicis artibus naturae facultas impedita, qui etiam vocantur frigidi, id est venenati, ob philtra, & pocula amatoria, quae solent propinari; omne enim venenum frigidum est, vt ait ISID. *cap. 4. l. 2.* qua de causa serpentes, quia venenis & incantationibus subditi sunt, dicuntur frigidi a VIRGILIO *eclog. 8.* & TIBVLLO *lib. 1. eleg.*

Cantus & iratae detinet anguis iter.

Homi-

Homines ſicut ſerpentes incantantur PLATO *2. polit.* Θρασύμαχος γάρ μοι φαίνεται ὥσπερ ὄφις κηληθῆναι, id eſt, *videtur mihi Thraſymachus tanquam ſerpens carminibus delinitus.*

X. Incantationes autem & maleficia duos diuerſos effectus ſortiuntur; nam aliquando ita duo amoris vinculis conſtringuntur, vt omnino depereant, & mirum in modum torqueantur, quae incantatio fit per nodos quosdam, & ligaturas, vt de numismatibus Alexandri M. refert CHYSOST. *homil. 21. ad populum Antioch.* τί ἂν τις εἴποι περὶ τῶν ἐπῳδαῖς καὶ περιάπτοις κεχρημένων, καὶ νομίσματα χαλκὰ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ταῖς κεφαλαῖς, καὶ τοῖς ποσὶ περιδεσμούντων; id eſt. *Quid vero diceret aliquis de his, qui carminibus & ligaturis vtuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti, vel pedibus?* & per licia triplici diuerſa colore; & quidem ex lana, apud ARTEMID. *lib. 1. cap. 79.* καταδεσμοὶ καὶ τῶν ἐρίων πεποιημένοι: lanis enim veteres multum tribuebant, & eas vt religioſas colebant, PLIN. *lib. 28. cap. 2.* haec licia, Veneris vincula vocat VIRGIL. *in Bucolicis*, quia his diris, & maleficiis amantes deuoueri, & defigi dicuntur, non quod vincula, & καταδεσμοὶ proprie ſint defixiones, ſed carmina, & imprecationes apud PLINIVM *lib. 18. c. 2.* nec tam defigi dicantur, qui vltro amoris aeſtu vexantur ob nodos, & obligationes, quibus vtuntur magi, quam ob cereas imagines, quibus eos deuouent & defigunt, eorumque corporibus morbos, & mala infligunt; configentes eas ſtylis & acubus, & maledictis inuoluentes; PET. BLESENS. *epiſt. 61.* ſuggeſtione ſiquidem diaboli quaedam mulieres cereas, ſiue luteas formant imagines, vt ſic hoſtes, vel amaſios torqueant, & incendant. OVID.

Sagaque Phoenicea defixit nomina cera,
Et medium tenues in iecur vrget acus.

XI. Aliquando vero ex aduerſo iisdem nodis ita implicant, & conſtringunt amantes, vt omnem amoris vim depellant, & frigidos omnino reddant, *can. ſi per ſortiarias. 33. q. 1.* OVIDIVS *lib. 3. amorum. eleg. 6.*

Quid vetat, & magicas neruos torpere per artes,
Et iuueni, & cupido carmen obeſſe viro?

Apud HERODOTVM *lib. 2. ſub finem*, Amaſis deuinctus eſt, ne cum vxore Laodice conſueſceret, cui rex dixit; ὦ γύναι κατὰ με ἐφάρμαξας.

XII. Per frigidos & maleficiatos non solum masculos, sed etiam foeminas dicimus; saepe enim foeminae natura sua ita frigidae sunt, vel incantationibus deuinctae, vt viro satisfacere non possint, *cap. ex literis, & cap. fraternitatis. hoc tit.* quae impedimenta soluunt omne matrimonium, vel nullum reddunt, & quidem statim, si vitium illud, & morbus emendari non possit, quod indicant verba *cap. laudabilem. hoc tit. si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium;* eo casu, quo frigiditas dubia est, exspectari debet triennium continuum, quod ius sumptum est ex *nou.* IVSTIN. *22.* cum ante biennium statutum esset in *l. penult. C. de repud.*

XIII. Si enim talis sit impotentia, quam tolli numquam posse euidenter appareat, tunc tempus a Iustiniano, & canonibus praefixum non est exspectandum, quod raro contingit, quum tam difficile, & obscurum sit diiudicare, quippe impedimenta illa plerumque momentanea sunt. SENECA 2. *controuers. 13. exspecta, potest parere, non respondet ad propositum, nec ad certum diem foecunditas, sui iuris rerum natura est,* tot enim fraudes intexuntur, vt post solutum matrimonium tam vir quam vxor alias nuptias rite peragant, & ideo hoc casu posterius matrimonium rescindit, primum redintegrari debere statuit Innocentius III. *in cap. fraternitatis. hoc tit. d. can. requisisti. 33. q. 1.* quod tantum locum habere in frigidis, non vero maleficiatis scripsit HINCMARVS *in d. can. si per sortiarias*, rationem reddit D. THOMAS, & MAGISTER *4. sententiarum; dist. 3. q. 2.* quia frigiditas est generalis quoad omnes, maleficium vero quoad vnum, vel vnam tantum, non enim potentia, & facultas naturalis exhausta est, sed sopita, & ligata.

TITVLVS XVI.

DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTVM ECCLESIAE.

I. Alius hoc titulo modus soluendi matrimonii proponitur, quoti es contra ius canonicum, & leges ecclesiasticas contractum est; quod enim contra interdictum, & ordinem ecclesiae factum est, ratu m

non

non haberi, & tanquam inordinatum tam diuinae, quam humanae legis proclamat autoritas, ait *cap. primum, eod. tit. in prima compil.* contra legum praecepta, vel contra mandata, conſtitutionesque principum. *l. 4. C. de inceſt. nupt.*

II. Differentiam ponit gloſſa: aut prohibitio, & interdictum cauſam habent perpetuam, aut temporalem; perpetuam veluti conſanguinitatem, quae ſi manifeſto liqueat, ſtatim ſoluitur matrimonium, ſi non liqueat, ſuſpenditur ad tempus conuerſatio, *can. contra dicimus. 35. q. 3. cap. de muliere. hoc tit.* nec dici poteſt matrimonium ipſo iure nullum eſſe, ſicut de ſententia iudicis, quae ſi ſit contra leges, canones, aut bonos mores, παράνομος, eſt ipſo iure nulla *cap. 1. ſup. de ſent. & re iud.* licet irritari, & caſſari debeat. *cap. tua. ſup. de ſponſa duorum. cap. ad diſſoluendum. ſup. de ſponſalibus.*

III. Si vero prohibitio ſit momentanea, & temporalis, veluti ſi duo impuberes fuerint deſponſati, vel omiſſis eccleſiae ſolennibus, & temporibus non obſeruatis, matrimonium tenet, impoſita tamen poenitentia propter delictum *cap. 1. hoc tit.* veluti ſi clam, & furtim contemptis tribus edictis competenti termino publicandis, nuptiae fuerint celebratae. *cap. 3. ſup. de clandeſt. matrim.*

IV. Quod ſi ea, quae nominatim ad ſacramentum perficiendum deſiderantur, neglecta fuerint, vt eſt ἱερολογία, tunc verum non eſt matrimonium, quod ſolus conſenſus facere non poteſt, ſed potius redolet ſtuprum, & ideo tales perſonas iure matrimonii potiri vetat IVSTINIANVS in *nou. 24.* & LEO *nou. 89.* non ſeparantur tamen, ſed ad benedictionem recurrere debent: quod de clandeſtino matrimonio ſentiendum, & de omnibus aliis, quae vel ob conſanguinitatem, affinitatem, vel perſonarum conditionem prohibentur, vt ſupra diuerſis titulis diximus, qui in eo differunt ab hoc noſtro titulo, quod illi tantum rationem, & cauſam interdicti exquirant, hic vero modum, & ius ſoluendi, vel confirmandi matrimonii contra iuris ordinem contracti.

TIT V-

TITVLVS XVII.

QVI FILII SINT LEGITIMI.

I. Quia matrimonium maxime liberorum causa institutum est, ideo postquam de modis, quibus iustum & legitimum, & quibus nullum, vel illegitimum fit, dictum est, de liberis merito agendum fuit, vt videatur quomodo, & quando sint legitimi: hinc enim matrimonium dicitur legitimum, & nuptiae legitimae eorum, qui secundum legum praecepta conueniunt, *can. aliter. 30. q. 5. §. 1. inst. de nupt.* & vxor dicitur legitima, quae secundum leges, & canones ducta est, *can. qualis. 30. q. 5. cap. filius. sup. de filiis presbyt.* OVIDIVS *5. amorum*:

Quae legis causa nupsit tibi Laelia, Quinte,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Ita etiam filii dicuntur legitimi, γνήσιοι, qui ex legitimis nuptiis procreati sunt, *sine crimine*, vt loquitur idem OVID. *eleg. 4. amorum*, non ex adulteriis, incestis, aut meretriciis amplexibus.

II. Quod ideo maxime inquirendum est, ne proles spuria, & iniusta ad hereditatem admittatur: iustae & legitimae prolis voces coniungo in quaestione hereditatis adipiscendae, quamuis differre aliquando iustos a legitimis non inficiemur; vt legitimos dicamus, qui ex veris nuptiis orti sunt, *l. 29. de statu hom.* iusti sint, qui opponuntur veris; id est, legitimis, & naturalibus, quales sunt adoptiui, & adrogator interrogari solet, an velit, eum, quem adoptaturus sit, iustum sibi esse filium, ait CAIVS *in l. 2. de adopt.* semper filius adrogari debet ex iusta causa: *l. si paterfam. §. in adrogationibus. eod.* quod innuit IVSTIN. *§. in plurimis. instit. eod.* dum ait in plurimis adrogatum assimilari ei, qui ex legitimo matrimonio natus est; iusti aliquatenus dicuntur nati ex concubina, nec tamen legitimi, quia concubina legibus probata fuit: ideo Iulianus *nou. 81.* concubinam imitari legitimam vxorem dicit, concubinatus est extra legis poenam in *l. penult. de concubinis*, adeo vt filius non dicatur incertus; certus est, quem nuptiae demonstrant *l. 5. de in ius voc.* ita certus, quem concubinatus demonstrat, vt docet CVIACIVS *ad nou.* IVSTIN.

18.

18. Similiter iusta hereditas distinguitur a legitima, & legitimum pactum a iusto.

III. Ex his ostenditur iustos filios alios esse, quam legitimos, quamuis vtraque vox, τὸ νόμιμον, vel, τὸ γνήσιον, καὶ τὸ δίκαιον promiscue vsurpentur, *l. eius. ad municipal.* quinimo & saepius iusti dicantur, qui sunt legitimi, & e conuerso, vt indicat titulus *de naturalibus liberis, & ex quibus causis iusti efficiantur. C.* quam differentiam a iure canonico non improbatam existimare debemus, quamuis concubina iuste detineri nequeat, *can. si quis. & can. fin. 33. dist.* quippe natus ex concubina, qui vocatur naturalis, secundum locum obtinet a legitimo, & praefertur ascendentibus, & transuersalibus, & longe differt ab eo natus ex meretrice, qui non vocatur φυσικὸς, siue naturalis, sed σκότιος, vt ex HOMERO refert BLASTARES, id est incertus, obscurus, tenebrosus.

IV. Sunt & alii modi, quibus filii dicantur iusti, & non sint legitimi, vt de quaesitis per adoptionem diximus supra. Si parentes, qui nuptias inierunt, consanguinitatis, affinitatis, vel aliud quoddam impedimentum nesciuerint, filii non erunt spurii, non etiam legitimi, sed iusti, *cap. cum inter. hoc tit.* in quo verba illa, *legitimi habeantur*, improprie sumuntur pro, *iusti habeantur.* Sicut liberi nati ex ancilla, quam quis liberam existimans duxerit, sunt iusti, *can. si quis ingenuus. 29. q. 2. l. si quis. C. soluto matrim.* Hi non possunt proprie esse legitimi, quia contra leges, & canones nati sunt. *l. quod attinet. de reg. iuris.*

V. His assimilabantur apud Graecos nati ex quartis, aut quintis nuptiis, quos vt spurios reiiciebant, praesertim superstitibus liberis ex prioribus nuptiis, ἀδικεῖ δὲ τοὺς γνησίας αὐτῶ παῖδας, παρασείρων τούτοις καὶ νόθας: & germanos suos liberos afficit iniuria, dum praeter eos etiam spurios procreat, inquit MAT. BLASTARES, περὶ τῶ νόμω τῆς ἑνώσεως.

VI. Eodem modo dicimus iustos ex concubina natos, quam si deinde vir vxorem duxerit, legitimi fiunt, *cap. 1. hoc tit.* subsequens enim matrimonium defectum reparat, quod Iustinianus primum statuit *in l. cum quis, & l. nuper. C. de natural. lib. nou. 12. & 18.* CASSIOD. *7. var. epist. 40.* Diuersa prorsus ratio est eorum, qui ex meretrice, vel adultera editi sunt, viua vxore legitima; hi enim per subsequens matrimonium nec iusti, nec legitimi esse possunt, nec ad patris hereditatem admitti, *cap. tanta. hoc tit.* non enim possunt fieri legitimi per sequentes nu-

ptias, nisi eo tempore, quo concepti sunt, parentes iure coniungi potuerint, *c. causam. hoc tit.* non durante priori matrimonio, nisi iudicio ecclesiae solutum fuerit *cap. perlatum. hoc tit.* causa, cognita vel suadente vtilitate publica, *cap. vlt. hoc tit.* si expedierit, vt dicitur in *can. si qua mulier. 31. q. 1.* Alia ratio est in *cap. referente, & cap. penult. hoc tit.*

VII. Cum mulier ignara nubit vxorem habenti; vel consanguineo, hanc ignorantiam aequitas amplectitur, vt filii legitimi censeantur, dummodo re cognita statim recesserit a viro, *l. 38. si adulterium. §. 1. ad l. Iul. de adult.* erranti enim in facto subuenitur, *l. 4. C. de incest. nupt* non ita, si quae errans in iure nupserit, haec enim ignorantia non excusat etiam milites. *l. miles. §. 1. ad l. Iul. de adult.*

VIII. Sed nec aetatis ratio habenda est, nisi ignorantia subsit, sic enim intelligi debet *l. auxilium. 38. de minorib.* quia in delictis, minoribus non subuenitur, *l. si ex causa. eod.* quia pugnat ius naturale, *l. probrum. de verb. signif.* & hoc tam in masculis, quam foeminis iure gentium locum habuit; sed ius ciuile mitius egit cum foeminis, quae cum sexus imbecillitate in lubrico aetatis peccauerunt, etsi ignorantia iuris defuerit: non ita in mare, in quo praeter aetatis defectum haec ignorantia desideratur, vt CVIACIVS docet ad *d. l. 38.* & confirmat fragmentum nuper editum *lib. sing. de adulteriis: qui errore cognito diremit coitum, creditur eius voluntatis fuisse, vt si sciisset se in eo gradu necessitudinis fuisse positum, non fuisset tali matrimonio copulatus.* Ideo statim, & sine procrastinatione coniunctioni renunciare debet, *d. l. 4.* quod si sciens permanserit, tunc consensisse praesumitur. *can. constat. 1. q. 1. cap. ad id. sup. de sponsalib.*

IX. Haec tamen tam de mare, quam de foemina dicenda facile adduci patior, & licet semper faueat aetas, tamen errorem desiderari, quod ostendere videtur PAPIN. *in d. l. excusari solet sexu, vel aetate, vtique si error allegetur.* Hunc errorem desiderauit ius canonicum, *cap. cum inhibitio. §. 1. sup. de clandest. desponsat.* vbi notandum, restricta fuisse sub eodem Innocentio III. in concilio generali, quae supra diximus, ante enim errantibus in facto subueniebat *d. cap. ex tenore*, ob eam rationem, quia qui potest scire, & non scit, perinde est, ac si sciret, & is affectator ignorantiae praesumitur *d. cap. cum inhibitio. §. 1. ignorantia crassa, dolo comparatur*, hoc est quod ait Theodosius in *d. l. 4. errore acerrimo non affectato insimulatoque*; nec omnis ignorantia facti excusat, sed ea tantum,

quae

quae ratione non caret; iuris vero ignorantia non fauet etiam foeminis, nisi diuturnitate temporis fulciatur, *cap. peruenit. hoc tit.* non quod ipso iure lex eis succurrat, sed quod debeant rescripto principis id beneficium obtinere, *l. qui in prouincia. de ritu nupt.* nec id papa solet indulgere, nisi in spiritualibus, ne in temporalibus iuri aliorum praeiudicium faciat. *cap. per venerabilem. hoc tit.*

X. Ignorantia autem necessaria non est in vtroque coniugum, sed in vno fauore prolis, *d. cap. ex tenore*, aliter enim quis foret partim legitimus, partim illegitimus, quod fieri non potest; sicut de statu libertatis dicitur in *l. si duobus. de statu lib.* Et vero *d. cap. cum inhibitio*, non loquitur de ignorantibus, sed de scientibus impedimentum, quorum proli scientiam obesse demonstrat; nisi vnus scierit, alter ignorauerit: nec tantum consanguinitatem, sed etiam gradum scire oportet, aliter praesumitur ignorantia aliquantula facti, quae prodest liberis, licet matrimonium nullum sit, & ita intelligendum *concil. Trident. cap. 5. si quis intra gradus prohibitos scienter contraxerit*, quod maxime decernit contra eos, qui omni timore diuino postposito in contemptum ecclesiae temere contraxerint, vt docet etiam *Clementina vnica de clandest. matrimon.* vbi gloss. nimis rigide omnem ignorantiam iuris damnat, quod quidem verum esse quantum ad matrimonium fatendum est, sed non in praeiudicium prolis: quia & certum ignorantiam iuris excusare mulierculas, sicut & rusticos, & imperitos, qui subtilissimam legum & canonum scientiam callere non possint, *l. vlt. C. de testamentis*: & haec est sententia plurimorum interpretum contra sententiam gloss. *in d. can. vnico*, nam & *d. cap. cum inhibitio*, loquitur de ignorantia crassa, & supina, quae non excusat.

XI. Cur autem, tam solerter distinguantur legitimi a naturalibus, & spuriis, ratio est; quia nec naturales, nec spurii patri succedunt, nec pater illis; nec habent querelam inofficiosi testmamenti *l. si suspecta. §. 1. de inoff. test.* naturalibus aliqua data est praerogatiua, vt alimenta debeant eis patres, non vero naturalibus, *nou.* IVSTINIANI. *18. & 89.* testamento etiam illis pro varietate temporum hereditatem capere licuit, modo ex asse, modo ex tribus vnciis, modo ex semisse, non extantibus liberis legitimis, *l. 1. C. Theod. de natur. filiis. l. humanitatis. l. iubemus. C. eod.* & tandem vt ex asse iterum possint institui, statuit *d. nou.* IVSTINIANI: id consuetudinis regiae fuisse SERVIVS docet, *vt liberi ex con-*

cubinatu succederent, aliis deficientibus in tertium Aeneid. Apud Graecos mille drachmas accipiebant, & id vocabant νοθεῖον, apud HARPOCRATIONA, & ARISTOPHANEM. Quod in Gallia obseruatum docent veteres formulae, quae ex lege & consuetudine id fieri dicunt. Aliud est in matribus, quibus succedunt ab intestato filii spurii ex senatusconsulto Orfitiano, *§. nouissime, de senatuscon. Orfit.* & eis competit querela inofficiosi testamenti. *d. l. si suspecta.*

TITVLVS XVIII.

QVI MATRIMONIVM ACCVSARE POSSVNT, VEL CONTRA ILLVD TESTIFICARI.

I. Causas, quibus matrimonium nullum, vel inutile fit, exposuisse satis non est, nisi & de personis, quae accusandi, & impugnandi ius habent, dicamus, quas easdem esse cum illis, quae crimen adulterii intendere possunt, non omnino admittendum est; quippe maritus praecipuam habet adulterii accusationem *cap. maritis. infra. de adulteriis*; qui tamen non potest impugnare matrimonium contra legem contractum, quia videretur taedio, ira, vel odio, vel etiam nouarum nuptiarum desiderio id facere, *cap. 2. hoc tit. in 1. comp. c. 2. eod. in 2. compil.* nisi statim vel breui post nuptias tempore hanc accusationem instituerit; quia si longum tempus cum vxore sine rixa egerit, non est audiendus; *si eam longo tempore tenuerit, non debet vox suae accusationis admitti, nisi aliae personae idoneae apparerent*, inquit Alex. III. *in d. cap. 2. longum tempus*, quale sit, & quale intelligat pontifex, non est in comperto.

II. Accusatio quidem adulterii debet fieri intra sex menses vtiles, *l. 4. §. 1. & l. miles. §. sexaginta. ad l. Iul. de adult.* Sed an idem tempus huic accusationi conueniat, quod non videtur sentire Alex. qui in *cap. 1.* aliquot annos constituit, & in eo laborat gloss. ait enim saltem duos sine vllo fundamento, satius esse triennium praefigere, quod solet indulgeri conquerentibus ob frigiditatem, vel maleficium *cap. laudabilem. sup. de frigid.* aut potius decennium, quo longum tempus definitur apud PAV-

LVM

LVM *5. sentent. tit. 2.* & Iustinianum in *l. vlt. C. de longi temp. praescript.* quod tempus intelligere videtur Alexander, dum in *d. cap. 2.* minorem terminum coniugibus, quam parentibus praefigit, nempe vt vnus coniugum post longum tempus non possit conqueri, sed nec parentes, si accusationem instituant post decem & octo, vel viginti annos; quam constitutionem confirmauit Innocentius III. in *cap. 2. eod. in 3. compilatione.*

III. Nec tamen id indistincte accipiendum est; siquidem coniuges, vel parentes accusatores, qui tempore matrimonii, vel paulo post impedimentum didicerunt, non sunt inuicem audiendi, quum sit tolerabilius contra statuta canonum coniunctos pati, quam contra statuta Domini separare, *cap. 3. eod. in 3. compil.* quod confirmat Innocentius III. *in cap. vlt. hoc tit.* hac cautione tamen adiecta, vt si tempore contractus praesentes fuerint, qui postea accusare volunt, & dum banna, & denunciationes publice in ecclesia proponerentur, tacuerint, non sint audiendi; sed tantum, qui absentes, vel iustam ignorantiae causam habuerunt.

IV. Et aduertendum, pontifices non ideo legem ecclesiae destruere, quae matrimonia inter consanguineos, & affines dirimunt, sed pro temperamento adhibent aequitatem longi temporis, & liberorum procreationem, tum etiam silentium, quae omnia tueri potius debent: non quod ipsi nominatim id comprobent, sed sub dissimulatione tales personas simul manere permittant, vt ait CLEM. III. in *cap. 2. hoc tit. in 2. compil. cap. 1. eod. in tertia*: nec enim quandocumque libuerit, debet patere via impetendi matrimonii accusatoribus: sic intelligi debent *canon, notificamus, & seqq. 35. q. 6.* non vero idem tempus diutinum in aliis impedimentis seruandum est; si enim ob solennia omissa, vel aetatis defectum accusatio instituatur ab vno coniugum, vel a parentibus, sane modicum tempus, quo simul & pacifice coniuges vixerunt, ratum matrimonium facit, & confirmat, ita vt dissolui, & impugnari non possit. *cap. insuper. hoc tit. cap. de illis. sup. de desponsat. impub. cap. 1. de matrim. contracto &c. in 1. compil.*

V. Qui autem sunt, qui ad accusationem admittendi sint, refert FABIANVS in *can. 1.* & COELESTINVS *in can. 2. 35. q. 6.* Parentes nempe, fratres, propinqui, tum deinde cognati, nec hi solum, sed etiam extranei, *d. can. notificamus*, non ita in accusatione adulterii, ex constitutione Constantini; ratio est, quia in illa magis laeditur publica

cauſa, in hac parentum tantum, & propinguorum intereſt, quos verus dolor tangit *l. quamuis. C. ad l. Iul. de adult.* HARMENOPVLVS *lib. 6. tit. 1.* hic ergo teſtes, & accuſatores etiam extranei admittuntur, dummodo ſint omni exceptione maiores; *cap. 1. de conſang. & affinit.* nec eos excludit Clem. III. *in cap. videtur. hoc tit.* quia ordinem tantum, quo accuſatores admittuntur, proponit, vt poſt parentes, & proximiores viri aetate & fama graues recipiantur duo aut tres ex antiquioribus, *d. can. notificamus*, ex ſenioribus & melioribus loci, ait Eugenius III. in *cap. quoties. ſup. de teſtibus*, quod reſcriptum Alexander III. inſeruit concilio Lateranenſi.

VI. Hoc autem intelligitur tam de teſtibus, quam de accuſatoribus, qui enim accuſare poteſt, is & teſtis eſſe poteſt, *cap. 4. ſupra. de teſtib.* non tamen idem & teſtis & accuſator eſſe poteſt *cap. 1. de conſanguinit. in 4. collect.* Sed nec abſens debet eſſe, nec ſuam accuſationem per tabellam referre, *can. per ſcripta. 2. q. 8.* nec obſtat *canon 1. ead.* quo Calliſtus vetat accuſatorem ſine ſcripto recipi; hoc enim ita intelligendum, dicta teſtium & accuſatorum ſine ipſorum praeſentia, ac ipſorum praeſentiam ſine ſcripto non ſufficere, ſed vtrumque deſiderari; hoc vult Clemens in *cap. 3. hoc tit.* ait enim eos per ſolam chartulae conſcriptionem non admitti: ſed de his ſupra *tit. de teſtib.*

VII. Hoc tantum addendum, contra matrimonium non temere admitti debere accuſatores & teſtes, ſed mature & praeſtito prius iuramento coram epiſcopo, conuocata ſynodo debent probare gradus omnes conſanguinitatis, *cap. ex literis. de conſanguinit. ſup. can. epiſcopus. 35. q. 7.* & in his probationibus accurate videndum, ne confingatur affinitas ad ſoluendum matrimonium, vt ſaepe fit, & docet P. DAMIAN. *de contemptu ſecul. cap. 29. Si quis vxoriae calamitatis incommoditate percellatur, ipſe vir falſae conſanguinitatis lineam texit, & inaudita proauorum nomina per multa argumenta confingit, atque ſimul quosdam in huiusmodi allegationis teſtimonium aduocat.* Per ſynodum autem intelligimus conſilium epiſcopale, forum, ſeu audientiam, epiſcopale iudicium, quod conſtat ex competenti numero ſacerdotum, *l. 9. C. de epiſc. audient.* vocaturque conuentus ſacerdotalis, & ſanctum iudicium in *l. 45. C. Theod. de epiſc. & cler.* & vniuscuiusque dioeceſeos ſynodus in *l. 23. eod.* nec alios ſibi aſſidentes iudices habet epiſcopus, quam canonicos *cap. ex literis. tit. ſeq.* his verbis, *conuocato capitulo ſuo.*

TIT V-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0080
DFG

TITVLVS XIX.
DE
DIVORTIIS.

I. Actum est de modis impediendi, & soluendi matrimonii; sed quia diuortium praecipuus est, recte hic titulus subiungitur.

II. Diuortium latius patet in hoc iure, quam ciuili, & potius repudium dicendum est; siquidem diuortium locum habet tantum inter coniuges, repudium inter sponsos & coniuges, *l. 2. de diuortiis*, quae summa est, & vulgaris distinctio inter repudium, & diuortium, quam sequitur BALSAMON in *tit. 13. nomoc.* PHOTII, sed non vnica; quippe differentiae aliae sunt: diuortium proprie illud erat, quod fiebat ex vtriusque consensu, & contractu rite peracto, *l. nullum. eod. l. iuris gentium. §. vt puta. de pactis*, vel bona gratia, *l. cum hic status. §. si diuortium. l. vitricus, & seqq. ff. de donat. inter virum & vxor.* hac formula: *licet tibi cum bona venia alii nubere, dum te amicus amicam relinquo;* ἔξεσιν ἀπαλλάττεσθαι πρὸς ἕτερον ἐυμενῶς καὶ πράως ἐκδιδομένην παρὰ φίλε φίλην, vt scribit DAMASCIVS *in vita Isidori:* quod ostendit etiam definitio diuortii, quam tradit CAIVS in *l. 2. de diuortiis*, quod dicatur a diuersitate mentium, quia in diuersas partes eunt, qui distrahunt matrimonium, id est, eodem consensu, quo contraxerunt, recedunt *l. nihil. de reg. iur.*

III. Et sicut in contractu, ita & in distractu certa solennia adhibebantur, & septem ciues Romani testes ex lege Iulia, *d. l. nullum:* & hoc est quod ait *lex vnica. ff. vnde vir & vxor: lex Iulia de adulteriis, nisi certo modo diuortium factum sit pro infecto habet;* ideo in eo contractu causa solutionis non inspiciebatur, sed voluntas, καὶ χωρὶς αἰτίας ὁπηνίκα βούλοιντο: id est, *idque sine causa, quando volebant*, ait ZONARAS in *can. 5. apost.* quod correxit IVSTINIANVS in *l. consensu. de repud. & nou. 22.* statuens diuortium sine causa fieri non posse: voluntas autem illa rata non censebatur, nec contractus firmus, quem poenitentia subsequebatur, sed erat potius friuolculum, iurgium, friuolum, & momentaneum, *d. l. cum hic status,* τὸ κατὰ ὀργὴν, καὶ θερμόθητα λεγόμενον, id est, *per iram & calorem,* dicunt basilica *tit. 3. cap. 48.* ira, quae non habet ἐπιμονὴν,

per-

perſeuerantiam, & animum perpetuae diuiſionis, vt loquitur PAVLVS in *l. 3. de diuortiis*, ſed *obnoxiam*, id eſt, *iurgium*, vt loquitur PLAVTVS in *Caſina*: breuem furorem, qui non perficit diuortium, ſicut accuſatio, quae fit aliquo aeſtu, reum non facit. *can. ſi quis iratus. 2. q. 3.*

IV. Repudium differebat olim a diuortio, quia vnius tantum voluntate fiebat, adhibitis certis & ſolennibus formulis ex lege XII. Tab. *Tuas res tibi agito*, *l. 2. hoc tit.* legitimam obſeruationem vocat VLP. *d. l. cum hic;* hac forma repudii vir expellere, & eiicere vxorem dicitur; vxor vero maritum derelinquere a D. CHRYSOST. *ſerm. 19.* ἐαν̀ τοίνυν ὁ ἀνὴρ ἐκβαλεῖν βέληται τὴν γυναῖκα, ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα ἀφεῖναι, id eſt, *quando igitur vir eiicere vult vxorem, & vxor relinquere virum.* &c. non exſpectatur vero vtriusque conſenſus, ſed vnius voluntas tantum facit, quantum vtriusque. *l. ſi conſtante. C. hoc tit.*

V. Et quia iuſtae cauſae erant olim incertae, & ex arbitrio iudicis pendentes, eas certas ſtatuit IVSTINIANVS in *d. l. conſenſu*, & *l. fin. C. hoc tit.*, quas ſi temere quis proponebat, βίβλιον ἀποστασίου ſcribebat, vxor quidem perdebat dotem, & donationem propter nuptias reſtituebat; vir vero donationem propter nuptias non repetebat, & dotem reſtituere cogebatur. Summa & praecipua cauſa vxoris dimittendae fuit adulterium, ſecundum leges ciuiles, at iure diuino vnica & ſola, *can. fieri. 32. q. 7.* MATTHAEI *19. cap.* quam ideo Deus permiſit, vt grauius malum vitaretur, nempe homicidii, in quod procliues fuiſſent mariti aduerſus vxores adulteras, niſi eas domo abigere potuiſſent, vt refert idem D. CHRYSOST.

VI. Differt repudium canonicum a ciuili, quia ciuile dirimit omnino matrimonii vinculum, & nouas nuptias permittit, ſi ſcilicet mutuo diſſenſu ſine vllis vitiis vir & vxor ſeſe ſeiunxerint, & viro quidem ſtatim, mulieri poſt annum: ſi vero libello repudii, vir ſtatim, mulier poſt quinquennium; ita tamen, vt is, qui iniuſte nuncium remiſerit, nunquam ad alias nuptias poſſit aſpirare *l. 1. & 2. C. Theod. de repud.* hoc nunquam voluit lex diuina, licet fuerint quidam, qui diuortia pro libito eſſe permiſſa aſſeruerint, vt Pepuziani, de quibus ZONARAS *ad can. 7. ſyn. Conſtantinop.* ſed nec ius canonicum comprobauit, ſiquidem coniugale vinculum manet, licet coniuges ſint ſeiuncti *d. can. fieri*, & *can. placuit. ead.* hoc aureis verbis inſinuat D. CHRYSOST.

VII. Quem-

VII. Quemadmodum ſerui fugitiui, ſi domum heri reliquerint, catenam ſecum trahunt; ita & mulieres habent legem pro catena, τὰῖς νόμων ἔχουσι καταδικάζοντα, eas vincientem, & accuſantem eos, qui ſibi tales adiungunt; ita vt ſecundae illae nuptiae ſint perpetuum adulterium, & pollutio potius, quam coniugium, μίασμα μᾶλλόν ἐϛιν ἢ γάμος, *can. omnes. 32. q. 7.* quod ita ſtricte obſeruatur, vt dimiſſa vxor, quae deinde alteri nupſit, ſit excommunicata, & perceptione Dominici corporis, praeterquam in articulo mortis, priuetur, *can. fidelis. ead. can. 116. concil. Carthag.* in quo demonſtat ZONARAS antea moris fuiſſe, diuortio facto, nouis nuptiis alligari: ideo excommunicatus fuit Radulphus Viromanduorum dux, & epiſcopi Laudunenſis, Syluanectenſis, & Noniomenſis ſuſpenſi, quod ipſius coniugium ſoluiſſent, & ipſe Petronillam ſororem reginae Francorum duxiſſet, vt ſcribit ROBERTVS *ad* SIGEB. *anno 1142.* & ob id grauiter excandeſcit D. BERNARDVS *epiſt. 216.*

VIII. Quidam peſſime aſſerere auſi ſunt, maritum dimiſſa vxore ob adulterium, aliam ducere, & alio iure vti, quam vxorem ipſam poſſe, ex *can. vxor. 32. q. 7.* vbi id tam dilucide aſſeritur a B. AMBROSIO, vt dubitandi locus non relinquatur; quod confirmat *canon 2. concilii Venetici* ſub Leone I. *Eos qui relictis vxoribus excepta cauſa fornicationis, ſiue adulterii probatione, alias duxerint, ſtatuimus a communione arcendos;* quod confirmari videtur *cap.* MATTHAEI *19.* & tam apertum ſit, vt a quoquam ſuſtineri talis error non poſſit, quippe contrarius verbis apoſtoli, quod ex *can. praecepit. 32. q. 5. can. nihil. 32. q. 6. d. can. hi vero. 32. q. 7.* & aliis probat IVO CARNOT. *epiſt. 122. & 125.* quum & alibi D. AMBROSIVS contrarium ſentiat, & legem aequalem faciat, tam in viro, quam in muliere *lib. 1. de Abraham. cap. 4.* & dilucide MARCVS *cap. 10.*

IX. Nec iuuat, quod in veteri lege libellus repudii daretur tantum maritis, non vxoribus, *cap. 24. Deuter.* & apud IOSEPHVM *lib. 15. cap. 11.* tum quod D. MATTHAEVS id confirmare videtur, cum excepta cauſa adulterii vetat maritos diuertere, alias vxores ducere, & tam in lege veteri, quam noua, adulteras foeminas, non viros accuſari & puniri videamus; quia certe maius ſcandalum eſt propter turbationem ſanguinis, & prolis dubitationem, quae eſt ratio iuris ciuilis.

X. Vnicus casus est, in quo solui potest vinculum matrimonii, & licet alias ambire nuptias; si ex duobus paganis & infidelibus, alter fiat Christianus, quod ex apostoli sententia confirmat Innocentius III. *in cap. quanto. 7. hoc tit.* liberum enim est diuertere, maxime si infidelis dissentiat; & quamuis fideli nouiter facto discedendi facultas concedatur, tamen ea crebro vti improbat apostolus in *can. iam nunc. 28. q. 1.* hoc in arbitrio positum est; nec enim fidelis dimittere infidelem prohibetur, nec etiam iubetur. *can. sic enim. ead.*

XI. Similiter id dicitur de infidelibus intra gradus consanguinitatis coniunctis, quorum vnus fit Christianus; potest enim, si velit ab infideli recedere, vt recte ostendit IVO *epist. 230.* Qui vero scientes, legibus ethnicis non contradicentibus, coniuncti fuerint, Christiani effecti solutionem petere non possunt, *cap. de infidelibus. sup. de consang. & affinit.* quod tamen non ita obnixe sentire videtur Innocentius III. in *cap. gaudemus*, imo potius innuit, eos posse solui, his verbis: *libere possunt & licite remanere coniuncti*: hoc verbum *(possunt)* indicat, nullam esse necessitatem, sed liberum eis esse, perseuerare, vel discedere; nec id alienum est, eo quod lex canonica horreat incestum, & ob id vitium matrimonium solui iubeat.

XII. Verumtamen quia Iudaeus, aut infidelis non adstringitur ad legis canonicae obseruantiam, nisi post baptismum, id quod gestum est ex more gentis, vel ex lege antiqua, seruandum est, dummodo non sit directe contra legem diuinam, vt est prohibitio inter ascendentes & descendentes, & inter collaterales in primo gradu, *cap. 18. Leuit.* nam si esset contra legem diuinam, matrimonium omnino foret dirimendum, quod optime docet PANORMIT. *in d. cap. de infidelibus;* dicto quidem casu matrimonium ethnico more factum contra canones post baptismum valet, ex aequitate potius, quam stricto iure, fauore Christianae fidei, a qua viri timentes se deseri ab vxoribus suis, facile possent reuocari, vt ait Innocentius in *d. cap. gaudemus.*

XIII. Et notandum est, hunc solum & vnicum casum esse, quo matrimonium rite & legitime factum solui omnino possit: nam ob adulterium & alia crimina, separantur coniuges, & diuertunt, sed vinculo matrimonii detinentur. Non hic addo, quae de separatione & solutione ob absentiam vnius coniugum dici possent, quamuis huic titulo accommode,

sicut

ſicut indicat *titulus de diuortiis, & repudiis*, tam in pandectis, quam codice; agitur enim de ſoluendo matrimonii vinculo ob diuturnam mariti abſentiam, iudicio & autoritate eccleſiae, *cap. in praeſentia. ſup. de ſponſalib.* quae propria eſt huius tituli materia; ſed quia de his anſam nobis praebuit Raimundus *in cap. 2. infra. de ſecundis nupt.* illuc tractatum reiicimus.

TITVLVS XX.

DE DONATIONIBVS INTER VIRVM ET VXOREM, ET DE DOTE POST DIVORTIVM RESTITVENDA.

I. Poſt diuortium iudicio eccleſiaſtico celebratum, ſupereſt reſtitutio dotis, ideo hic titulus concipitur *de dote reſtituenda*, ſicut & in *1. 2. & 3. compil.* nulla facta mentione de donationibus inter virum & vxorem, de quibus Gregorius IX. ſolus mentionem facit in *cap. vlt. hoc tit.*

II. Et quidem dotis reſtitutio facienda eſt vxori, quocunque modo ſolutum fuerit matrimonium, non ſolum morte, ſed etiam diuortio, iuſto nempe, & legitimo, & ſine vitio, & culpa vxoris, *cap. 1. & 3. hoc tit.* quam ſi ab omni accuſatione liberam dimiſerit, maritus omnem dotem reſtituere debet, vt ait Conſtantinus in *l. 1. C. Theod. de repudiis:* ſicut e contrario, ſi rea criminis alicuius ſit, veluti adulterii, repellitur ab omni exactione dotis, *l. vlt. C. ad l. Iul. de adult. cap. 4. & 5. hoc tit.* quod veteri iure ciuili non obſeruabatur, quo media tantum dotis, ac tertia bonorum parte priuabatur, apud PAVLVM *2. ſent. tit. 27. arg. l. cum mulier. ſoluto matrim.* & non ſolum a dotis repetitione arcetur, ſed etiam dotalitii, *cap. plerumq. hoc tit.* per dotalitium non quidem παράφερνα, quae peculii nomine continentur, ſignificantur, *l. ſi ergo §. dotis. de iure dotium l. filiae. C. ſoluto matrim.* quia ſine dubio, quantumlibet criminis rea fuerit mulier, & adultera, non amittit ea, quae contemplatione matrimonii repraeſentata, vel conuenta non fuerunt, pro quibus marito nullo pacto tenetur. *l. 3. C. ne vxor pro marito.*

III. Per dotalitium igitur debemus intelligere lucra nuptialia, quae vxori obueniunt morte mariti, siue sint ἀντίφερνα, siue ὑπόβολα, siue θεώρετρα; siquidem ἀντίφερνα, id est donationes propter nuptias ex pacto conuento, vel stipulatione, vel etiam consuetudine, aut pro parte, aut in totum cedunt lucro vxoris, *l. ex morte. C. de pactis conuent.* sicut e contrario aequalitate seruata, dos tota, aut pars cedit lucro mariti, *nou. 79.* donationes olim quidem dabantur ex lege, non ex conuentione, tantam enim pecuniam hoc nomine maritus dare debebat, quantam vxor dotis causa; sed deinde dari coeperunt etiam ex conuentione, quod declarat BALSAMON *in nomocan. Photii tit. 13.* ὑπόβολα vero sunt incrementum dotis, quod vxori superstiti supra dotem redditur, quod esse iure communi τρίτον τῆς ποσότητος ὅλης εἰς ἣν ἡ προῖξ; id est, *trientem, vniuersae summae, in quam dos redacta sit,* ait HARMENOP. *tit. 10. lib. 4.* Olim vero erat dimidia pars dotis, vt idem refert, quod ius Tolosates nostri sequuntur, & in eo consuetudo protinus consentit.

IV. Apud quosdam populos non tertiam partem dotis suae lucrabatur vxor, sed bonorum omnium mariti, vt apud Neapolitanos *lib. 3. constit. Neapol.* & apud Nortmannos, vt refert CVIACIVS ad *lib. 2. feud. tit. 9.* hoc lucrum, seu ὑπόβολον succesſit in locum donationis propter nuptias, & ita nomine hypoboli censentur etiam donationes propter nuptias. Ἀντίφερνα, vt ostendit BALSAMON loco citato, dicuntur apud Longobardos, Ripuarios, & Alamannos in legibus eorum morghanheba, & morgantica apud Mediolanenses *lib. 2. feud. tit. 29.* mane enim nuptiarum solebat maritus ὑπόβολον vxori constituere vulgo, dotarium, doarium, dotalitium, *can. penult. 26. q. 2.* imo & dos dicebatur, quia est aequamentum dotis, contraria dos, vt annotauit doctor egregius: dicitur & donum matutinale apud GREG. TVRON. *lib. 9. hist. Franc.*

V. Quamuis tamen satius existimem distinguenda, ab hypobolis dona matutinalia, quae sunt diuersa, & dicuntur ἀνταύλια, καὶ ἐπάυλια, ὀπτήρια, καὶ ἀνακαλυπτήρια a IVLIO POLLVCE *lib. 3. cap. 4.* quae dantur sponsae tum a sponso, cum a parentibus, & cognatis in *l. 1. §. praeterea. de tutel. & rat. distr.* SYMMACHVS *epist. 79. lib. 9.* sed & ab amicis & ciuibus, teste APVLEIO *Apol. 2.* & consistunt in annulis, thecis, pyxidibus, pectinibus, vnguentis, speculis, & aliis, quae ad mundum muliebrem pertinent, vt refert SVIDAS.

VI. Da-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0086
DFG

VI. Dabantur etiam ſemiaurei nummi in ſingulas dotis libras, idque tunc dicebatur θεώρητρον, apud HARMENOP. *lib. 4. tit. 40.* Dabat pariter ſponſa pro munere ſuo ſponſo die ipſa nuptiarum veſtes, quae ἀπαυλιςήρια vocantur a POLLVCE. Haec omnia dotalitii nomine comprehenſa, ob adulterium, vel aliquam aliam iuſtam cauſam vxor dimiſſa amittit, ex ſententia Clementis, *d. cap. plerumque:* non ita de leuibus munuſculis, praeſertim quae ad delicias, vel ad eſcam praebebantur, quae in reſtitutionem venire non debuerunt, veluti κρήια, id eſt, *placentacei panes*, de quibus ATHEN. *lib. 11.*

VII. De donationibus inter virum, & vxorem eſt altera pars tituli, quam totam deſumpſit Gregorius in *cap. fin. hoc tit.* ex iure ciuili, & omnia ita comperta ſunt, vt hic tractare ſuperuacaneum ſit, cum omnino conueniat ius canonicum cum ciuili tam circa caſus, quibus confirmatur, quam quibus infirmatur donatio, quae olim nullius erat momenti, niſi nominatim donator teſtamento ſuo confirmaſſet, donec ratio DD. Seueri, & Antonini effecit, vt ſilentio & morte confirmaſſe cenſeretnr, *l. 3. l. cum ſtatus. de donat. inter virum.*

VIII. Non ita in concubinis, quibus licuit donare; ratio haec fuit, ne fiat venalis concordia inter coniuges, *d. l. 3. §. diuus*, inter quos plenior eſt affectio, & dignitas, quam cum concubina, alioquin nullus eſſet finis ſibi inuicem donandi, *l. vlt. C. Theod. de legit. hered.* hoc caſu procul dubio differt ius noſtrum a ciuili, quia donatio facta concubinae hodie nullius debet eſſe momenti, cum concubina damnetur, licet primis temporibus licita fuerit aliquomodo, ſi nempe is, qui vxorem non habebat, concubinam habuerit, & eam affectione poene maritali vsque ad vltimum vitae ſpiritum tenuerit, *can. is qui, & ſeqq. 34. diſt.* quod omnino damnatur hodie *concilio Tridentino.* Cum igitur ſit turpis coniunctio damnata hoc iure, donatio ſuſtineri non debet, multo minus iu clericis, exemplo militum in *l. 2. C. de donat. inter virum:* clerici ſunt milites Chriſti, *can. non eſt. 15. q. 1.* vt ſupra adnotauimus.

TITVLVS XXI.

DE SECVNDIS NVPTIIS.

I. Solutio matrimonii fit autoritate eccleſiae, vt libertas ſubſit vnicuique alias quaerendi nuptias, quod, quando fieri poſſit, dicendum nunc, & ideo titulus conceptus eſt de ſecundis nuptiis, quo nomine tertias, quartas, quintas, & vlteriores intelligimus, *can. aperiant. 31. q. 1.* quae omnes quantumuis numeroſae permittuntur, & tolerantur, ac licitas eſſe demonſtrant canones ſequentes, contra errores Cataphrygum, qui eas damnabant, vt referunt EVSEBIVS, & EPIPHANIVS. Alii vero eas viduis tantum adoleſcentioribus fuiſſe permiſſas contendebant contra mentem apoſtoli, vt ſcribit ZONARAS ad *can. 1. ſynodi Laod.*

II. Permittuntur ſecundae omnibus, quas tamen D. AMB. *epiſt. 25. ad Vercellenſ.* ſignum incontinentiae appellat. Differentiam ponebant antiqui eccleſiae canones, cum digamis enim mitius agebant, quam cum trigamis, omnes quidem poena plectebantur, & a communione fidelium arcebantur, illisque poſt exiguum tempus ex venia dabatur communio, *can. 1. ſyn. Laod.* hoc tempus poenitentiae, ſic enim vocat *can. de bis. 31. q. 1.* annuum fuiſſe, vel etiam biennium ſcribit D. BASILIVS *in can. 4. ad Amph.* trigamis duriorem poenam infligebant anathemate trium annorum, & ſic deinceps pro ratione polygamiae, *can. 3. ſyn. Neocaeſarianae, & d. can. de bis*: tertias enim nuptias non amplius matrimonium dictitabant, ſed πορνείαν κεκολασμένην, id eſt *caſtigatam fornicationem*, ſcilicet non effuſam & liberam, ſed in vno complexu conſtrictam, vt ſcribit BALSAMON, qui & tertias nuptias olim in eccleſia CP. fuiſſe omnino vetitas ait, quartas vero perpetuo excommunicationis vinculo innodabant. Sic etiam reſpondet BALSAMO ad interrogationes Marci Alexandr. *cap. 41.* quod aliquatenus tolerari ſolebat in his, qui nondum quadrageſimum aetatis annum attigerant. Idque ita ſtricte obſeruatum, vt etiam Leo imp. ob quartas nuptias a Nicolao patriarcha ſegregationi ſubiectus fuerit, vt ſcribit MATTH. BLASTARES, περὶ τὰ νόμα τῆς ἑνώσεως.

III. Hoc

III. Hoc ecclesia Latina nunquam probauit, vtpote contra mentem apostoli octogamiam etiam permittentis, vt ait D. HIER. in *d. can. aperiant*, iniuncta tamen aliqua poenitentia, quae erat species excommunicationis: ideo in concilio Neocaesar. *can. 7.* presbyteri prohibentur interesse conuiuiis secundarum nuptiarum, ne scilicet cum excommunicatis versarentur, quod & in *can. 38. collectionis* MARTINI BRACCARENSIS reperitur: *presbyterum ad secundas nuptias conuiuium fieri non oportet, propterea quod bi, qui ad secundas nuptias veniunt, poenitentiam postulant.*

IV. Nec id de bigamis iis, qui relicta vxore aliam ducunt., est tantum intelligendum, vt quidam putauerunt, ob id, quod qui secundo, vel tertio nubunt morte prioris coniugis non peccent, & poenitentia non indigeant: imo vero de his intelligitur, qui libero & legitimo matrimonio coniuncti sunt, iterum post mortem prioris coniunguntur, vt nominatim indicant verba canonis *1. syn. Laod.* τὲς ἐλευθέρως καί νομίμως συναφθέντας δευτέροις γάμοις.

V. Praeter excommunicationem quadam quasi infamiae, & publici iudicii nota inurebantur, & etiamnum hodie hic mos ignominia, & risu afficiendi secundo nubentes obseruatur, adhibitis in contemptum tumultibus & sibilis, vulgo charibarium dicitur in concilio Turon. *cap. 13. Calybarium* vocat SCALIGER in *Coppam*, a Graeco verbo, καλίβα, quod sonum significare ait; quod si licet ariolari in exquisitione huius vocabuli, libentius deduceremus a Graeco vocabulo, καριβοάειν, quod est *caput clamoribus & strepita iactare*, vel χαριεντίζειν, id est *obuios conuiciis & probris lacessere*, vnde & Latini dixerunt, cariuari, eodem sensu apud FESTVM, vel etiam a verbo καριβαρεῖν, quod est *caput ebrietate onerare*, vt ex ARISTOPHANE refert POLLVX *lib. 2. cap. 2.* nec id absque ratione, quia tributum illud, quod solet extorqueri a bigamis, crapulae & ebrietati impenditur concilio Mediol. *4.* adeo vt nisi soluant, fiat ingens strepitus & tumultus, vt scribit BENEDICTVS in *c. Rainutius. in verbo: qui cum alia; fit*, inquit, *nisi componant cum ingenti solennitate cariuarium*: & NEGVZANVS in *sylua nuptiali: in aliquibus locis est consuetudo, quod nubentes cum viduis soluant pro pelle, seu zabramari.*

VI. Et haec exactio in plerisque locis non fit tantum die nuptiarum, sed aliis etiam temporibus ex omnibus bigamis simul: quod cum euenisset in ciuitate Lingonensi, & ingens pecuniae summa extorta fuisset,

set, Carolus V. sua constitutione in refectionem murorum ciuitatis impendi iussit. Cariuarii vero originem deducunt quidam a ritu antiquo, quem *ceruolum* dicebant; gentiles enim, deorum simulachris ceruinum caput appingebant, quo sordes & adulteria eorum fugillarent; & ARTEMIDORVS *lib. 2. c. 12.* mulierem, quae fidem non seruat marito, cornua ei facere dicit.

VII. Qui mos maxime pertinuit aduersus polygamos, cum iteratae saepius nuptiae non viderentur omnino matrimonium, sed adulterium potius, & vt loquitur canon *hac ratione. 31. q. 1. secundum varietatis rationem vere sit fornicatio.* Hoc genus probri damnatum fuit, & interdictum cariuarium a Ioanne Turonensi arch. in *d. syn.* sub poena excommunicationis, quod & antea statuerat magnus ille Ludouicus de Barro propinquus regis Gallorum, cardinalis creatus a Benedicto XIII. pseudopapa, primum episcopus Lingonensis, tum deinde Pictauiensis, qui obiit sub Martino V. anno 1425. quin etiam eos, qui talia, scommata, & lasciuias effundunt, actione iniuriarum teneri ait IOANNES FABER, *inst. tit. de iniuriis.* AVFRER. *decis. 140. capellae Tolos.*

VIII. Infamia quoque irrogari solita coepit extingui, nisi eo casu, quo mulier intra annum luctus nubit, *l. 1. C. de secund. nup.* propter duplicem rationem; ne turbatione sanguinis oriatur prolis dubitatio, *l. liberorum. ff. de his qui not. infam.* qua de causa iure sponsalium, & hypobolo priuatur, *l. 2. eod.* infamis vero non fit ex eo, quod luctus habitum non deferat, *l. 15. C. ex quib. caus. infam. irrog.* quod tamen olim erat necessarium. *l. genero. ff. eod.* Altera ratio est propter reuerentiam, & honorem marito debitum, nisi is sit de numero eorum, qui lugeri non solent, τῶν μὴ πενθεμένων, vt sunt maiestatis rei, & qui in publica crimina lapsi sunt, εἰς δημόσια ἐγκλήματα, quorum mulieres anno luctus non adstringuntur, *nou.* IVST. *22. c. 22.* & MATTH. BLASTARES *libro de caussis matrimonialibus.*

IX. Nec tantum nupta incurrit infamiam, sed etiam sponsa per verba de praesenti, quia iam contractum est matrimonium, *cap. 9. & penult. sup. de sponsalib.* licet turbatio sanguinis non praesumatur, ait glos. *in l. vxores. eod.* nec enim sola illa ratio est, ob quam intra annum luctus viduitas iniungatur, sed vt honor habeatur defunctis maritis, qui dolor ex vestibus discernitur, maxime nigris, quibus vt plurimum vtebantur Romani. TIBVL. *eleg. 3. lib. 3.*

Ossa

Ossa incinctae nigra candida veste legant.

APVL. *lib. 2. matronam flebilem fusca veste contectam.* Aliquando albis, vt testatur HERODIANVS in *Seuero*, saltem tegumento capitis, quod apud Rom. erat reticulum album, λευκὸν κεκρύφαλον apud PLVTARCHVM, & POLLVCEM.

X. Verum hoc nostro iure aliud voluit Alex. III. *in cap. penult. & vlt. hoc tit.* & seruatur in Gallia, ne ideo mulier infamiam incurrat, licet aliquid prioris odii remanserit; siquidem secundis nuptiis ἱερολογία non impenditur, *cap. 1. hoc tit.* eam enim, cum sit sacramentum, iterari vetat Vrb. III. in *cap. 3. hoc tit.* quamuis, vt optime distinguit glos. alia sint sacramenta, quae sine dubio iterantur, quod facilius in hoc esset indulgendum, cum talis benedictio sit simplex oratio super hominem, *can. manus. 1. q. 1.* sed id obseruatur odio incontinentiae, qua bigami damnantur, ideoque prohibentur ab ordinibus sacris: quomodo enim hortator viduitatis esse potest, qui coniugia frequentauit? ait D. AMB. *in can. vna. 26. dist.* bigamus arcetur a praerogatiua sacerdotii, *can. fin. ead.* quae lex antiquissima omnino est *in can. 17. apostolorum.*

XI. Restat hoc vnum, vt titulum simul & librum compleamus, an liceat foeminis ad secundas nuptias conuolare propter absentiam maritorum. Quod omnino prohibetur *in cap. 2. hoc tit.* nec vxores vlla carnis fragilitate, aut diuturna maritorum absentia se tueri possunt, etiam cum ecclesiae autoritate, ait Innoc. III. in *cap. in praesentia. 19. de sponsalib. can. 1. & 2. 34. q. 1. eo nequaquam obstante, quod de lapsu carnis posset opponi. cap. quoniam. §. si autem. sup. vt lite non contest.* D. AVG. *lib. de adulterinis coniugiis*, laudat Syrias foeminas, quarum mariti negotiandi quaestibus occupati, iuuenes adolescentulas deserunt, & vix aliquando senes ad aniculas reuertuntur.

XII. Exspectanda est mors absentis, & habendus certus mortis nuncius, *d. cap. in praesentia*, vel fieri debet inquisitio, qua rite peracta, si de ea constet, tunc nuptiae conceduntur, *nou.* IVST. *117.* & *nou.* MANVELIS, καὶ προέβη, καὶ ἔρευνα τούτων ἐξ ἀποσολῆς τῶν γυναικῶν αὐτῶν, id est, *si iussu mulierum inquisitio facta fuerit*; vbi notanda est Longobardorum consuetudo, qui non inquisitionis agendae causa ad loca, vbi mariti degere existimabantur, mittere nuncios solebant, sed versus eas regiones in sepulchris suis palum erigebant imposita desuper columba,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0091
DFG

vt refert PAVLVS WARNEFRIDVS *lib. de gestis Longob. vt sciri posset*, inquit, *in quam partem is, qui defunctus putabatur, quiesceret:* rationem non aliam quaesierim ego, quam quod columbae diuinitatem tribuerent. SERVIVS: in Epiro dicitur nemus fuisse, in quo responsa dabant columbae, ideo apud LYCOPHRONEM Cassandra columba vocatur φάσσα: & BALSAMON ad *can. 61. syn. VI. in Trullo*, refert quosdam fuisse ariolos νεφοδίωκτας, qui per aspectum candidae nubis, quam περιστερὰν, id est, *columbam* appellabant, futura quaeque praesagiebant: imo & veteres columbas pro nunciis habebant, PLIN. *lib. 10. cap. 37.* potissimum in hac materia, quod columbae Veneri sacrae sint.

XIII. Adultera igitur est mulier, quae non certior facta de viri obitu nubit, *can. 94. syn. VI. in Trullo*, & in eo ius nostrum a ciuili alienum existimo, nam quinquennium illud, aut quadriennium, quod mulieribus indulgetur, quo transacto nubere possint in *l. vxores de diuortiis, & l. vxor. C. eodem*, refertur tantum ad milites, & captiuos, non ad paganos; illis si quidem *captis ab hostibus, ipso iure solutum erat matrimonium, & quamuis vxor esset in domo mariti, non erat in matrimonio*, ait *lex in bello, de captiuis;* nec iure postliminii recuperari poterat ex *l. 8. eod.* miles enim, simulac ad bellum profectus erat, mortuus habebatur, & ideo venia dabatur mulieri *d. can. 94.* BASILII *ad Amphil. can. 36.*

XIV. Erat autem liberum militi redeunti vxorem recuperare, vel aliam ducere, ait BALSAMON *in d. can. 94.* ignorantiam enim excusare vxores militum ait ZONARAS: quae sententia improbatur hoc iure, & damnatur *d. can. 1. 34. q. 1.* Quantum attinet ad paganos, non inuenitur legibus ciuilibus post absentiae quinquennium, nubendi potestatem mulieribus concessam fuisse *l. 1. de diuortiis & repud.* nisi eo casu, quo dubitaretur, an superstites essent mariti, *l. vxores. eod.* HARMENOP. *lib. 4. tit. 12.* quod correxit *nouella* LEONIS *33.* quae nullo casu vxoribus id permittit.

FINIS LIBRI QVARTI.

DECRE-

DECRETALIVM LIBER QVINTVS.

TITVLVS I.

DE ACCVSATIONIBVS, INQVISITIONIBVS, ET DENVNCIATIONIBVS.

I.

A ciuilibus cauſis, contractibus, & actionibus, ad criminales tranſit Gregorius in hoc libro, & primo ponit titulum de accuſationibus exemplo Triboniani, & Iuſtiniani, qui eundem ordinem ſequuti ſunt tam in pandectis, quam codice, optimo conſilio; nam accuſatio eſt actio, quae naſcitur ex maleficio, *l. cum ex vno. ff. de oblig. & action. l. 5. & 14. C. Theoſ. eod. l. 12. ad l. Iuliam*, peculatus TVLIVS *pro Milone* actionem perduellionis dicit. Similiter *agere* dicimus, pro accuſare. *l. ſi maritus. ff. ad l. Iul. de adult.* TVLL. *5. Tuſcul. Tabellis obſignatis agis mecum, & teſtificaris.* Eſt etiam accuſatio contractus, ſiue obligatio. *l. ex maleficiis. ff. de action. l. lege. ad leg. Cornel. de falſ.* Vinculum vocat Alexander III. *in cap. licet. hoc tit. vt in l. fin. & l. nullus. C. eod.* contrahit enim accuſator, nec ab accuſatione deſiſtere poteſt. *d. l. 14.*

II. Recte ergo agitur hoc libro de criminalibus actionibus, & imprimis de accuſationibus, a quibus inchoanda eſt criminum perſecutio. Hic titulus tripliciter concipitur; aliter quidem quam apud iuris ciuilis autores, qui ponunt de accuſationibus, & inſcriptionibus: optime quidem, vt expendantur modi, & formulae, quibus aliquod crimen impetitur.

III. Primum membrum est de accusationibus, generaliter vocabulo sumpto, vt comprehendat inscriptionem: nam stricte sumpta accusatio post inscriptionem, denunciationem, & inquisitionem ponenda est, vnde vocatur suprema actio *in d. l. 5. C. Theod. eod.* inscriptio praecedere debet, *can. qui accusare. 3. q. 9. l. 3. Cod. eod.* vt talionem calumniator in se recipiat, *can. nullus. 4. q. 4.* per libellum enim inscriptionis βιβλίον τῆς ἐνγραφῆς, & καλάθεσιν. Profitetur actor, se vsque ad sententiam causam prosequuturum, & se eidem poenae subiicit, nisi crimen probauerit, vt docet BALSAMO *ad can. 131. Synodi Carthag.* hunc libellum vinculum talionis vocat IVO CARNOT. *ep. 51. & 138.* in eo dies, & consul apponendus, imo & locus, in quo crimen patratum est, & personae, quae consciae sunt, adiici debent, non tamen diem, neque horam inuitus accusator apponet. *l. 3. ff. eod.* HARMENOP. *lib. 1. tit. 2.* Post impetratam actionem, quae fit per libellum, sequuntur editio actionis citatio, in ius vocatio; nec ex sola libelli oblatione fit editio actionis, nec citatio, sed per libellum reus vocari debet, *can. eorum. 11. q. 3. l. libertis. de in ius voc.* post inscriptionis libellum, & vocationem in ius fit litis contestatio προκάρξις, cum causa discutitur, & praesens per praesentem agnoscit, quae ei obiiciuntur, *can. eorum. 11. q. 1.* petitione, & responsione in iure proposita, *cap. vnico. sup. de litis contest.* & tunc demum accusatio vere dicitur *l. 3. C. hoc tit.* cum in codice publico solennia inscriptionis impleta sunt, ait *l. 4. C. Theod. de custod. reor.* non ita in actionibus ciuilibus, in quibus inscriptio necessaria non est. *l. vlt. de priuat. del.*

IV. Secunda pars huius tituli est de inquisitionibus: est autem inquisitio, quae ex mero iudicis officio sine libello inscriptionis, sine denunciatione fit, nullo adhibito accusatore, vel delatore; vnde & inquisitionis nomine fit iudicium; quaesitoris vero, vel quaestoris verbo iudex significatur ab ISIDORO *lib. 18. c. 15.* TVLL. *in Brut. & 2. in Verrem;* licet non semper inquisitor sit iudex, sed tantum ad audiendos testes delegatus, & ad inquisitionem faciendam. *d. c. qualiter. & cap. inquisitionis. h. tit. cap. veritatis. sup. de dol. & contum.* Non semper necessarius est delator, aut accusator, veluti contra infamatum, & opinione vulgi accusatum, vt veritas eruatur, *cap. qualiter, h. t.* cum nempe constat de infamia criminis, *cap. cum oporteat. h. t.* per clamosam insinuationem,

uem, quae denunciatoris vicem gerit, *cap. licet Heli. de simonia.* nec solum ad poenam, & vindictam criminum fiunt inquisitiones, sed etiam ad damnum reparandum, quae ciuiles dicuntur in *l. 4. C. Th. ad l. Cornel. de falsf.*

V. Tertium membrum est de denunciationibus: denunciatio differt ab accusatione, quia denuncians non tenetur inscriptionis vinculum arripere, & custodiae similitudinem pati, quia vindictam non persequitur, sed correctionem, *cap. super his, & d. cap. qualiter. h. t. cap. nouit. sup. de iudic.* & ideo non potest deferre aliquem, quin prius commonuerit, *cap. 2. & cap. cum dilectus h. t.* non ita iure ciuili, quo denunciator, aut delator καλαμνητὴς idem est qui accusator, *l. deferre. de iur. fisci,* TVLL. *3. in Verrem,* & hic onus probandi in se suscipit, *l. est & decretum. 25. de iure fisc.* aliter ferro puniendus, *l. omnes. de delator. lib. 10. Cod.* nisi iussu procuratoris caesaris, vel iudicis id faciat, *l. 2. ff. eod.* vel causae suae protegendae gratia, & tunc proprie delator non est. *l. delator. de iure fisc.*

VI. Et hoc sensu sumendum hoc iure, vt is denunciator, siue delator dicatur, nec sit accusator, qui mandato iudicis id agit, similis est denunciator, siue nunciator criminis notorii, & manifesti, qui in senatusconsultum Turpillianum non incidit, nec se inscribere tenetur, sed tantum litem ad exitum perducere *l. ab accusatione. C. ad Turpill.* est & alia differentia inter accusatorem, & denunciatorem, quod ille testis esse non possit, *cap. ex tenore. de consanguinit. in 4. compil.* hic vero testimonium ferat. *cap. 4. sup. de testib.*

VII. Aliud est genus denunciationis, qua reus non defertur, sed qua denunciatur testimonium, *cap. 3. sup. de testib. l. 4. 5. 8. & 19. de testib.* id est aliquis admonetur ad testimonium ferendum, quod olim fiebat trina monitione testium, qui ampla, & alta voce euocabantur ex lege XII. tabularum, *cui testimonium defuerit ternis diebus ob portum,* id est ad domum *obuagulatum ito.* Obuagulatio est illa requisitio, & denunciatio testimonii, *conuicium,* quasi *conuocium* apud FESTVM, vt annotauit CVIACIVS *ad l. 103. de reg. iur.* nec tantum fiebat a iudice, vel ipsius iussu, sed etiam ab accusatore, vt testatur PLINIVS *ep. 6.* & TVLL. *pro Roscio,* si accusator voluerit testimonium his denunciare, & *4. in Verr. Quibus ego denunciaui testimonium, quorum nomina Metello dedi.*

His locis testimonium denunciare, est diem ferendo testimonio praefigere. Hi autem denunciatores, qui in defectum accusatorum crimina, & testimonia denunciabant iudicibus, curiosi dicuntur, & stationarii *in l. 1. C. de curios.* & eae denunciationes, seu testationes, notoria *in l. diuus. de custod. reor.*

VIII. Est praeterea aliud genus accusationis, seu denunciationis, quae fit per exceptionem, cum refellendi aduersarii causa crimen ei opponitur per modum contradictionis, *par reproche. l. Papinianus. ff. si filius. de inoff. testam.* In qua exceptione inscriptionis libellus non est necessarius, *cap. super. hoc tit.* & eundem effectum habet aduersus accusatorem, quem recusatio aduersus iudicem suspectum *c. 4. sup. de except.* opponitur vero, quandocumque accusator, vel delator persona non est legitima sistendi in iudicio. *cap. 1. hoc tit.* Legitima ea est, quae nec a lege, nec a canone prohibetur; quos etenim leges ciuiles arcent ab accusatione, eosdem & canonica statuta, *can. de accusat. & seqq. 3. q. 5.* enumerantur ii in *l. qui accusare, & seqq. de accus. can. nullus 3. q. 5.* idemque ordo seruatur, qui in testibus confutandis. *cap. cum inter. sup. de except. cap. exhibita. sup. de iudic. can. coniurationem, & seqq. 11. q. 1.*

IX. His tamen, qui accusare vetantur, aliquando id conceditur, cum iusta causa ad id compelluntur, cum suam, vel suorum iniuriam prosequuntur etiam sine libello inscriptionis, cui se allegare non tenentur, nec incidunt in senatus consultum Turpillianum *l. 4. ff. ad. SC. Turpil.* veluti maritus, qui ream facit vxorem adulterii, *l. quamuis. C. ad l. Iul. de adult.* mulier ob suorum iniuriam *l. 5. & 12. C. h. t.* ob crimen laesae maiestatis, & legis Corneliae testamentariae, *l. in quaestionibus. ad l. Iul. maiest. l. 1. & 2. de accusat.* quae leges in corpus iuris canonici translatae sunt a Gratiano *3. q. 5. & 15. q. 3.* denique infames haereticos accusare possunt, *can. praesumunt. 2. q. 7.* quae quidem notissima sunt.

X. Sicut autem quaedam personae accusare, & denunciare non possunt, ita quandoque nec accusari, vel denunciari debent, imprimis clerici, & Deo dicati, qui vulgo a laicis impeti non possunt, *can. nullus. can. sicut. 2. q. 7.* maxime sacerdotes, quod primum tantum episcopis concessum fuisse videtur, non ceteris ab Anacleto in *can. laici. 2. q. 7.* si eum autorem illius can. faciamus cum Gratiano, vel ab Eusebio papa,

de

de quo eadem verba referuntur in *can. laicos. ead.* quod ius deinde traductum fuit ad omnes sacerdotes, & clerios, vt indicat FABIANVS in *ep. 2. ad orientales episcopos;* vnde desumptus est *d. can. sicut. neque eos,* inquit, *sacerdotes debere, vel posse, aut clericos accusare, qui rite sacerdotes fieri non possunt.* Ius hoc receptum iam diu apud Latinos. Graecis hac epistola ipse imperat; siquidem Graeci ad accusationem episcoporum, & clericorum laicos admittebant, iuxta D. PAVLVM *1. ad Timotheum,* qui indifferenter accusationem probat, non vnius, sed duorum, aut trium, nec adhibet discrimen laicorum, aut clericorum, quod clarius expressum est in *can. 75. Apostolorum,* vnius laici non sufficere accusationem, ἀλλὰ μηδὲ πιστὸν ἕνα μόνον, quod confirmatur in *can. 6. syn. Constant.* in quo non admittitur accusator siue ex clericali, siue laicali ordine, nisi immunis sit ab omni crimine, εἴτε ἀπὸ κλήρων, εἴτε ἀπὸ λαϊκῶν τάγματος, & in conc. Chalcedon. *can. 21.* κληρικὲς ἢ λαϊκὲς κατηγορεῦντας. &c.

XI. Ex quibus apparet clericos a laicis potuisse accusari. Et horum quidem praeualuit opinio contra Latinos, & omnis laicus fidelis ad accusationem episcoporum, & sacerdotum admissus est apud occidentales, quae postmodum restricta fuit in fauorem episcoporum, quos a populo, & laicis hominibus extra causam fidei accusari prohibuit synodus Romana V. sub Symmacho, vt NICOLAVS I. scribit *in ep. ad Michaelem imperatorem,* & GREGORIVS I. in *cap. 3. sup. de testib.* quod iterum tollere conatus est ALEXANDER III. in concilio Lateranensi, *cap. de caetero. sup. de testib.* sed frustra, nec eius distinctio probata fuit, an suam, vel suorum iniuriam prosequantur laici, vt hoc casu accusatores esse possint; nam & in criminibus aliis idem ius esse ipsemet fatetur, si quaestio sit de simonia *cap. cum P. h. t.* de haeresi, vel laesa maiestate *cap. tanta. infr. de simon.* imo & in omnibus grauibus delictis; illo etenim casu, quo suam, vel suorum iniuriam prosequuntur, etiam mulieribus, & personis infamibus id conceditur; *can. illud, & seqq. 4. q. 6.* nec ad hunc casum debuit Alexander restringere libertatem accusatorum, quae ampla, & ingenua est, dummodo ii probatae vitae sint, & ab omni criminis suspicione alieni. *can. accusatio. 2. q. 7.*

XII. Nec hac in parte distinguere debemus episcopos a caeteris sacerdotibus, & clericis, nam & differentiam D. Paulus non facit; ait enim non recipiendam accusationem, nisi duorum, aut trium testium

κατὰ

κατὰ πρεσβύτερον, *aduersus seniorem*, vt eo loco vocabulum illud non sit ordinis, sed aetatis nomen, vt D. CHRYSOSTOMVS sentit, neque solum episcopum, sed etiam sacerdotem intelligat, vt scribit EPIPHANIVS *haeresi 57.* ZONARAS ad *d. can. 75. Apost.* ait non sufficere tres testes: BALSAMO vero quinque testes desiderari scribit fide dignos, & iurantes διὰ πέντε μαρτύρων πιστῶν καὶ ἐντίμων ὁμνυόντων, quod ex Basilicis constitutionibus desumptum esse dicit. Sylvester in Romana synodo multo plus numerum auxit: *vt episcopus non damnetur, nisi a septuaginta duobus testibus accusatus, presbyter a quadraginta,* vt est in *can. praesul, & seq. 2. q. 4.* CLEMENS IV. centum testes adhiberi statuit in causa episcopi Tolosani, simoniae, & fratricidii accusati in *ep. 326.* hic honor episcoporum ita auctus paulatim eo deuenit, vt etiam a quoquam accusari non posse, plures contenderint, *can. praesumunt. 2. q. 7.* multo minus a suis subditis, ita vt infra terminos suae dioeceseos nullus sit, qui possit episcopum accusare, sicut abbatem infra septa sui monasterii, *cap. illud. &c. c. ex parte. h. t.* quod damnat PETRVS DAMIANI in *quadam ep. ad Alex. pap. Quis est hic arrogantiae tumor, quis elationis fastus, vt quod insolenter excessum est a suis subditis, dedignentur audire? nec his allegationibus vtendum est, vt dicant, se non debere ab his accusari, ne videantur tuis excessibus velamen obtendere.*

XIII. Episcopi similes sunt praesidibus prouinciarum, quos accusare non licuit, sicut nec legatos caesaris, nec denique omnem sublimem magistratum, *d. l. qui accusare, & l. hos accusare. ff. h. t.* consulem, praefectum, praetorem, proconsulem *l. 2. ff. de in ius voc.* ratio est apertissima, quia annui erant magistratus, & ideo accusatores iubebantur exspectare, donec dignitatem deposuissent, *l. nec magistratibus. ff. de iniur.* quae ratio cessat in episcopis, nisi vt idem VLP. addit de pontifice, quamdiu sacras synaxes, & synodos facit, quod ipsis pontificibus non solum tribuendum est, sed omnibus presbyteris, & ministris *l. omnes. C. de episc. & cleric.* qui a sacris sine piaculo auelli, vel recedere non possunt. *l. non distinguemus. §. sacerdotio. de arbitr. l. penult. de vacat. muner.*

TIT V.

TITVLVS II.
DE
CALVMNIATOIBVS.

I. De accusatoribus in genere dictum sup. titulo, & quis sit verus, & legitimus accusator; nunc vero de falso accusatore. Calumniator est accusator, & actor, qui per fraudem, & frustrationem alios vexat litibus; cauillator *l. 233. ff. de verb. oblig.* caluitor a caluando, & decipiendo apud ISIDOR. *3. orig. c. 26.* D. AVGVSTINVS in *psalm. 118.* hoc loco: *ne tradas me calumniantibus me;* quidam legunt *persequentibns*, alii *nocentibus*, alii *aduersantibus*, vtrumque congruit lectioni Graecae τοῖς ἀντιδίκοις. Similiter calumnia est accusatio, actio, lis. TVLL. *orat. pro Milone* dicit, *calumniam litium.* IVO CARNOT. *ep. 184. Mandauit quorundam laicorum aduersus Beluacensem ecclesiam ortam esse calumniam,* & ARNVLPHVS *episcopus Lexouiensis. ep. 23. Nunciatur, te nihil nisi lites, & calumnias exercere.*

II. Triplex est accusatorum temeritas, calumnia, praeuaricatio, & tergiuersatio in *l. 1. ff. ad Turpill.* Calumnia est falsa, & ficta accusatio, qua quis falsum crimen bonis obiectat, vt loquitur TVLL. *in Salustium*, quae optimas ingenii causas ludificare solet, malitiosa, & mendax infamatio apud NONIVM. Calumniator est, qui infamiam alicui molitur, qui infamiae notam subit, praeter poenam criminis obiecti. Omnes enim accusatores ad poenam talionis obligantur, cum calumniator non tantum vindictam, & supplicium persequatur, sed etiam famam, & existimationem, *l. 4. de his qui not. infam.* poscit ad vindictam calumniantes similitudo supplicii ait *can. quisquis. 3. q. 8.*

III. Praeuariatio est veri criminis occultatio, praeuaricator, qui causam aduersariis suis donat, proditor suae causae, *d. l. 4. l. 212. ff. de verb. signif.* quasi variegatorius ποικιλιτικὸς, apud ARISTOTELEM προμηθεὺς ποικίλος est homo versutus, & callidus, & Aeschines Timarchum accusans ποικιλτὴν vocat. Huius quoque poena non minor est, quam calumniatoris, vtrumque sequitur poena talionis, & infamiae nota, *d. l. 4.* ita vt in posterum admittatur accusandi licentia. *l. 4. de accusat.*

IV. Tergiuersatio vero est litis desertio ἀπόστασις in veteribus glossis: tergiuersator, qui terga liti vertit, & in totum animum agendi deposuit, qui destitit ab accusatione, cui praeter poenam talionis irrogatur infamia, ex senatusconsulto Turpilliano, & lege Petronea, nisi abolitionem a principe impetrauerit *l. destitisse*, & *l. in senatusconsultum. ff. ad Turpil.*

V. Est & alia tergiuersatio Graecis φευγοδικία, id est, *detractio iudici*, quae sitis ambagibus, & straphis, quam moratoriam vocat ASCONIVS, qua quis in totum non deserit litem, sed dissimulat, tacet, & conniuentibus quasi oculis impedimenta adferri patitur. NONIVS dici proprie ait de his, qui fugiendo adhuc pugnant, nec se victos fateri volunt; inde translata est significatio ad frustratores, & cunctatores. TVLL. *7. ad Atticum; an cuncter, an tergiuerser*, & *iis me dem, qui tenent.* Refertur & ad eos, qui crimen caelant, & tegunt *in cap. vlt. sup. de cohabit. cleric.* Hi non incidunt in poenam senatusconsulti, nec fiunt infames, nisi sit talis mora, & negligentia, ob quam intra tempus legibus definitum causa peracta non fuit, *l. 1. C. vt intra certum tempus*, quod est biennium; olim annus, *l. vnic. C. eod. t.* Ratio est, quia tunc is vere destitisse, & litem deseruisse censetur; quod indicant verba *l. 2. ff. eod. quo emenso subeat accusator, qui destitit poenam legibus constitutam;* id est, tunc vere est tergiuersator, & incidit in poenam senatusconsulti, *d. l. 1.* denique est calumniator, nam vt recte BASAMON ad *can. 131. syn. Carthag.* annotauit, non solum falsa accusatio, sed etiam praeuaricatio dicitur calumnia, quam tribus supradictis modis fieri docet.

VI. Sic & passim hae voces hac significatione vsurpantur; nec in his diuersa est poena, sed omnibus praeter similitudinem poenae inuritur infamia, & litera legis Remniae eorum fronti imprimitur constitutionibus principum. Hoc vero iure tali poena neglecta seuerius cum iis agitur *cap. 1. hoc tit.* siquidem pro ratione personae crimen minuitur, vel augetur *l. omne. ff. de re milit.* grauior enim iniuria est clericorum, quam laicorum, & inter clericos eorum, qui in sacris ordinibus constituti sunt. Sycophantarum equidem poena non est talio, sed castigatio publica, quae fit verberibus, & in exilium deportatione *can. quia iuxta. 5. q. 6.* eis caput amputari, & linguam capulari iubet Hadrianus papa in *can. delatori. 5. q. 6.* quae constitutio refertur in Capitularibus *c. 276. l. 6.* &

ab

ab HINCMARO RHEMENSI *lib. contra Hincmarum Laudun.* Similis fere fuit lex Constantini, qua strangulari eos, & linguam ipsis radicitus amputari iubet, *l. 2. C. Theod. de petition.* Lingua praeciditur, ne amplius eorum vox audiatur. Capulare dixit Hadrianus, quod est truncare, exscindere in *legibus Salicis tit. 31. editionis Basil. si quis alteri manum capulauerit.* Veteres glossae, *scapellare* dicunt. *Concapulare leges Salicae tit. 8.* apud Longobardos non lingua sed nasus praecidebatur, vt videre licet apud historiae Longobardorum scriptores, & leges ipsorum.

TITVLVS III.

DE

SIMONIA, NE ALIQVID PRO SPIRITVALIBVS EXIGATVR, VEL PROMITTATVR.

I. Transit Gregorius ad crimina, quae causam instituendae accusationis praebent: & primum de simonia, quae ceteris grauitate antecellit, & est prima, & praecipua haeresis, *can. vlt. 1. q. 7.* quae cum primum erupit in ecclesia, ab apostolis damnata fuit, vt scribit D. GREG. *ep. 55. lib. 9.* ideo ad eius accusationem admittuntur quaelibet personae, quae alias prohibentur; *cap. tanta. h. t.* nam cum in aliis accusatorum & testium innocentia quaeratur, *ad insimulationem talium etiam infames personae admittuntur*, inquit IVO CARNOT. *ep. 27.* qui & hoc ex consuetudine Romanae ecclesiae esse dicit, in odium Simonis Magi, qui primus haereticorum se Deum asserere ausus est, & ita Romanam ciuitatem seduxit, vt imper. Claudius ei statuam erexerit in amne Tyberi inter duos pontes, cum hac inscriptione, *Simoni Deo Sancto*, vt refert IVSTINVS MART. *apol. 2.* TERTVLL. *in apolog.* Et hic postquam ab apostolis anathemate percussus fuit, quod spiritus sancti gratiam argento se comparare posse speraret, Graecam Selinem quandam meretricem circumduxit, vt refert CYRILLVS HIEROSOL. *catech. 6.*

II. Ab eo nomen accepit simonia, quam pluribus modis contrahi demonstratur. *h. t.* Quoties pro spiritualibus, beneficiis, & sacramentis ecclesiasticis beneficia temporalia dantur, *cap. tua nos. h. t.* has remunera-

tiones tripliciter fieri docet Gregorius VII. *in ep. 34. lib. 6.* a manu, si pretium per se, vel per alium tribuatur; ab obsequio, vt nihil inde seruitii, & officii reddatur; a lingua, vt neque per se, neque per alium, per submissam personam preces effundantur, *can. ordinationes, & seq. 1. q. 1.* quod cauet Alexander III. *in cap. nemo. h. t.* idque obseruatur in omnibus sacramentis; pro baptismo, *can. baptizandis. 1. q. 1.* pro chrismate, *cap. 8. 16. 21. 36.* pro consecratione episcoporum, *cap. 39.* pro benedictionibus nubentium, *cap. 29.* pro exsequiis defunctorum. *cap. cum in ecclesia. hoc tit.*

III. Denique pro omnibus aliis sacramentis, & donis spiritalibus; pro electione episcopi, vel alicuius officii, aut dignitatis eccleſiasticae, *cap. nobis. hoc tit.* ita vt electus sponte dimittere beneficium, vel officium teneatur, *cap. Matthaeus. h. t.* Idem statuitur de receptione in canonicum, *cap. tua nos*, & de receptione in monachum, *cap. de regularibus*, & tam receptus, quam recipiens deponuntur, *cap. dilectus. 30. & cap. quoniam. 40.* nec vlla consuetudinis ratio habenda est. *cap. veniens.* Nihil quoque pro ordinibus accipi potest. *cap. 1. & cap. ex tuae.*

IV. Quod si quis ordinatus simoniace fuerit, deponendus est, & omnia acta nullius sunt momenti, vt postulationes, confirmationes, prouisiones, ordinationes, quae sunt ipso iure nullae, nec promoti, aut confirmati, aut prouisi fructus suos faciunt, sed ad restitutionem tenentur, *concilio Constant. sess. 43.* iuxta *can. quos constiterit. 1. q. 1.* imo quod maius est, non solum, qui pecunia, sed & qui gratis ea sacramenta a simoniacis obtinuerunt praedictis poenis subiiciuntur. Quae res longam peperit dubitationem olim, ideo Alex. II. *in concilio Romano*, & in *can. de caetero. 1. q. 1.* statuit, vt in posterum, si quis ab eo, quem simoniacum esse non dubitauerit, consecrari se patiatur, non disparem damnationis sententiam subeat, quae est depositio, & dignitatis amissio.

V. Quantum vero ad eos, qui ante hoc concilium ordinati fuerant, eos in acceptis ordinibus manere permittit, *non tam obtentu*, inquit, *iustitiae, quam zelo misericordiae, in acceptis ordinibus manere permittimus.* Quod non tantum intelligendum fuit de iis, qui simoniacum ordinatorem esse ignorabant, sed etiam de his, qui sciebant; ad vtrumque casum porrigendae sunt constitutiones Nicolai II. *in can. statuimus*, & Alex. II. *in d. can. de cetero*, sed postea ignorantibus tantum ignoscendum iudicauit

Vr-

Vrbanus II. in *can. ſi quis a ſimoniacis, ead.* imitatus conſtitutionem Innocentii I. qui in *can. ventum eſt. ead.* ab haeretico ordinatum per manus impoſitionem nihil accipere ait, quia nihil dare potuit, ſed iterum eum ordinandum, quod non eſt iterare ſacramentum, ſed integre & perfecte dare. *can. Daibertum. 1. q. 7.*

VI. Vulgo tamen diſtingui ſolet, an ordines collati fuerint ab eo, qui eſt ſimoniacus in ordine, aut in beneficio, vt quidem a ſimoniaco ordinis accepti nunquam ordinatio facta vllius ſit momenti, quum non habeat executionem, niſi cum eo diſpenſetur, *cap. penult. hoc tit.* ſi collator ſimoniacus ſit in ordine conferendo, tunc praedicta diſtinctio locum habeat, vtrum ordinatus ſciens fuerit, vel ignorans. In beneficio vero ſimoniacus aut eſt notorius, aut occultus; primo caſu nullo pacto facta ordinatio valet: ſecundo caſu ordinatio, quae fit, reſpectu tantum illius beneficii caret effectu, ſed non ratione beneficiorum aliorum, quam diſtinctionem ſequitur PANORMITANVS. Putem tamen hos omnes caſus, ex ſcientia, vel ignorantia eſſe metiendos, *can. praeſentium 1. q. 5.* aliter in mille laqueos inciderent ordinati.

VII. Quod attinet ad beneficium per ſimoniam acceptum, non aliter quis purgare vitium poteſt, niſi eidem beneficio renunciauerit, *cap. de regularibus. h. t.* ita vt canonicus, ſi ex diſpenſatione reſtitutus fuerit, priſtinum ordinem, & honorem non recipiat, ſed in poſtremo loco ſedeat, *cap. ex inſinuatione h. t.* ſicut, qui renunciauit praebendae, aut beneficio, ſi iterum in capitulum aſſumatur, ratione primae receptionis nil ſibi poterit in ipſa eccleſia vindicare. *cap. penult. ſup. de elect.* Iure tamen omnem ſpem reſtitutionis tollendam eſſe ait Innocentius III. in *cap. quoniam. hoc tit.* diſpenſatione non admiſſa, niſi cauſa cognita, & neceſſitate impellente, quae quidem diſpenſatio ad ſolum ſummum pontificem pertinet, excluſis aliis omnibus, licet in *d. cap. ex inſinuatione*, capitulum hanc indulgentiam concedere dicat; quod eſt intelligendum, vt reſpectu ſui capitulum diſpenſet, ſed non ratione criminis, quae facultas iure communi competit epiſcopis. *d. can. praeſentium.*

VIII. Verum deinde ſoli ſummo pontifici reſeruata per conſtitutionem Martini in d. concilio Conſtant. Vrbani, & Pauli *in cap. 1. & 2. extrauag. commun.* Idque ſeuerius, & ſtrictius ſtatuerunt ſancti patres in hoc crimine; tum quod, vt dixi, prima fuerit poſt Domini reſurre-

ctionem haereſis; cum quod manuum impoſitio primum fuerit ſacramentum, vt ſcribit GOFFRIDVS VINDOCINENSIS in *ep. ad Iuonem Carnot. Chriſtus enim primus hoc ſacramentum fecit per ſemetipſum, conſecrationem ſcilicet apoſtolorum.*

IX. Porro diſtinguendi ſunt caſus: nam in quibusdam contrahitur ſimonia, in aliis vero non, licet pretium interueniat; ſcilicet differentia ponenda inter exactionem, & oblationem: pro baptiſmo, exſequiis, & aliis ſacramentis, & benedictionibus, ſi quidpiam exigatur & petatur, ſimonia eſt; nec adhibendum diſcrimen, quod quidam ponunt inter ſacerdotem, qui ex officio ſacramenta adminiſtrare tenetur, & eum, qui non tenetur, vt hoc vltimo caſu poſſit exigere pretium, quum nemo ſuis ſtipendiis militare cogatur, *can. charitatem. 12. q. 2.* ſi vero ſponte ei offeratur pecunia, non quaſi pretium, ſed ad vitae ſubſidium, iure capit, niſi ea mente praeſtet ſacramenta, vt mercedem recipiat; tunc enim praeſumpta eſt ſimonia, ac ſi pactum interceſſiſſet: ſaepe enim exactiones pecuniariae, oblationum vel benedictionum nomine palliantur, ait IVO *ep. 13. Palliatam auaritiam* vocat Vrbanus II. *in can. quaeſitum. 1. q. 3.*

X. Hinc factum, vt oblationes, quae ſponte fieri debent, vi quadam tacita deueniant coactae, quem abuſum tangens BALSAMO ad *can. 23. ſyn. 6.* ait ideo ſacramenta vulgo appellata fuiſſe dona, quod non niſi pretio impertirentur; *διὰ γὰρ τέτες ὡς ἔοικε καὶ ἁγία δωρεὰ κατὰ κοινολαΐτας λέγονται τὰ ἅγια.* Cum potius dona dici debuerint, quod non niſi gratis ſunt conferenda. Omnis enim pactio, & conuentio ſiue expreſſa, ſiue tacita vitium parit: hoc genus ſacramenti nauicularium vocat GOFFRIDVS in *d. ep.* ars enim nauicularia negotiationi, & mercaturae coniungitur. TVLL. *7. in Verr. Malo*, inquit, *te iſti generi hominum, quam mercatoribus & nauicullariis infeſtum, atque inimicum putari:* Nauicularii, non nauium magiſtri, ſed exercitores, & negotiatores ſunt, vt conſtat ex *l. penult. C. de naucular.*

XI. Sunt quidam caſus, quibus ſimoniae labes nulla inuritur, etſi pecunia interuenerit, veluti ad redimendam litis vexationem, *cap. dilectus. 27. h. t.* vt ſi controuerſia ſit inter duos de aliqua praebenda, poteſt pecunia dari, vt alter deſiſtat, ab eo, qui ſibi iniuriam fieri certus eſt; quod notandum paſſim ab omnibus, qui lites temere ſuſcipiunt, vt deinde pecuniam ab aduerſario extorqueant, & iure ſuo cedant, neque enim

illi

illi crimen simoniae effugiunt. Alius casus vulgo proponitur, an liceat emere beneficia, quae ab haereticis detinentur: quod rite fieri contendunt theologi; non ita quae a laicis, nisi intentio tota vergat ad Dei honorem, & ecclesiae vtilitatem, non vero ad proprium & domesticum commodum.

TITVLVS IV.

NE PRAELATI VICES SVAS, VEL ECCLESIAS SVB ANNVO CENSV CONCEDANT.

I. Superior titulus respicit simoniam, qua quis pecuniam, & temporalia dona largitur, vt spiritalia recipiat, aut spiritalia dat, vt temporalia accipiat: hoc vero tit. specialiter agitur de locatione, quae est species venditionis, vt *sup. tit. de locato*, diximus, a quo quidem differt hic, quod agat de locatione ex datione sub annuo censu rerum spiritalium, alter rerum bonorum ecclesiasticorum.

II. Locatio quidem rerum spiritalium magnum crimen est; sacerdotium enim, & administratio, siue cura spiritalis sub annua mercede tradi non debet. *can. si quis dator. 1. q. 3.* Conductitios habere presbyteros, qui officia, dignitates, & personatus exerceant, non licet, a quibus census & pensio exigatur *cap. 1. & 2. h. t.* sed nec censualem ecclesiam facere citra episcopi autoritatem permittitur, *cap. 17. de simon. in 1. compil.* licet causa cognita id fieri posse, dubium non sit.

III. Census quidem annuus praestari episcopis potest, *can. quaesitum 1. q. 3.* quia primitus omnes ecclesiae ad episcopos pertinuerunt, quas ipsi retenta certa pensione, vel censu aliis contulerunt, *cap. pastoralis. sup. de donation.* quod solet fieri tunc demùm, cum ecclesiae ordo, & regimen statuitur. *cap. scientes, & cap. prohibemus. sup. de censib.* Non ita est, si presbyteris ecclesiarum regimina committantur, certa eis mercede, vel pretio constituto; quia tunc nihil accipitur, sed datur. *cap. exstirpandae. §. qui vero. sup. de praebend.* Nec id ius, solum locum habet in ecclesiarum, & sacramentorum administratione, & dispositione, sed etiam

ratione

ratione iurisdictionis spiritalis, quam praelatus, qui iurisdictionem habet, alii committere non potest, vt inde emolumentum percipiat, quod in concilio Lateranensi prohibuit Alexander III. *cap. 1. h. t.*

IV. Iurisdictio spiritalis duplex est, vna omnino sacra, quae exercetur omnino in clericos, & continet causas prorsus ecclesiasticas; alia, quae est mixta, partim spiritalis, siue ecclesiastica, partim temporalis, siue profana, veluti de decimis, de matrimonio, de testamentis; vtraque sub annui census praestatione concedi non potest ad tempus, vel in perpetuum, quamuis etiam consuetudine suadente. *cap. 3. sup. de consuet.*

V. Alia est iurisdictio temporalis omnino, in qua quaeritur de proprietate, dominio, & vsufructu, quae autoritate ecclesiae non sustinetur. Haec sub annuo censu facilius tradi potest absque vitio simoniae, licet aliquod crimen sit; quia iurisdictio, quae gratis exerceri debuit, cum onere tunc ab altero accipitur: interest autem, ne per hanc venditionem subditi grauentur, cum tales emptores pecuniam expositam repetere velint in perniciem litigantium. SENECA I. *de benefic. Prouincias spoliari non mirum, quando quae emeris, vendere ius gentium est.* Id confirmat *nouella 8.* IVSTINIANI: *vt iudices sine quoquo suffragio fiant.* Suffragium illic, quod basilica vocant μίσθωμα, sumitur pro pensitatione, censu, pactione, locatione, quae fit pacta mercede apud ISOCRATEM *in Areopag.*

VI. Equidem iurisdictio potest alteri demandari, & episcopi, archidiaconi, & alii qui iurisdictionem habent, possunt vices suas alteri committere libere, & gratis, modo id non fiat per modum locationis exacta mercede, *cap. quoniam. 2. hoc tit.* in quo notandum ex concilio Turonensi, achidiaconos habere iurisdictionem iure communi, non vero decanos, & archipresbyteros, vt supra latius suis titulis annotauimus *de officio archidiaconi*, & *de officio archipresbyteri.*

TIT V-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0106
DFG

TITVLVS V.

DE

MAGISTRIS, ET NE ALIQVID EXIGATVR PRO LICENTIA DOCENDI.

I. Sicut ob iurisdictionem datam, & iudicandi munus conceſſum ab epiſcopis, & aliis praelatis, pecuniae exactio, & pacta merces, eſt ſimonia; ita pro licentia docendi ſi quidpiam petatur, vel exigatur: vtrumque enim munus libere, & gratis conferri, & exerceri debet. *cap. 1. & 3. h. t.*

II. Per magiſtros intelligimus non tantum doctores in ſacris literis, ſed etiam paedagogos, & omnes, qui iuuentuti erudiendae praeficiuntur, quos eligi ab epiſcopo, & capitulo vult Innocentius III. *in cap. penult. h. t.*

III. Variae olim erant ſcholae, nec dum certae, & ſtabilitae: & maxime in monaſteriis, ad quae non ſolum qui ſolitudinis amplectendae cauſa in eis collocabantur, ſed etiam alii mittebantur, vt illic praeter literarum profectum, morum, fideique diſciplinam addiſcerent, vt teſtatur D. CHRYSOSTOMVS *lib. 3. aduerſus vituperatores vitae monaſticae*, & MARCELLINVS COMES *lib. 2. collectaneorum.* In ſingulis quoque plebaniis, & parochiis erant ſcholae, quae quamuis ad erudiendos clericos, qui ad eccleſiarum miniſterium deſtinabantur, eſſent inſtitutae, *cap. 3. ſup. de vita, & honeſt. cleric.* ſicuti in monaſteriis ad eos tantum imbuendos, qui vitae monaſticae offerebantur, *cap. 45. addit. 1. capitul.* paſſim tamen omnes alii pueri ad eos mittebantur: *cap. 45. concilii Moguntini ſub Carolo M. dignum eſt*, inquit, *vt filios ſuos donent ad ſcholam, ſiue ad monaſteria, ſiue foras presbyteris.*

IV. Hoc munus ſibi praecipuum fecerunt monachi, ita vt clauſtra iuxta eorum monaſteria fuerint, in quibus ſcholae haberentur, conſtitutione primum Leonis IV. *in ſynodo Romana*, ſub Lothario, & Ludouico imperatoribus, *cap. 7. iuxta eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quibus clerici diſciplinis eccleſiaſticis imbuantur*, vt refert LVITPRANDVS *in eius vita.* Rationem reddit FILESACVS EX EVMENIO RHETORE *in oratione ad praeſidem Galliae; Ibi fas exercere iuuentutis ingenia ducebant,*

vbi propinqua essent numina amica doctrinae. Hoc summae curae fuit Carolo M. qui solum scholas priuatas haberi tam in episcopiis, quam monasteriis voluit, *cap. 3. concilii Cabillonensis;* sed etiam publicas, & solennes in tribus imperii sui locis, vt refert EGINHARTVS *in eius vita:* cuius vestigia sequuti sunt eius filii Ludouicus & Lotharius in concilio Parisiensi *lib. 3. cap. 12.*

V. Per publicas illas scholas intelligi debent scholae vniuersitatum, quas certis tantum locis stabilitas fuisse constat, veluti Lutetiae in Gallia, Romae, & Bononiae in Italia a Carolo M. Oxoniae in Anglia, Salmanticae in Hispania, quibus exhibendorum doctorum gratia honesta stipendia ab omnibus ecclesiis, monasteriis, capitulis & collegiis exigi tandem voluit Clemens V. in concilio Viennensi, *Clement. 1.* Erat quoque schola Alexandrina, & Antiochena ad sacrae scripturae expositionem, testibus D. HIERONYMO *lib. de vir. ecclesiast.* EVSEBIO, NICEPHORO, & aliis, Constantinopolitana, & Essedena, siue Persica; sed haec quia in haeresim Nestorii dilapsa, sublata fuit ab Anastasio imperatore, vt refert MARCELLINVS COMES, *loco citato.*

VI. His gymnasiis, seu scholis publicis exceptis, nullae aliae olim erant, sed tantum priuatae quaedam in ecclesiis & monasteriis. Abbo Floriacensis praefectus fuit, & magister scholarum apud AYMOIN. *cap. 3. de vita Abbonis*, qui & in monasterio Floriacensi celebres fuisse scholas clericorum narrat *cap. 1.* imo & magnatum, & nobilium filii illic erudiebantur, vt constat *ex historia S. Gildae*, *cap. 3.* In Saxonia nullam fuisse scholam publicam, quae centesimum longe superasset annum, scribit KRANTZIVS *lib. 3. metrop. cap. 43.* cum antea apud insignes ecclesias viri docti acciti fuissent.

VII. Successu deinde temporis effectum fuit, vt in omnibus cathedralibus ecclesiis scholae positae sint, & constitutus fuerit doctor, qui theologiam profiteretur: quod beneficium procurauit Carolus M. & deinceps concilio Meldensi statutum, *can. 35.* non solum ad theologiam docendam, sed etiam ad humaniores literas constituti sunt magristri certis stipendiis, & praemiis a Leone IV. in dicta synodo Romana, suasu Ludouici, & Lotharii, *can. 34. Magistri, & doctores in singulis locis constituantur, qui liberales artes assidue doceant; & si tales non inueniantur, tamen diuinae scripturae magistri, & institutores ecclesiastici officii nullatenus de-*

deſint, vt eſt apud LVITPRANDVM *in eius vita.* Quod vt inpoſterum ſeruaretur, conſtitutione firmauit Alexander III. in concilio Lateran. ſtatuens, vt ſtipendia certa eis darentur. Tum poſtea, vt in vnaquaque eccleſia metropolitana duae praebendae aſſignarentur, vna doctori theologo, altera magiſtro liberalium artium, concilio eodem Lateran. *cap. 11.* vt conſtat ex *cap. 1. & pen. h. t.* quod ius deinde ad omnes eccleſias cathedrales, & collegiatas produxit concilium Tridentinum *ſeſſione 5. cap. 1.* & Leo X. in concordatis cum Franciſco rege Franciae *ſſ. 1. tit. de collation.*

VIII. Non tamen credendum eſt, omnino inductum ab Alexandro III. & Innocentio III. vt praebenda aſſignaretur his doctoribus: idem enim conſuetudine iam receptum in Gallia profitetur Alexander III. in dicto concilio Lateran. vt refertur *in cap. 1. in 2. compil. h. t.* & quamuis ſcholae tam clericorum, quam puerorum omnino fere exerceri deſierint, tamen praebendae remanſerunt, theologalis, quae theologo aſſignari debet, altera vero cuilibet ex capitulo, qui vulgo nuncupatur ſcholaſticus, & caput ſcholarum in *cap. quanto. h. t.* magiſter ſcholarum in *cap. 4. de poſtulat. praelat. cap. 5. de regul. 5. compil.* primicerius in *cap. conſtitutis. 23. de appellat.* & in plerisque eccleſiis nomen huc vsque remanſit.

IX. Et haec praebenda non tantum ad eius ſuſtentationem aſſignabatur, ſed etiam pauperum ſcholarium, quod temporum labes perdidit; qua de re conqueritur KRANTZIVS *lib. 7. Wandal. cap. 4. Aetate noſtra*, nquit, *ſcholaſtici nullum officium eſt, niſi collectas pauperum ſcholarium in vſus menſae ſuae vertere:* vnde coniicitur, & munus ſcholaſtici fuiſſe colligere ſtipem, & mendicare pro alimoniis pauperum ſcholarium.

X. In aliis eccleſiis in locum ſcholaſtici ſucceſſit cancellarius vniuerſitatum, ſublato ſcholaſtici nomine, vt in eccleſia Toloſana, Bituricenſi, Caturcenſi. In quibusdam eccleſiis adhuc ſcholaſtici nomen manet, vt in eccleſia Aurelianenſi, quo ſignificatur cancellarius: vnde Clemens IV. *epiſt. 91.* cancellarium caput ſtudentium poſt epiſcopum vocat. Aliquando ſcholaſticus, & cancellarius vnus & idem non eſt, vt in *cap. conſtitutis. 46. ſup. de appellat.* Vt vt ſit, errant, qui eo nomine ſcholaſtici, magiſtri ſcholarum, primicerii, cantorem tantummodo intelligunt; qui quidem eſt caput ſcholae, ſed non clericorum, & ſtudentium, vt *ſup. tit. de officio primicerii* latius diximus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0109
DFG

XI. Hic vero caput schole, & doctor theologus antequam olim ei praebenda assignaretur, iudicio & autoritate episcopi constituebatur, & legendi, vel docendi licentia ei dabatur, ex decreto Eugenii, *can. de quibusdam. 37. dist. & cap. 2. addition. 2. Capitular.* Nec id regibus deberi contendit Clemens II. in *dicta epist.* in qua respondet ad constitutionem Iuliani in *l. magistros. 7. & l. si quis. 10. C. de professor. lib. 10. lex autem humana*, inquit, *decreuit ciuilis sapientiae professores magistratum ascendere non debere, donec ab ordine decurionum fuerint approbati;* pro tempore loquitur, quo ecclesiastica censura non vigebat. Praefectus vrbi Romae ius scholarum habebat, vt ex *titul. de stud. liberal. cod.* patet: & ideo Mediolanenses petierunt ab eo licentiam, vt D. AVGVSTINVS scholarum curam apud eos susciperet; sed id effecerat Iulianus apostata, vt incrementa Christianae religionis impedirentur, sicut ipse testatur in suis epistolis. Nemo igitur poterat facultatem docendi sine licentia sibi arrogare. *l. 8. C. eod. tit.*

XII. Inde fit, vt hodie quicunque gradum doctoris assequuntur, ob licentiam publice legendi, & docendi eis concessam licentiati appellentur, & inter insignia doctoratus peculiarem habitum, nempe pallium assumant, *dicta l. 8.* sicut olim oratores, & sophistae, qui suum habebant pallium, quod eis dabatur post examen & speciem ingenii sui editum. DAMASCIVS *ex vita Isidori philosophi:* λόγοις ἐπεδείκνυμην πρότερον τὸν ἐπὶ ῥητορικῇ τρίβωνα περιθέμενος, ὥσε ἦν καὶ τρίβων ῥητορικὸς, ὃς καὶ φιλόσοφος, id est: *verbis primum specimen edidi Rhetoricae primum pallium induens, quare erat etiam pallium oratorium, vt philosophicum.*

XIII. Imo & omnium artium liberalium professores pallium accipiebant. TERTVLLIANVS *lib. de pallio: omnis liberalitas studiorum quatuor meis angulis tegitur.* Ad gradum vero promouendus antequam pallio donaretur in balneum deducebatur, vbi conueniebant acromitae, siue antistites scholarum, & scholastici, qui candidatum retrahebant, doctoribus eum vindicare volentibus, & post longam & solennem vltro citroque contentionem, lotus in balneo, & pallio assumpto in ordinem referebatur, vt refert OLYMPIODORVS apud PHOTIVM: quem morem apud legum professores aliquandiu viguisse demonstrat *can. 71. synodi VI. in Trullo*, dum prohibet Graecos mores, & cylistras, quibus vti solitum in promouendis ad magistratum iis, qui verum doctrinae culmen attigerant;

rant; ascendebant enim in theatrum, & illic vt in Circensibus ludis curricula fiebant, & agitationes, aliis sibi vindicantibus scholasticum, aliis resistentibus, vt BALSAMO interpretatur. Eodem ferme ritu, quo libertatis assertio olim fiebat, ter, vel quater aduersus retrahentem seu vindicantem in seruitutem illum, de cuius statu quaestio habebatur, *l. 1. C. Theod. de liber. caus. l. 1. C. de assert. toll.* quam assertionem perfusoriam vocat SVETON. *in Domitian. cap. 5.* quia dicis causa sicut trina mancipatio fiebat.

TITVLVS VI.

DE

IVDAEIS, ET SARACENIS, ET EORVM SERVIS.

I. Superioribus titulis dictum fuit de iis, qui nec in iudicium venire possunt, nec accusationem instituere, ideo subiungit Gregorius *de Iudaeis, & Sarracenis,* quos ab omni accusatione, sicut & testimonio aduersus Christianos arcet, *can. pagani. 2. q. 5. cap. Iudaei. sup. de testib. cap. 1. h. t.* iuxta constitutionem generalem Innocentii III. in concilio Lateranen. *cap. cum sit. h. t.* quod antea piissimus Gothorum rex Recaredus sub Pelagio II. constitui procurauerat in concilio Toletano III. non vero IV. vt falso innuit inscriptio *can. nulla. 54. d.* in ordinem tamen decurionum adlegi poterant olim, quia decurionatus est onus potius, quam honor, & velut necessitas quaedam. *l. 3. §. vlt. ff. de decurion.*

II. Hic autem titulus concipitur, *de Iudaeis, & Saracenis,* quia inter eos longissima est differentia. Saraceni sunt, qui a Iudaeis defecerunt, dicti, vt tradit AGOBARDVS *lib. de insolentia Iudaeorum,* primum Agareni, & deinde corrupto vocabulo *Sarraceni.* D. vero HIERONYMVS deducit a Sara vxore Abrahae, sicut Agareni dicuntur ab Agar ancilla, quam sententiam multi improbant, & praesertim SCALIGER in Eusebii chronica, eo quod non Saraceni, sed Sarani dici debuissent, qui eos a Saraca regione Arabiae deducendos putat: quod confirmat testimonio STEPHANI de vrbibus: Σάρακα χῶρα Ἀραβίας μετὰ τὲς ναβαταίους, οἱ νικοῦντες

οἰκοῦντες Σαρακηνοὶ. Verum hic locus mentem D. HIERONYMI non destruit, imo adstruit: nam sicut Agareni ab Agara regione Arabiae dicti, & Agara ab Agar ancilla; ita & a Sara Saraca regio, quae nomen dedit Saracenis.

III. Quibus quidem populis plura fuerunt nomina, pro varietate regionum quas occuparunt: dicti enim sunt Arabes, Aegyptii, Mauri, Persae, Armenii, Numides, vel Nomades: SCALIGER tamen non omnino assentitur eos a Sara, vel Saraca deductos fuisse, sed potius a nomine Sarak, quod Arabice sonat furaces, καὶ λῃστρικοὺς, quales nunc apud Turcas dicuntur *Casaki:* sed haec omnia sunt coniecturae.

IV. Quidquid sit, certum est Saracenos ortum duxisse ab Ismaele, qui incoluit desertum Pharan, in quo & vrbem eo nomine dictam condidit, cum antea in tentoriis, & papilionibus habitarent, quae dicebantur tabernacula Cedar: omnes enim istos Saracenos progenitos ex Ismaele, Cedar, & Agareno constat ex libr. Geneseos, quos D. HIERONYMVS a VIRGILIO intelligi putat per *Barcaeos*, *4. Aeneid.*

\- - *Lateque vagantes*
Barcaei.

Aethiopes etiam dictos D. AVGVSTINVS *lib. 3. super quaest. numerorum;* persecutus enim est Iosaphat Aethiopas vsque in ea loca, vbi Madianitae habitabant, qui omnes Iudaei erant, & ritum Iudaeorum, legemque amplectebantur; nam & circumcidi solitos eos, & a carnibus suillis abstinuisse refert D. HIERONYMVS in *10. caput Hieremiae;* licet in plerisque aliis a Iudaeorum institutis defecerint; quod temporum longinquitati tribuendum est, & quia permixti finitimis gentibus fuerint; cum Moses solis Hebraeis, qui ex Aegypto exierunt leges dederit; eorum vero vicini ab Ismaele acceptam disciplinam corruperunt, & daemonia coluerunt.

V. Sed postea Christiani effecti sunt ope & suasu Mosis eorum episcopi, vt narrat SOZOMENVS *lib. 6. cap. 39.* & tandem nouam omnino, & inauditam legem acceperunt, quam Mahometes dux, edoctus a duobus Iudaeis apostatis, Sergio, & Ioanne haereticis Nestorianis, & Arianis, ex Iudaeorum, gentium, & Christianorum institutis effinxit. Ex his constare potest differentia Saracenorum, & Iudaeorum.

VI. Sed quaeritur, an idem ius in vtrisque sit statuendum, quantum ad ciuilia munera; sicut in accusationibus, & testimoniis hos admittere non

vult

vult CVIACIVS, qui Iudaeos teſtimonium dicere poſſe aduerſus Chriſtianos contendit ex *dicto cap. Iudaei*, quod ſumptum eſt ex concilio Lateran. ſub Alexandro III. *cap. 26.* in quo ait, Chriſtianos teſtes admitti debere contra Iudaeos; *Cum*, inquit, *illi aduerſus Chriſtianos teſtibus ſuis vtantur*: licet Raimundus loco verbi *(vtantur)* appoſuerit *(vti praeſumant)* vt Iudaeis facultatem hanc conceſſam non fuiſſe doceat. Hanc Alexandri ſententiam firmat CVIACIVS *ex can. non poteſt. 2. q. 7.* in quo dicitur Iudaeum, qui poſtquam Chriſtianus effectus fuerit, iterum defecerit, non poſſe teſtimonium ferre; quaſi innuat concilium Toletanum, ex quo ſumptus hic canon, praeuaricatores tantum Iudaeos ab hoc iure arcendos.

VII. Sed haec ita non ſunt accipienda; agitur enim ibi de Iudaeis, qui Chriſtiani effecti, ſuſpectae tamen ſunt fidei, licet Chriſtianos ſe profiteantur, hos enim teſtes eſſe non vult, ſed iure eodem cenſeri, quo veros Iudaeos. Nec Alexander III. omnino contrarius eſt, nam verbo (vtantur) vſus eſt, quaſi dixiſſet (abutantur) prauam quandam conſuetudinem indicans, qua Iudaei aduerſus Chriſtianos recipiebantur: in quibusdam enim regionibus in tantam erant euecti autoritatem Iudaei, vt Chriſtianis ſuperiores eſſent: de quo acriter conqueritur AGOBARDVS apud Ludouicum imperatorem libro citato.

VIII. Sed tamen a iure communi omnino alienum eſt, vt Iudaei teſtes fiant, quia infidelis contra fidelem non admittitur, *can. ſi haereticus. 2. q. 7. can. nullus. 3. q. 5.* quin etiam nominatim definitur Iudaeum aduocatum, vel defenſorem eſſe non poſſe, *l. vlt. C. de Iudaeis. cap. 7. concilii Meldenſis*, multo minus accuſatorem, dicto *can. pagani. 2. q. 5.* ergo nec teſtem, quum is, qui accuſare prohibetur, nec teſtis eſſe poſſit, *can. 1. 4. q. 1.* nec in ea parte debuit diſtinguere CVIACIVS Iudaeos a Saracenis, vt illos, non hos teſtes eſſe poſſe contendat.

IX Coniunguntur paſſim in hoc titulo, & coniunctim prohibentur habitare cum Chriſtianis, *cap. Iudaei. 5. h. t.* arcentur ab omnibus officiis, *cap. cum ſit. h. t.* debent diſtingui habitu a Chriſtianis, quod primus Innocentius III. ſtatuit in concilio Lateran. *cap. in nonnullis. hoc tit.* & confirmauit GLBMENS IV. *in concilio Viennenſi*, in quo praecipit Iudaeis ſecundum morem regionis pileos cornutos deferre: hodie quo facilius diſcernantur lutei coloris galeri imperantur, ſicut virides his, qui bonis ceſſerunt.

X. Sunt

X. Sunt pleraque alia communia Iudaeis, & Saracenis, quae facile deprehendi possunt: seruos Christianos eis habere non licet, *cap. 2. h. t.* imo qui eis seruiunt, excommunicantur, *cap. 5. h. t.* sed nec nutrices, quae eorum liberos alunt, Christianas habere possunt, *cap. etsi, h. t.* non habent etiam connubium cum Christianis, *can. cauc. 28. q. 1.* & contractus dissoluitur, si Iudaeus, aut paganus conuerti nolit, *can. Iudaei. ead.* denique conuiuia agere cum nostris non possunt, *can. omnes. 28. q. 1.* quamuis cum Saracenis aliquando edere liceat Christianis, si ea mente id agant, vt eorum conuersionem procurent, *can. infideles. 23. q. 4. can. ad mensam. 11. q. 3.* ratio enim haec est; quia Iudaei a cibis quibusdam abstinent, quos immundos credunt.

XI. In eo maxime differunt Saraceni a Iudaeis, quod hi aduersus nos arma non ferant, imo velut mancipia nobis obsequuntur, *can. dispar. 23. q. 8.* quod tamen non est tribuendum eorum facilitati, & beneuolentiae, sed potius imbecillitati: nec enim abest ab illis in Christianos odium incredibile; quos & ideo saepius nostri reges e ditionibus suis exegerunt; quia venenis & prauis machinationibus Christianis insidiabantur, & fontes toxicis inficiebant: quae causa est, cur *can. nullus. 28. q. 1.* vetet Christianos medicis Iudaeis vti; sic enim Carolum Caluum imperatorem a Iudaeo Sedechia accepto puluere necatum refert AYMONIVS *lib. 5. de gest. Francor.*

XII. Hoc etiam impio pro more habebant, vt singulis annis in die coenae Domini ad approbrium Christianorum crucifigerent in cryptis suis: & ideo Philippus Augustus bonis exutos e Gallia expulit, vt refert RIGORDVS in eius vita. Quae quidem pestis ita irrepserat, vt aliorum etiam subsequentium regum edictum interponi debuerit, ne vllas amplius synagogas & templa, quae scholas vocitabant, habere possent, eodem RIGORDO teste. In ditionibus & regnis alienis edictum Theodosii imperatoris locum habuit, vt nouas erigere aedes non possent, veteres tantum restaurarent, *l. vlt. C. h. t.* quae est legalis definitio, de qua Gregorius in *cap. Iudaei. 3. hoc tit.* D. AMBROSIVS in *epist. 29.* & *33.* Quod tolerantia, & patientia summorum pontificum eis indulsit, ea lege, vt eas altius tollere, ampliores & pretiosiores facere non licuerit, *cap. consuluit. hoc tit.* De eo Clemens IV. *epist. ad episcopos Poloniae* conqueritur; *synagogas*, inquit, *Iudaei aedificant plumbo tectas desuper, intus diuersis coloribus depingunt, in tan-*

tantam eas altitudinem producentes, vt earum reſpectu decorem domus Domini perdidiſſe in Polonia videatur. Ob id quoque eorum inſolentiam inſectatur AGOBARDVS loco citato.

TITVLVS VII.

DE

HAERETICIS.

I. Iudaeis, & Saracenis ſubiungit Gregorius titulum de haereticis, qui ab illis diſpares non ſunt, niſi quatenus appellatione diſtinguuntur, vt ait CHRYSOSTOMVS, *lib. 4. de ſacerdot. cap. 4.* τοὺς μετὰ οὐδὲν ἄμεινον Ἰουδαίων διακειμένους ἐυρήσει, πλὴν ὅσον ὀνομάτων διαφέροντα μόνον. Id eſt, *alteros inuenies Iudaeis nihilo meliores ſanioresue, niſi quatenus appellatione inter ſe differunt.*

II. Non tamen Iudaei & Saraceni, ſiue pagani, haeretici appellantur: triplex enim diſtinctio adhibetur a ZONARA in *can. 14. concil. Chalced.* vnde deſumptus *canon quoniam. 32. diſt.* vt Iudaei ſint interfectores Chriſti, & qui ex eis prognati: Sarraceni, ſiue pagani, qui & Graeci vocantur, qui a fide prorſus alieni idolis inſeruiunt; haeretici vero, qui myſteria fidei Chriſtianae ita recipiunt, vt in quibusdam tamen ab orthodoxis diſſentiant, & prauam cuiusdam hominis opinionem ſequi malunt, quam vniuerſalem eccleſiae doctrinam; & nomen ſuorum ſectariorum affectant potius, quam Chriſti; vt de Arianis, & Manichaeis, & aliis ſcribit D. AMBROSIVS *in praefatione. 1. ad Corinth.*

III. De his hic titulus, quos grauius plecti voluerunt tam conſtitutiones ciuiles, quam canonicae; haereſim etenim crimen, & maleficium publicum fecerunt, & in haereticos poenas quatuor ſtatuerunt, excommunicationem, *cap. ſicut. h. t.* καθαίρεσιν, depoſitionem, *cap. ad abolendam. h. t.* bonorum amiſſionem, *cap. vergentis. h. t.* & *poenam corporalem, cap. 13. ſſ. damnati, & cap. 15. h. t.*

IV. Imperatores aliquando exſilium decreuerunt, aliquando capitale ſupplicium pro varietate haereticorum; in Manichaeos mortis poenam, *l. 5. C. de haeretic.* quam legem non vidit D. AVGVSTINVS, ſuis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0115
DFG

enim temporibus Theodosius M. decem librarum auri multam constituerat, vt scribit in *epist ad Dulcidium 68. Non enim*, inquit, *tu in eos ius gladii vllis legibus accepisti;* nam vltimo vitae anno constitutio illa Theodosii iunioris & Valentiniani in dicta *l. 5.* edita est. Praeter Manichaeorum haeresim, nullam aliam poena capitis multarunt imperatores; in haeresiarchas tamen, & nouae religionis auctores seuerius semper actum fuit, quos omnes generaliter Valentinianus & Martianus capitali supplicio plecti voluerunt in *l. 8. C. eod.*

V. Canones vero sententiam capitalem, & sanguinis iudicium ferre noluerunt, sed hoc ad iudices seculares ab inquisitoribus remitti voluerunt, *cap. penult. h. t. cap. vt inquisitionis. eod. in 6.* Communior tamen & frequentior poena fuit ignis, *l. vlt. C. Theod. h. t.* ZONARAS in *can. 60. apostolorum.* Fuit vero olim obseruatum, vt haereticus ad bonam frugem redire cupiens, non admitteretur communioni fidelium, nisi ab episcopis, vt ex praefatione synodi Gangrensis constat, *cap. penult. h. t.* non ita in doctoribus & seminatoribus falsorum dogmatum, quos nunquam ad communionem recipi voluerunt leges ecclesiasticae; quod in Alexandrina synodo statutum refert D. HIERONYMVS *aduersus Luciferianos, paulo ante finem*; aut saltem nisi hac conditione, vt omnes ad fidem reuocarent, quos erroribus suis imbuissent, quae conditio imposita fuit Marcioni, vt testatur TERTVLLIANVS *lib. de praescript. adu. haeret. cap. 30. Ita pacem recepturus*, inquit, *si ceteros quosque, quos perditioni erudiisset, ecclesiae restitueret.* Saltem contraria praedicare, docere, scriptis mandare, aut publice profiteri cogebantur, *can. ego Berengarius. de consecrat. dist. 2. can. si quis episcopus. 1. q. 7.* & se in vnitate sanctae ecclesiae cathol cae, & communione Romani pontificis iureiurando praestito permansuros, *can. quoties. 1. q. 7.* nec eos vnquam ad maiores honorum gradus, quam quos antea adepti erant, potuisse conscendere scribit D. HIERONYMVS, loco citato; iuris seueritas nec ad pristinos redire passa est, *can. 1. q. 7.* licet soleat ecclesia benignitatem suam saepius impertiri, *can. si qui voluerint. can. maximum, & can. conuenientibus. ead.*

VI. Contra eos vero, qui pertinaciter haeresin tuentur, nec ad gremium redire volunt, grauius agitur; siquidem, vt dixi, inprimis excommuniatione plectuntur maiori, anathematis, quam iucurrunt ipso iure: est enim canon latae sententiae, ita vt non opus fuerit alia sententia condem-

demnatoria, sed tantum declaratoria. *can. episcopi. 26. q. 5. cap. cum secundum. h. t. in 6.* Praeterea omnino vitandi sunt haeretici, nec cibus cum eis sumendus, *can. ad mensam. 11. q. 3. can. omnis qui. 24. q. 1.* & qui cum eis versatus fuerit, excommunicationis vinculis innodabitur: qui eorum templa, sicut qui synagogas Iudaeorum ingreditur, & cum eis Deum orat, *can. 64. apostolorum*, si clericus, καθαιρέσει, laicus, ἀφορισμῷ subiiciendus est, ait ZONARAS; eos enim nec templa habere, nec congregationes, synaxes, litanias agere licet, *l. iuncti. C. eod. cap. 12. h. t. nouella Iust. 32.* nam orationes haereticorum potius sunt ἀλογίαι, quam εὐλογίαι, *can. 32. synodi Laod.* & e contrario non est concedendum haereticis, ecclesias ingredi, *can. 6. eiusdem synodi.* Horum quoque filii ab omnibus beneficiis & officiis vsque ad secundum gradum arceri debent, *cap. excommunicationem. 13. h. t. cap. statutum. eod. in 6.* ad exemplum reorum laesae maiestatis, *l. quisquis. C. ad l. Iul. maiest.* Sunt & incapaces capiendi haereditates, & legata ex testamento, *c. 5. h. t.* nec vllam habent testamenti factionem, vt refert ex constitutione Theodosii D. AVGVSTINVS *lib. contra Parmen.* testes esse non possunt, *l. quoniam. C. eod.* licet contra eos intestabilis quilibet admittatur. *cap. in fidei. 5. hoc tit. in 6.*

VII. Nullam vero distinctionem admittimus inter haereticos, cuiuscumque enim generis sint, eodem iure censentur nostris constitutionibus: nec fit differentia inter Manichaeos, Samaritas, & alios, a Iustiniano in dicta *l. quoniam*, & *nouella 45.* in quibus hos, quod ceteris fuerint improbiores, intestabiles omnino facit, reliquos vero, quantum ad accusationem, non quantum ad contractus, & testamenta, Manichaei siquidem & Samaritae ab haereticis distingui videntur constitutionibus imperatorum, vt indicat titulus *Codicis de haeret. & Manich. & Samar.* & *nouel. Theodosii:* imo & titulus noster in *4. compilat.* ideo quod Manichaei ad fastigium malitiae & impietatis peruenissent, *l. 5. C. eod.* lucem enim & noctem sibi Deos struebant, vetus testamentum respuebant, & de Paracleto infinitas blasphemias effundebant, vt constat ex CYRILLO *catechesi 6.* Samaritae vero sunt etiam haereticis peiores, nec tamen proprie haeretici, quum conflati sint ex Iudaeis & paganis, qui nec iudicium futurum exspectant, nec Christum Dei filium fatentur, resurrectionem negant, quam in procreatione liberorum consistere contendunt, vt

scribit PHILASTRIVS, *lib. de haeresibus.* His Iustinianus *nouel. 129.* restituit bonorum administrationem, & testamenti factionem, quam postea Iustinus eius successor eis ademit *nou. 144.*

TITVLVS VIII.
DE
SCHISMATICIS, ET ORDINATIS AB EIS.

I. Haereticis affines sunt schismatici; omnes enim haeretici sunt schismatici, sed non e contrario schismatici sunt haeretici. Haeresis est diuersa sequentium secta; schisma vero eadem sequentium separatio.

II. Haeresis est schisma inueteratum schisma, recens congregationis ex aliqua sententiarum diuersitate dissensio; cui tamen vna religio, eadem sacramenta, nihil in Christiana obseruatione diuersum, vt ait D. AVGVSTINVS *lib. 2. contra Cresconium*, quae differentia congruit cum D. HIERONYMO, qui in *can. inter. 24. q. 3.* ait haeresim esse, quae peruersum dogma sequitur; schisma vero id, quod nascitur ex aliqua episcopali dissensione, quam odium fraternum vocat D. AVGVSTINVS, *lib. 1. de baptismo contra Donatistas*: *odium*, inquam, *fraternum*, *quia inter Christianos*, *& fidei catholicae cultores*, *eiusdemque matris*, *ecclesiae nempe*, *filios nascitur*; *vt olim inter apostolorum discipulos*, *ego sum Pauli*, *ego Cephae*, *ego Apollo*, *ego Christi*, *1. ad Corinthios*, *cap. 1.*

III. Hanc dissensionem schisma vocat apostolus, διχοστασίαν, & ἀναστασίαν, id est, *scissuram*; quam causam dedisse creandorum episcoporum, cum antea ecclesiae presbyterorum consilio gubernarentur, testatur D. HIERONIMVS *ad Titum 1. cap. 1. In toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiae cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Et huic presbytero ceteris praepositio nomen episcopi datum fuit, a Graeco verbo σκοπεῖν, vel ἐπισκοπεῖν, quod *speculari*, quia oculum debebat intendere ad reliquorum dissensiones & scandala, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας, καὶ τὰ σκάνδαλα, vt est apud D. Paulum *ad Romanos*, *cap. vlt.*

IV. Tri-

IV. Triplex vero genus dissensionis & dissidii in ecclesia animaduertitur, haeresis, schisma, insolentia: haeresis, vt dixi, est eorum, qui omnino alienati sunt a fide; schisma eorum, qui propter quasdam quaestiones medicabiles πρὸς ἀλλήλους διενεχθέντες inter se dissident: insolentia, quae Graecis παρασυναγωγὴ, eorum, qui ob crimen aliquod a sacris prohibiti, canonibus non obtemperauerunt. Haeretici ex albo eradi Christianorum, & gremio ecclesiae, schismatici abscindi tantum dicebantur: & illorum olim a quibusdam baptismum aboleri, horum conseruari existimabatur: insolentes vero separari dicebantur, & facile per poenitentiam restituebantur: quae distinctio late proponitur a D. BASILIO *can. 1. ad Amphilochium.* Ergo schismatici sunt, qui obstricta ceruice se ab ecclesiae autoritate & obedientia subtrahunt, & se ab sede apostolica diuidunt, *can. non vos. 23. q. 1.* veluti si presbyter aliquis se ab episcopi sui communione cum quibusdam aliis subtraxerit, vt ex *can. 10. concil. Carthag.* refertur *in can. si quis presbyter. 11. q. 3.*

V. Ex quo notandum, proprie schisma non fieri ab vno homine tantum, sed ab eo, cuius tumorem & arrogantiam alii sequuntur, & relicta propria & generali ecclesia, aliam habere cupiunt priuatam, & in ea res ecclesiasticas interueniente presbytero peragere citra voluntatem episcopi, κατὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ait *canon 6. synodi Gangrensis*, sicut Eustathianos fecisse refert ZONARAS ad hunc canonem, quod etiam declarat Nicolaus I. *in ep. 6. ad Magnum, can. denique. 7. q. 1.* agens de his, qui sibi pseudo episcopos constituebant, quos gentilibus adaequandos esse dicit *can. non afferamus. 24. q. 1.*

VI. Qui vero pseudo episcopi manus suscipiunt, haeresiarchis ipsis aequiparantur, vt de Octauiano, & Guidone refertur in *cap. 1. hoc tit.* Octauiannus enim pseudo pontifex factus fuit, & Victor vocatus, factione & malitia Guidonis cardinalis Cremensis contra Alexandrum III. qui quidem Guido post obitum Octauiani pseudo pontifex etiam renunciatus est Lucae in Tuscia, & vocatus Callistus III. non, vt glossa annotauit, Paschalis; siquidem Ioannes Strumensis post eos sedem arripuit, dictus Paschalis III. vt est apud OTHONEM FRISINGENSEM.

VII. Poena schismaticorum vero est, vt praeter anathematis sententiam per exteram potestatem coerceantur, *can. non vos. 23. q. 5.* Per *exteram potestatem* intelligit Pelagius seculares iudices, non absimili sensu,

quo apud iurisconsultos exteri dicuntur, seu extranei, qui non sunt sui heredes, qui non sunt de familia, apud Iustinianum, *tit. de heredum qualit. & differ.* Hos eosdem iudices seculares idem Pelagius, *potestates publicas*, vocat, in *can. seq.* sunt enim laici iudices quasi ministri ecclesiae ad tuendam eius disciplinam, ad id exsequendum, quod sacerdotes doctrinae vi & imperio perficere non possunt *can. principes. ead.* Proscriptione quoque bonorum, & exsilio puniuntur, *can. de Liguribus. ead.* omnibus officiis, dignitatibus, & praerogatiuis destituuntur. *can. factus. 7. q. 1. & can. didicimus. 24. q. 1.*

VIII. Denique ordinationes, promotiones dignitatum, & rerum concessiones, alienationes ab iis factae nullius sunt momenti, *c. 1. h. t.* nisi super his rite fuerit dispensatum, *cap. 2. eod.* Suscepti tamen ordines ante schisma, postquam redierunt, ex liberalitate, & indulgentia eis conceduntur, ademta omni spe promotionis ad maiores, *can. omnis. 1. q. 1.* & quod dico, nullius esse momenti ordinationes, intellige quantum ad executionem, *can. ordinationes. 9. q. 1.* quam licet non conferat schismaticus, seruatis tamen ecclesiae formis & ritibus, ordinis characterem confert, vt Ostiensis, Panormitanus, & alii censent; ideo cardinalibus schismaticis ordo non adimitur, sed suspenditur. *cap. unic. cap. t. in 1. compilat.*

IX. Consecrationem episcoporum, presbyterorum, diaconorum a schismatico factam, & omnia, praeter baptismum, & chrisma dicuntur retractari, quae quidem, nisi a vero pontifice rescindantur, vel in suspensa sunt, vel rata omnino habentur; nam ex historia, sine restitutione & indulgentia, cardinalatus dignitatem & honorem tempore schismatis inter Vrbanum VI. Romae, & Clementem VII. Auenioni sedentes, locum & vim habuisse discimus. Beatus enim Petrus de Luxenburgo, cardinalis creatus ab antipapa Clemente, obiit miraculis, & morum sanctitate clarus, cuius reliquiae etiam hodie cum summa veneratione Auenioni in ecclesia Coelestinorum asseruantur, & a peregrinis cum ingenti cultu visuntur.

TIT V-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0120
DFG

TITVLVS IX.

DE APOSTATIS, ET REITERANTIBVS BAPTISMA.

I. Schiſmaticis maxime accedunt apoſtatae: nullus enim apoſtata eſt, qui non ſit ſchismaticus, quicumque enim recedit a vera fide, ſcindit ſe, & diuidit a Chriſto; & ideo in *can. beatus. 3. q. 4.* definitur, transgreſſor ſpontaneus legis ſuae, & propoſiti ſui.

II. Ex quo notandum, vere apoſtatas eſſe, qui ſponte, non vi coacti, recedunt, *can. alieni. 2. q. 7.* quicumque enim metu & terrore, hominum Chriſtum negant, apoſtatae proprie non dicuntur, quamuis tamen grauiter peccent, poenasque canonicas non effugiant, *can. 62. apoſtolorum. can. nolite. 11. q. 3.* Lapſis & errantibus ſubueniendum eſſe ait Theodoſius *in l. 3. C. h. t.* Per lapſos ſine dubio dubio debemus intelligere eos, qui metu mortis a vero tramite receſſerunt: quibus & ideo facilius venia indulgetur, ſi poenitentiam egerint. Quod apertius exprimitur in *can. 1. ſynodi Ancyr.* Eos enim aliquo modo excuſandos cenſet, qui in tolerabili tormentorum aſperitate victi Deum abnegarunt, non fraude aliqua, μήτε ἐκ μεθόδου τινος, ἀλλ' ἐξ ἀληθείας, id eſt, *ficte & fraudulenter, ſed vere* βιασθέντες ἔθυσαν, id eſt, *coacti immolauerunt, can. 4. ead.*

III. Hanc etiam diſtinctionem deprehendimus ex concilio Nicaeno, *can. 19.* iuxta editionem ALPHONSI PISANI, & FRANCISCI TVRRIANI: in eos equidem, qui ſine periculo, & vi regum, principum, & gentilium a fide defecerunt, animaduertit. Quin & definitio apoſtatae id ſatis indicat, qui Hebraeis dicitur *ſatanas*, & *Belial*, id eſt, *praeuaricator*, & *absque iugo*, vt ſcribit D. HIERONYMVS *in cap. 27. Iſaiae*, & ANASTASIVS NICAENVS *quaeſtionibus in ſcripturam:* quae verba tantum ad ſuperbos, & ambitioſos referuntur.

IV. Duplex vero eſt apoſtaſia, alia a fide, alia a religione; licet gloſſa triplicem conſtituat; aliam nempe ab obedientia, prima maximum crimen eſt, ſacrilegium vocat Conſtantinus in *l. 1. C. h. t.* ideo apoſtatas ab omnibus muneribus, honoribus, & facultatibus contrahendi, teſtan-

testandi, alienandi repellunt; & eorum bona fisco addicunt imperatores *in l. 2. 3. & 4. C. eod.* imo & capitali poenae subiiciendos docet HARMENOPVLVS, *lib. 6. tit. 11.*

V. Quod si huius criminis eos poeniteret, cum fidelibus communionem non habebant, sed eos *canon 4. synodi Ancyr.* inter audientes vnius anni spatio constituit; inter poenitentes, hoc est, in subsstratione, biennio, inter fideles alio biennio; & tum demum ad id, quod est perfectum, ἐπὶ τὸ τέλειον, ad sacrum mysterium accessus dabatur. Durius paulo egerat antea synodus Nicaena in dicto *can. 19.* quae in auditorio triennium, in subsstratione septennium, inter fideles absque communione biennium definierat: postea Siricius papa, qui annos circiter sexaginta a Nicaeno concilio pontificatum gessit, seueriorem legem tulit, in *epist. 1. ad Himerium Tarraconensem cap. 3.* Desertoribus enim, siue apostatis nullum tempus constituit, sed toto vitae tempore eos poenitentiam agere, & a sacra cummunione praeterquam in articulo mortis arceri voluit; qua poena etiam vsi sunt Theodosius, Valentinianus, & Arcadius in dicta *l. 3. h. t. Perditi nullo remedio poenitentiae, quae solet aliis criminibus adesse, succurritur.*

VI. Apostasia religionis, & desertio ordinis siue clericalis, monastici, *can. eos. 20. q. 3.* Clericus enim, qui vel habitum, vel & vitae modum mutat, apostata est, *cap. 1. h. t. can. vlt. 50. dist.* Habitus nomine, tonsura, & quiuis alius clericalis ordinis status intelligitur; siquidem ad tonsuram ferendam compelli debent clerici, quia in tonsura ordo confertur. *can. si quis. 23. dist.* Quod similiter dicendum de vestibus, quae peculiares sunt clericis, & distinctae a prophanis; quibus, qui clerici fiebant, olim solenniter indui solebant, & sicut per tonsuram, ita per vestem, per cingulum ordo conferebatur; & tunc certo loco, certae ecclesiae ordinabantur, vt *sup. tit. de vita & honest. & tit. de cleric. non resident.* attigi. Similiter monachi tonsuram suam & vestem habebant, quibus monasterio ordinabantur. *can. qui vere. 16. q. 1. can. quidam. 18. q. 2.* Ideo quicumque ab ecclesia, vel monasterio cui tonsi, & ordinati fuerant, recedebant, vt apostatae puniebantur. *can. 1. 20. q. 3. can. 21. synodi VI. in Trullo.*

VII. Crimen hoc apostasiae magnum, & fere omnibus poenis, quibus Christi desertores, compellendi sunt: excommunicatione potissimum & anathemate. *d. can. 1. 20. q. 3.* Si vero votum religionis contemnentes

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0122
DFG

tes in haeresim dilabantur, eadem poena, qua haeretici plectendi sunt, *l. vlt. C. h. t.* Iustinianus quidem apostatas cohorti praesidis prouinciae addicebat, *nou 6.* sed deinde *nou 123.* eos reuocari in monasterium voluit, ita tamen, vt si iterum a religione deficerent, cohortalibus adscriberentur: quod tamen Leo immutauit *nou. 8.* nolens eos vnquam cohorti adscribi, sed vt fugitiuos requiri, & retrudi in monasterium. Quod hoc iure locum habet, distinctione tamen posita, vtrum desertores clericatus, vel monasticae vitae excommunicati redire noluerint, sed militiae, vel alicui ministerio publico vacauerint, tunc reuocati in monasterium vt laici sine vllo gradu reputentur, vt scribit BALSAMON *ad can. eos. 11. q. 3.* desumptum *ex can. 7. concilii Chalced.* Si vero simpliciter propositum mutarint, & poenituerint, restituantur; priuati tamen omnibus bonis ante possessis, honoribus, & praerogatiuis, *can. mandamus. 19. q. 3* iuxta sententiam *canon. 26. apostolorum.*

VIII. Tertium genus apostasiae, quod affert glossa *in cap. primum h. t.* omitto, vtpote insolitum, & inauditum, quod nasci dicit ex inobedientia, & contèmptu diuinorum mandatorum, sacrarumque constitutionum; siquidem horum transgressor peccatum quidem committit, sed non apostasiam, vt optime docet PANORMITANVS; nisi diuina mandata obligare non credat, vel ecclesiae, & praelatorum autoritatem & potestatem neget: sed tunc hoc genus nouum non est, & idem fere cum primo, quo quis fidei desertor est, & in haeresim labitur. *can. nulli fas. 19. dist.*

IX. Additur in *hoc tit.* de reiterantibus baptismum, quae pars suo distinguenda titulo videbatur, vt in codice Iustiniani; quia baptismi iteratio haeresis potius fuit, quam apostasia. Donatistarum, & Arianorum error hic fuit, *can. nunc autem. can. non licere, & seq. de consecr. dist. 4.* iniuria enim fit sacramento per iterationem, *cap. 2. hoc tit. can. quemadmodum. 23. q. 7.* sed de his superior. tit. *de presbytero non baptizato.*

TITVLVS X.

DE

HIS, QVI FILIOS OCCIDERVNT.

I. A publicis accusationibus ad priuatas descendit Gregorius, & inprimis tangit crimen homicidii, quod diuiditur in parricidium, & homicidium; hoc titulo de parricidio & seq. tum de illo.

II. Quaeret aliquis, cur hoc titulo agitur tantum de nece filiis illata a parentibus non ex aduerso, quod desiderandum fuit, quum lex parricidii omnes gradus tam ascendentium quam descendentium complectatur? Lex nempe Pompeia *l. 1. ff. ad l. Pompei. de parricid. & l. vnica C. de his qui filios vel parentes occid.* & parricidii vox non solum ad parentum necem, sed etiam filiorum & fratrum referatur, vt apud TVLLIVM *pro Cluentio, fraternum parricidium* dicitur: sed & ciuium apud eundem TVLLIVM *7. in Verrem*; imo & cuiuscunque hominis: *πατροκτονία*, sumitur pro *ἀνδροκτονία* ex lege Numae, quam refert FESTVS, *si quis liberum hominem duit, parricida esto.* Proprie tamen parentum parricidium dicitur; vnde est quod NICOLAVS *ad consulta Bulgarorum cap. 24.* ait, *quid parricida, id est, qui patrem, vel matrem, fratrem, aut sororem interfici, pati debeat, leges indicant*, quod refertur in *can. 53.* synodi Wormat.

III. Si quis igitur parentum sanguine manus suas maculauerit, poena puniendus est legibus notissima; quam non tamen Pompeius introduxit, quippe antea in vsu fuisse constat ex *l. 9. ff. eod.* poena parricidii more maiorum instituta est, quippe lege XII. tabularum iam recepta erat, vt ex TVLLIO *1. ad Herrennium* liquet Pompeius. eam more populi Romani obseruatam lege firmauit, & de ea publicam quaestionem Cornelius Sulla primus instituit, vt notum est *ex l. 2. deinde. de orig. iur.* Dicta tamen fuit non Cornelia, quia ea lex ad omnes sicarios extendebatur; sed Pompeia, quia Pompeius licet poenam non statuerit, tamen personas, circa quas parricidium committi diceretur, expressit *d. l. 1.* Et ad hanc legem extendere debemus, quae de matre, quae interemit filium, dicuntur in *cap. 1. & 2. h. t.* Cuius potissimum fit mentio ideo *h. t.* quia frequentius euenire solet, vt matres filios suos, quam

filii matres interficiant, partim incuria, partim odio, partim ob luxuriam; taedio enim est iis filios numerosius augere, quum non pro filiis habendis matrimonium, sed libidinis explendae causa contrahunt: ideo eas capitali poena plecti voluit Recaredus rex Gothorum, vt est in *can. 17. concilii Toletani III.*

IV. Et licet mater calore iracundiae ad hoc scelus impulsa fuerit, non excusatur: sed poena canonum coërcetur, quae mitior est illa, quam leges inferunt; quia quum sanguinis, vel mortis supplicium horreant, *cap. sententiam. sup. ne clerici, vel monachi*; hoc tantum statuitur, vt in monasterio recludatur; illic perpetuam poenitentiam actura; quod si maritum habeat, non erit a viro seiungenda, sed pro qualitate criminis punienda *cap. 2. h. t.* Poena vero, quam patris, matrisue interfectores incurrunt, notanda est ex *can. latorem. 33. q. 2.* ex quo constat hoc iure certam & definitam poenam non esse, quam iuris positiui faciunt theologi, sed tamen hoc constitutum manet, vt brachio saeculari tradantur. *can. quum non ab homine. sup. de iudic.*

V. Non solum autem mulier, quae mortem gladio & vi intulit, sed & quae potionibus & venenis, quae φθόρια vocat synodus Ancyr. vel aliis prauis artibus necem filiis procurauit, vel in vtero suo abortum fecit, *can. consuluisti. 2. q. 5.* poenis homicidarum subiiciendam ait *can. 91. synodi VI. in Trullo*, segregationem quidem totius vitae tempore, primum irrogatam fuisse, deinde decennii ostendit *can. 21.* dictae synodi, quod confirmat D. BASILIVS in *can. 2. ad Amphil.* His non annumeratur, quae exterrita, vel metu commota partum aluo effudit, quem *exterricineum* vocat FESTVS, sicut etiam propter suffocationem, quae fit in lecto a patre & matre simul decumbentibus: vbi enim non voluntas, sed euentus mortis causa fuerit, crimen homicidii non est, *cap. vlt. h. t.* quamuis tamen culpa non vacent, quae ex ipsorum confessione elicienda est, dicto *can. consuluisti.*

TITVLVS XI.
DE
INFANTIBVS, ET LANGVIDIS EXPOSITIS.

I. Hic titulus pars est, & sequela superioris, quum parentes, qui filios exponunt, occidere eos videantur, *can. pasce. dist. 86. l. necare. de liberis agnosc.* mulier enim, quae sui foetus curam non habet, sed eum vel abiicit, vel exponit, homicidii, & caedis rea habenda est, vt ait D. BASILIVS in *can. 33. ad Amphil.* in quem BALSAMON recte subdit synodali conuentu definitum fuisse, eos, qui proprios filios in templi aditibus exponunt, vt homicidas puniendos, etsi infantes ab aliis educentur: quod congruit cum *can. si expositus. 87. d.* nec enim per eos stetit, quin morerentur, nisi misericordia diuina erepti fuissent, quod sane tribuendum est prouidentiae diuinae, non fortunae; siquidem ait CLEMENS ALEX. *in eclogis:* ἐκ τῶν προφητικῶν partus & infantes expositos angelis curandos & tractandos committi: ἡ γραφὴ φησὶ τὰ βρέφη ἐκτεθέντα τιμελοῦχω παραδιδόσθαι ἀγγέλω, ὑφ' οὗ παιδεύεσθαι τεκνὴ ἄυξειν.

II. Tales autem infantes erepti a periculo, liberantur a patria potestate, quum suum dicere non possunt eum parentes, quem pereuntem contempserunt *l. 2. C. h. t.* sed nec educatores & collectores ius vllum in eos, velut in filios, aut seruos habere possunt, ex constitut. Iustiniani in *l. vlt. C. eod.* non possunt aliquod ius vindicare, inquit Greg. in *cap. vnic. h. t.* quia pietatis officium gratis exercere debuerunt *l. 2. C. de ingen. manum.* quamuis tamen ante ipsum Iust. expositos iure seruorum, vel filiorum retinere possent, ex constitutione Constantini *in l. 1. cod. Theod. de expositis;* ac si eos ea conditione redemissent. *l. vnica C. Theod. de his, qui sanguinol. acceper.*

III. Quam legem primam intelligendam esse quidam putauerunt, quoties educator expositum de voluntate domini vel patris collegerit; haec enim verba *quicunque puerum vel puellam proiectam de domo patris, vel domini voluntate scientiaque collegerit &c.* sunt ita interpungenda, vt post verbum, scientiaque, apponenda sit virgula, quasi dixerit Constantinus, vt quicunque collegerit puerum, vel puellam proiectam de domo, patris vel domini voluntate, scientiaque: correxit hoc Iust. quia plerique infan-

fantuli excipiebantur, & colligebantur obtentu misericordiae, vt postea aetate prouecti ad quaestum meretricium & profanum adhiberentur, quod insectatur IVSTINVS MARTYR in *Apol. 2.* ad Antoninum pium πρῶτον μὲν ὅτι τὰς πάντας χεδὸν ὁρῶμεν ἐπὶ πορνείᾳ τραφέντας ὐ μόνον τὰς κόρας, ἀλλὰ καὶ τὰς ἄρσενας, id est, *primum quidem quod omnes fere videamus ad quaestum meretricium educari atque produci non puellas modo, sed & masculos expositos.*

IV. Ab expositis, qui vulgo ἔκθετοι distinguendi sunt, qui pro derelicto habentur, ἀπρονόητοι. Infantes enim, qui lactentes sunt, exponi dicuntur; alii vero septennio proximi pro derelicto haberi: illi nanciscuntur plenam libertatem, hi pristinum statum retinent; si liberi genere sunt, vel ingenui, libertatem conseruant; sin minus, serui manent, nisi eo casu, quo ob aegritudinem electi a domino fuerunt *l. 2. §. sed scimus. C. de vindic. lib.* Non solum autem iure ciuili *dicta l.* Constantini expositi collectoris fiebant, sed etiam hoc iure; dummodo excipiens eos ecclesiae contestaretur, id est, in testationem redigeret, testibus vocatis coram episcopo, vt omni calumnia vacuus accusari non posset furti, vel plagii, dicto *can. vlt. 87. dist.* quem non ex Arelatensi concilio II. sed ex Vasensi detractum quidam existimant; quod ad exemplum Iustiniani correxit Gregorius in *cap. vnico h. t.* statuens, vt seruus, siue ingenuus, infans siue ἔκθετος, siue ἀπρονόητος; cuiuscumque aetatis, languidus, ac alimentis destitutus, liber fiat.

V. Porro infantis nomen, quamuis omnem filium continere iure etiam Romano dicat D. HIERONYMVS *quaest. in Genesim;* tamen hoc loco continet tantum sanguinolentos & tenellos, qui ἐν χύτραις, in ollis, corbibus, aut clypeis, fasciis colligati fluminibus exponebantur, vnde obstetrices, quae tale facinus exercebant ἐγχυτρίστριαι dicuntur, apud ARISTOPHANEM. Ne vero periculo illaesi grandiores facti parentibus miscerentur, solebant veteres, notas quasdam eorum corporibus imprimere, IVSTINVS *lib. 44. Tunc & lineamentorum similitudine, & notis corporis, quae inustae paruulo fuerant, nepos agnitus.* Imo & ne priuarentur omnimodo bonis paternis in corbe aliquam pecuniae summam apponebant. TERENTIVS *in Heautont. act. 4. sc. 1.*

Cum exponendam do illi de digito annulum.
Detrabo, & ei dico, vt vna cum puella exponeret.
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.

TITVLVS XII.
DE
HOMICIDIO VOLVNTARIO, VEL CASVALI.

I. Tractatum nunc generalem de homicidio aggredimur, quo nomine non intelligimus tantum necem hominis gladio, vel telo, sed etiam alia quacunque arte, vel dolo factam, ex lege Cornelia de sicariis. *l. 1. ff. ad l. Cornel. de sicar. cap. si aliquis h. titulo.*

II. Hominis dico caedem, cuiuscumque sit conditionis & status, serui, vel liberi, *l. 1. §. & qui hominem. eod.* cuiusuis etiam aetatis, *l. penult. C. eod.* etiam eius, qui adhuc in vtero matris est. *l. si mulierem. ff. eod.* adhibita tamen distinctione, vtrum foetus iam formatus fuerit, vel non; siquidem corporis lineamenta si nondum composita sint, anima etiam nondum infusa est; & tunc non committitur homicidium, quod cadit tantum in id, quod animatum est. *can. quod vero. 32. q. 2.*

III. Animam autem habet id, quod vitam habet, quia vita est anima, sine qua perfectio corporis esse non potest: & ideo philosophi animam definiunt, perfectionem corporis instrumentarii; id est operationem, ζωὴν, quasi ζέουσαν, feruentem quandam substantiam, quae vitales facultates ac vires aperit, ac producit apud ARISTOTEL. *2. de anima*: a quo ita definitur anima, *πρώτη ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ*, id est, *primus actus corporis naturalis organici:* & haec quidem anima non statim cum semine deriuatur, *can. Moyses. ead.* habetur quidem potentia, sed non actu prius, quam conceptus separetur, cibum trahat, *καὶ ποιεῖ τὸ τῆς τοιάυτης ψυχῆς ἔργον*, id est, *officio animae fungatur*, ante vero vitam stirpis agit, vt idem philosophus *2. de generat. cap. 3.* docet D. HIERONYMVS *epist. Algasiae. q. 151. semina paulatim formantur in vteris, & tamdiu non reputatur homo, donec elementa confusa suas imagines, membraque suscipiant.*

IV. Ideo nec homicidium, nec caedes committi dicitur in plantam, & stirpem, nec ad id pertinet lex Cornelia de sicariis, sed aliquando ad legem Corneliam de veneficis, vt si quis exusserit insulam, vel aliquid

aliud

aliud, *l. 1. & l. 10. ff. eod.* Quod mirum videri poterit, quum illa respiciat tantum mortem vi & gladio, vel magicis artibus & insidiis homini illatam; vt constat ex PAVLO *5. sentent. tit. 23.* non vero ad incendium, cuius peculiaris est titulus de incendio, ruina, naufragio: nisi dicamus pertinere hoc ad l. Cornel. quoties mors illata est incendio, dolo malo perpetrato; quod non alienum erit a lege Cornelia, quae quamlibet caedem coercet tam violentam, quam malis artibus factam; vnde Martianus in *dicta l. 1.* recte ait, *qui hominem occiderit, cuiusue dolo malo incendium factum fuerit, scilicet, vt mors alicui inferatur:* cui sententiae adstipulantur haec verba, *dolo malo;* dolum enim malum Seruius & Labeo definiunt, machinationem quandam alterius circumueniendi, *l. 1. ff. de dolo,* & quod maius est, dolus malus propius accedit ad partem l. Corn. de veneficis; quia saepe sumitur pro veneno, pro magicis artibus: CATVLLVS *ad Furium; nihil timetis non facta impia, non dolos veneni.*

V. Igitur lex ista de homicidio, non punit damnum rebus inanimatis & ratione carentibus illatum, nisi caedis patrandae animo factum fuerit: nec igitur foetus, qui in vtero adhuc formam hominis non habet; iactura, homicidium nuncupabitur, ex sententia D. AVGVST. & HIER. iuxta legem Mosis in dicto *can. quod vero, & seqq.* Moses enim abortionem informati foetus multa pecuniaria, formati vero capitali supplicio plecti voluit, *Exodi cap. 23.* & vt Graeci dicunt ἐὰν ἐξεικονισμένον ἢ τὸ παιδίον, id est, *si formatus, siue effigiatus sit puer.* Quam distinctionem ob nimiam subtilitatem improbat D. BASIL. qui quomodolibet partus sit, siue formatus, siue non, caedis & homicidii poenas luendas esse decernit, *can. 2. ad Amphil.* secutus hac in parte ius ciuile, quod etiam nostri canones admiserunt, vt constat ex dicto *cap. si aliquis h. t.* a cuius sententia recedit Innoc. III. *in cap. sicut 20. h. t.* sequutus Mosis legem, & veterum patrum opinionem, quam & amplectitur D. THOMAS *2. 2. q. 3. art. 1.* nisi dicamus dictum *cap. si aliquis,* loqui, quoties medicamentis & poculis sterilis fit mulier, quo liberius libidinem explere possit: & ita hoc iure homicidium proprie fieri dicitur de foetu animato, qui hominis appellatione continetur, *l. hominis. ff. de verb. signif.* quamuis & aliquatenus, qui abortum, vel sterilitatem procurauit, reus sit omnium, qui nasci potuissent, D. AVGVST. *sermone de tempore 244.*

Mulier

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0129
DFG

Mulier quaecumque fecerit hoc, per quod iam non possit concipere, quantoscumque parere poterat, tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat.

VI. Vt autem propius ad materiam istius tituli accedamus, dicendum est, licet homicidium committatur, non tamen semper poenam infligi, sed distinctionem adhibendam esse; aut enim homicidium voluntarium est, aut non; siquidem si sponte, & dolo malo, id est, animo occidendi fiat, lege Cornelia vindicatur, *cap. sicut. 6. §. illi. 1. h. t.* aut vero fortuito casu, & non dolo malo; & tunc crimen homicidii non incurritur, *l. 1. & 5. C. ad leg. Cornel. de sicar. cap. lator. h. t.* Non enim omnia homicidia damnanda sunt, sed ea tantum, quae cum iniuria coniuncta sunt, σὺν ἀδικίᾳ.

VII. Per iniuriam intelligimus non solum dolum malum, & quoties animus, & consilium insunt, sed etiam quamlibet crassam & supinam negligentiam, μεγάλην ἀμέλειαν, latam culpam, quae dolo assimilatur; imo & non magnam, & omnino crassam, sed leuem negligentiam, quae poena homicidii coërceri debet, vt scribit BALSAMON in *can. 92. synodi VI. in Trullo*, iuxta id, quod iurisconsultus etiam ex leuiore culpa de caede illata, legis Aquiliae actionem competere ait in *l. qui occidit. §. penult. ad leg. Aquil.* licet enim ex rescripto D. Adriani, in maleficiis voluntas spectetur, *l. diuus. ad l. Cornel. de sicar.* tamen voluntas, & consilium saepius praesumuntur ex negligentia, & incauto euentu: siquidem, vt nostri loquuntur, si quis rei illicitae, vel etiam licitae non adhibita diligentia operam posuerit, homicidii tenetur, *cap. presbyterum, & seq. cap. ad audientiam, & seq. h. t.* Non tamen, vt ea puniatur poena, qua alius vere homicida, sed aliquanto mitior poenitentia danda est, *can. studeat. 50. dist.* nisi quoties dans operam rei licitae sine vlla culpa, & negligentia homicidium facit: tunc enim nullo pacto reus homicidii erit, *cap. dilectus. h. t.* nec ad id pertinet lex Cornelia. *l. in lege. ff. ad l. Cornel.*

VIII. Valentinianus vero nouella *de homicidio*, declarat, quemlibet interfectorem reum caedis esse, licet omnis dolus, culpa, & negligentia absint; nec alio modo posse absolui, quam principis adnotatione, id est indulgentia principis manu subscripta: quod & multo ante Valentinianum obtinuisse, & a Diocletiano constitutum fuisse constat ex

lege

lege eum qui. 5. C. eod. quod & hodie in Gallia edictis regiis cauetur: nec hoc alienum a lege Diuina, qua doli & culpae expertes, ob caedem rei & polluti censebantur, & ad eluendam huiusmodi labem cogebantur ex filii causa in vrbes destinatas secedere, quarum tres trans Iordanem, aliae in terra Chanaan collocatae erant, *cap. 35. numer.* his enim templi ingressus prohibebatur, ὥσε μήπω καταρδαμένοις, id est, *vtpote nondum expiatis*; sed in vna harum vrbe media inter sacram, & profanam, quasi templo quodam secundario manere debebant, τρόπον τινὰ δεύτερον ἱερον, vocat PHILO *Iudaeus*, *lib. περὶ τῶν ἀναφερομένων, de specialibus.*

IX. Quod quidem exsilium, tum ad expiandum scelus licet fortuitum, tum ad effugiendam iram & impetum parentum & cognatorum, qui vltro necem suorum vindicare nitebantur, institutum fuit. Quem ordinem suis legibus Athenienses amplexi sunt, vt ex DEMOSTHENIS *orat. aduersus Aristocratem* constat, & Romani apud DIONYSIVM HALICARN. *lib. 3. c. 5.*

X. Imo & hoc iure nostro, licet ab omni suspicione culpae quis alienus sit, aliquantula tamen poenitentia purgare se debet, *can. clerico. 50. dist. cap. petitio. h. t.* licet nullum sit crimen, *can. si non licet. 23. q. 5.* siquidem voluntarius homicida perpetuo anathemate subiicitur, & communionem in extremo vitae habitu tantum accipit, non voluntarius septem vel quinque annos in poenitentia agere debet, *can. 22. synodi Ancyr. can. 78. collectionis* MARTINI BRACCARENSIS. D. BASILIVS viginti annos poenitentiae voluntariis vndecim involuntariis tribuit *can. 56. & 57. ad Amphil.* quod intelligendum est de homicidio a laicis commisso; nam clericus homicida aliispoenis plectitur. Ad cautelam etiam non conscio & innocenti poenitentia iniungitur *cap. significasti. h. t.*

XI. Porro sicut homicidium dicitur solius hominis, non bruti, aut plantae; ita nec proprie comitti nisi ab homine potest: ideoque si animal quoddam hominem occiderit, necari etiam debuit olim, vt de apibus, quae occiderunt hominem, refertur in synodo Wormatiensi sub Hadriano II. *can. 64.* Antiqui hac in parte multum fuere superstitiosi; siquidem legem Draconis magni fecerunt, quae anima etiam carentia vrbe, agrisque exterminanda sanxerat, si casu quempiam peremissent, vt de statua homicidii postulata scribit PAVSANIAS *in Eliacis lib. 5. & 6.*

XII. Praeter homicidium ſpontaneum, & fortuitum, duo alia genera ſunt, ex quibus tamen crimen non incurritur; vt ſi miles ducis iuſſu aliquem occiderit, *can. miles. 23. q. 5.* vel miniſter, iudicis autoritate, *can. cum miniſter, & ſeq. ead.* licet enim iniuſta, & iniqua ſit caedes, tamen non tenetur, qui ſuperioris ſui mandata exſequitur, *cap. paſtoralis. §. quia vero. ſup. de offic. iudic. deleg.*

XIII. Alterum genus eſt, cum quis occidit, ſe & ſua defendendo, veluti ſi furem aut latronem occiderit, *cap. 2. h. t.* ſiue nocturnus is fuerit, ſiue diurnus, dummodo die iam lucente ſe telo, vel alio modo defenderit, *cap. 3. cap. ſignificaſti. 2. h. t.* nam ſi quis potuit latronis inſidias effugere, vel ἐκ μελέτης αὐτὸν ἐφόνασεν, id eſt, *eum dedita opera interfecit*, in talem homicidam animaduertendum eſſe docet conſtitutio Chliareni *lib. 3. ſententiarum ſynod.* Et de his omnibus caedium modis peculiaria iudicia habebant Athenienſes; Areopagitarum, qui de ſpontaneis iudicabant; de inuitis, & fortuitis, in Palladio cauſa agebatur; de his, qui iure occidiſſe contendebant, in Delphinio; de his, quae a rebus inanimatis fiebant, in Prytaneo: de his, qui caede non ſponte facta, iterum aliam ſponte fecerant, vel vadimonium deſeruerant, in Preatico, vt eſt apud DEMOSTHENEM, *orat. aduerſ. Ariſtocrat.* & HELLADIVM *in bibliotheca Photii.*

TITVLVS XIII.

DE

TORNEAMENTIS.

I. Specialis hic titulus pertinet ad homicidium, quod in torneamentis fit. Torneamenta erant ludi fere ſimiles gladiatoriis & circenſibus: ſicut enim circenſes ludi dicti fuerunt, quaſi circuenſes; & circus a circuitu, vt refert ISIDORVS *7. etymolog.* vnde in veteribus gloſſis, *circare*, eſt *circuire*, & *circada*, circutio, apud IVONEM CARNOTENSEM, *epiſt. 286.* ita & torneamenta dicta fuerunt a Graeco verbo τορνόειν, quod eſt *circuire* apud HOMERVM; in medio enim campo circus deſignabatur, intra quem pugnaturi ſiſtebantur, gentilium more, vt refert KRANTZIVS *lib. 1. Saxoniae, cap. 4.* Graeci in veteribus gloſſis vulgo vocant haec torneamenta, τορνέσια vel τουρνέσια apud

MYREPSVM *lib. de droſatis, cap. 16.* & τόρνε apud NICEPHORVM GREGORAM *lib. 10.* qui in geneſi Ioannis imperatoris hunc ludum plene deſcribit. Ait enim populum diuidi in turmas, tribus, & curias, & hinc inde ad praelium armis concurrere, hac lege, vt qui alterum vulnerarit, vel interfecerit, indemnis ſit, & ἀνέγκλητος.

II. Alii a Troiano ludo ducere malunt, torneamentum, quaſi, Troiamentum; firmatur eorum ſententia ex eo, quod equeſtri pugna Troianum excidium apud veteres iuuentus ſoleret repraeſentare, τὴν ἱππασίαν τροΐαν vocat XIPHILINVS *in Iulio*, de quo etiam Troiano ludo TACITVS *6. annal.* SVETONIVS *in Nerone, & Tiberio.* VIRGILIVS *5. Aeneidos*:

Troiaque nunc pueri Troianum dicitur agmen.

Omnem hunc cruentum morem damnauit Conſtantinus *in l. vnica. C. de gladiator.* Et poſt eum Honorius, teſte THEODORITO *lib. 5.* ſed nihilominus vsque ad poſtremos imperatores hoc malum peruenit, vt conſtat ex ZONARA, & CEDRENO: & eadem pene crudelitas, licet alio nomine quaſi velo operta, remanſit vsque ad tempora Innocentii II. qui in *concilio Romano, can. 4.* prohibuit omnino torneamenta, & tentamenta, quae fiebant ad virium oſtentationem; quam conſtitutionem minus exacte ſeruatam repetere coactus fuit Eugenius III. in *concilio Rhemenſi cap. 12.* BARON. annal. tomo II. tum deinde Alex III. *in concil. Lateran. cap. 20.* vt refertur in *cap. 1. & 2. hoc tit.*

III. Nec per torneamenta prohibita, hoc loco debemus intelligere ludos omnes, hippodromia, curricula, & venationes, & alia, quae diebus dominicis prohibentur in *can. 24. ſynodi VI. in Trullo, & can. 64. ſynod. Carthagin.* Diſtinguit illic, & in *cap. 29. tit. 17. Nomocan.* recte BALSAMON ludos vetitos a licitis, ad quos non ſolum laici, ſed etiam clerici citra vllum praeiudicium accedunt: praeiudicio enim carere dicuntur, a quibus abeſt periculum non tantum vulneris, aut mortis, ſed etiam infamiae ob turpitudinem eorum, quae illic geruntur. *can. 63. ſynodi VI.*

IV. Sublata ſunt omnia illa virium tentamenta periculoſa, non vero alia: nec enim curſum equorum ἱππικὴν, aut μονόβολον, aut κοντομονόβολον vnquam prohibuerunt patres, niſi diebus feſtis, vel ſi in locis ſacris, & religioſis fierent, vt annotat BALSAMO, & hac de re edidit conſti-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0133
DFG

tutionem COELESTINVS III. *in epist. ad episcopos Angliae*, quam refert ROGERVS *in suis annalibus*, prohibens, ne in terra sancta, vbi steterunt pedes Domini, torneamenta tyronum, exercendae virtutis causa inuenta fiant, vbi torneamenta intelliguntur, non hastiludia, & cruenta proelia, sed equorum cursus, & agitatio, quae licita est, & de quibus intellexit Innocentius III. *in concilio Lateran.* cum ob crucis negotium vsque ad triennium torneamenta prohibet exerceri.

V. Quae tamen ratio fuit, cur Christianis torneamenta facere liceret, vt nempe contra Christi hostes expeditiores essent; vt in Richardo rege Angliae refert MATTHAEVS PARIS, ad annum 1194. Hi ludi vulgo *tabula rotunda* vocabantur, & equites *tabulae rotundae.* Lanceae vero, & hastae ferro erant munitae hebete, atque obtuso instar vomeris, non acuto: vt idem narrat in *Henrico III.*

VI. Nec minus hoc titulo comprehendere debemus naumachiam, ex qua etiam saepe naufragia contingunt: hunc ludum describit VIRGILIVS *5. Aneid.* & DIO refert Domitianum locum effodisse, in quo naumachiae ludus fieret. Prohibetur etiam θηριομαχία, qua arenarii & bestiarii ad certamen cum feris inuitantur, qui mos & hodie durat in plerisque locis, vt apud Vasates Aquitaniae populos, quos in vigilia B. Ioannis Baptistae tubarum strepitu, & acutis stimulis tauros ad pugnam prouocasse olim notum est, tam cruento praelio, vt saepius mors aut vulnera ingentia reportarentur, qui abusus hisce postremis temporibus sublatus est. Denique ludi alii, qui describuntur a Iustiniano in *nou. 105. cap. 1.* improbantur hoc tit. adeo vt, qui haec certamina subierint, poena anathematis plectantur, & mortui priuentur ecclesiae suffragiis & sepultura, ac si sibi mortem conscisuissent, *can. placuit. 23. q. 5. extrauag. Ioann. XXII. de torneamentis, cap. vnico.* Henricus III. rex Angliae hanc poenam addidit, qua tale crimen terrori esset, vt transgressorum heredes paterna hereditate priuarentur teste eodem MATTHAEO. Quod si nullum oriatur periculum ex ludis similibus, facilius conceduntur, veluti qui legibus Romanis πενταθλα nomine censentur, scilicet cursus, saltus, iaculum, lucta, pugilatus. *l. solent. de aleatoribus.*

TITV-

TITVLVS XIV.
DE
CLERICIS PVGNANTIBVS IN DVELLO

I. Hic titulus respicit etiam homicidium, quod committitur in duellis; & in eo tantum differt a titulo de purgatione vulgari, quod hoc de duello agatur, quatenus spectat homicidium, infra vero, an licita sit duelli purgatio, sicut alia genera purgationum. Maxime autem duellum prohibetur clericis *cap. 1. h. t.* quia ex eo succedunt homicidia & membrorum mutilationes, *cap. vlt. hoc. tit.* nec aliter differt torneamentum a duello, nisi quod duellum est duorum bellum: torneamentum plurimorum.

II. Ex Danis primum cessit duelli modus, apud quos pro omnibus litibus & contentionibus duellum committebatur, quod detractare ignominiosum erat, vt scribit KRANTZIVS *lib. 2. Daniae:* quem tamen morem sublatum ab Haraldo rege, restituit & reuocauit Canutus, vt idem scribit *lib. 5.* Ab his populis ad Saxones, quos bellis saepius deuicerunt, vsus transiit, tum deinde a Saxonibus ad Francos & Gallos, atque ad Longobardos: siquidem Longobardi ex Scania, siue Scandia Daniae regione in Italiam & alias deinde prouincias exundarunt; sed inter omnes nulli hisce laqueis magis sese implicarunt, quam Galli, apud quos tandem exoletum hunc morem lege lata renouauit Gundebaldus rex Burgundionum, vt scribit AGOBARDVS, *lib. de iure duelli;* ita vt nec constitutiones ecclesiasticae id impedire potuerint. Concilium Valentinianum anno 855. *can. 12.* sub graui poena cauit, vt non solum occisor, sed & occisus vt sui ipsius homicida puniretur: quam constitutionem confirmauit Alexander III. *in cap. 1. h. t.* statuens tam victum quam victorem clericum deponendum esse.

III. Moris fuit non solum laicis, sed etiam clericis omnes controuersias etiam ecclesiasticas duello definire, vt ex ANONYMO, *de miraculis S. Benedicti, cap. 11.* constat, & quod notandum, eo processerat lex impia Gundebaldi, vt non solum in rebus, & controuersiis dubiae probationis duelli certamen iniretur, sed etiam in iis, in quibus nulli te-

teſtes, nullae probationes requirebantur. AGOBARD. ſcribens ad imp. Ludouicum; *quae omnia*, inquit, *plusquam in ceteris gentibus abundant inter Gundebados, apud quorum legem non licet diſcuſſione aut veracium teſtimonio cauſas terminare.*

IV. Nec ſolum duello & monomachia, ſed etiam polymachia, pluribus ſimul ſcutis, & baculis decertantibus teſte ADREVALDO FLORIACENSI *lib. 1. cap. 25. & in Capitul. lib. 4. cap. 23.* quod nunquam probatum fuit ab eccleſia, imo maxime damnatum eſt, *can. monomachiam. 2. q. 5.* non tantum inter clericos, ſed alios, quod nominatim dicitur *h. t.* de clericis; quia, vt ait IVO CARNOTENSIS, *epiſt. 241. monomachia vix, aut nunquam ſine ſanguinis effuſione tranſigi ſoleat*, quod alienum eſſe a clericis debet, *can. bis a quibus. 23. q. 8.* ad quam tamen legem clericos ſaepius cogi reperitur, vt apud MATHAEVM PARIDEM in Henrico III. *Clerici*, inquit, *collectis, & taliis affliguntur, & vt aſſeritur, coguntur duella ſubire.*

V. Et quamuis perſaepe inter eos duellum ſuſceptum fuiſſe reperiatur, tamen nunquam id iure factum fuit; ideo GOFFRIDVS VINDOCINENSIS quaerit a Petro epiſcopo Xantonenſi cauſam, cur duellum commiſſum fuerit inter Raynaldum & Guillelmum monachum, ideo & Fridericus imperator in Lugdunenſi concilio ſub Innocentio IV. excommunicatus fuit, quod clericos ad duella coegiſſet, vt ſcribit NANGIVS. Ratio praecipua eſt, quia antiquitus duellorum conceſſio apex erat ſupremae iurisdictionis, quae tale ius tantum dominis intra ditionum ſuarum terminos concedebat, vt annotauit CHOPINVS *lib. 1. de iure Andium.* Saepe fraus eccleſiaſticae ſanctioni fiebat, nam clerici alios in ſuum locum ſufficiebant, quod damnat Alexander III. nec eos minus homicidii reos eſſe decernit, quam qui interfectores fuerunt *cap. 2. h. t.*

VI. Haec autem duellorum prohibitio generaliter ſumenda eſt, non tantum cum gladiis, enſibus, vel pugionibus pugnatur, ſed etiam fuſtibus, & baculis iuxta Longobardorum legem, *lib. 2. tit. 50. & lib. 10. tit. 11.* Quod genus quia minus periculoſum vulgo admiſſum fuit, & illorum exemplo Francorum legibus comprobatum, *cap. 3. 23. & 29. lib. 4. Capitul.* & apud ALDREVALDVM loco citato: ſed tamen quia & haec pugna ſine ſanguinis diſcrimine componi non poterat, licet ſcutis & fuſtibus ageretur, prohibita fuit, apud IVONEM *epiſt. 247.*

TI-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0136
DFG

TITVLVS XV.
DE
SAGITTARIIS.

I. Caedes impedire conantur canones, & quia nullum saeuius & crudelius fuit genus armorum, quam sagittarum, & balistarum, ideo summus pontifex inter Christianos exerceri omnino prohibet.

II. Ratio communis haec est, quod sagittae veneno essent illitae; Herculem enim primum iacula hydrae veneno tinxisse ferunt: admiscebatur praeterea sanguis hominum, quod Scythas obseruasse refert, AELIANVS *lib. 9. animal. cap. 15.* ideoque τόξικον, quod nobis est venenum, fuit deductum a verbo τόξον, quod est arcus cum sagitta, vt tradit DIOSCORDES *lib. 6. cap. 20.*

III. Alii ideo constitutionibus balistas & sagittas vetitas fuisse dicunt, quod summam hominum stragem facerent, nec validiores ab aliis pusillis distinguerentur. Hanc artem saepius detestati sunt reges Franciae legitimis armis certare satius ducentes: quae causa est cur GVILLELMVS BRITO *lib. 2. Philippidos*, referat Philippi Augusti temporibus incognitos fuisse arcus & balistas,

Francigenis nostris illis ignota diebus
Res erat omnino, quid balistarius arcus,
Quid balista foret.

Ignotas quidem non fuisse balistas, sed potius improbatas, & ab vsu communi reiectasa Philippo sentiendum est, quia & his vsum ipsum aliquando fuisse docet; imo & RIGORDVS in eius vita pariter hunc regem balistariis vsum fuisse refert, & ante ipsum Ludouicum patrem eius, teste SVGERIO; sed & omnes alii historici balistas & catapultas receptas fuisse narrant.

IV. Balista & catapulta idem fuit instrumentum, quod tractabant veteres ad iaculanda saxa, πετροβολικὸν ὄργανον vocat POLYBIVS, quod primum reperisse Dionysium Syracusanum refert AELIANVS *lib. 6. cap. 12.* & eo non solum ad mittendos lapides sed etiam tela vtebantur, vt constat ex ONOSANDRO *cap. 42.* non tantum ad expugnandos mũros ci-

ciuitatum, sed etiam ad debellandos exercitus. CAESAR *1. de bello ciuili*: *Centones insuper iniecerunt, ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent, aut saxa ex catapultis lateritium discuterent.* Tanta autem vis inerat his catapultis & balistis, vt saxa etiam pondo talenti mitterent, quae ideo dicebantur talentariae, seu centenariae, apud SISENNAM *4. historiar.* NONIVM, & SYNESIVM, *epist. 132.* tam ingentem tormentorum molem industria hominum ad vsus faciliores & promptiores accomodauit, & coeperunt confici balistae ita leues & expeditae, vt milites circumferre eas possent, vt docent tactica Vibicii, quae, quia manu gestabantur, & distendebantur dictae sunt χειροβολίσαι a CONSTANTINO PORPHYROGENETA, *de administrando imperio cap. 53.* & tam ab equitibus quam peditibus gestabantur, equites vocant Graeci ἱπποτοξότας, pedites τοξότας. SYNESIVS *epist. 131.* ἀπημπολημένων αὐτοῖς τῶν ἵππων, ἐγένοντο μόνον τοξόται, id est, *distractis sibi equis sagittarii tantum effecti sunt.*

V. Vtebantur vero balistarii & sagitarii vario genere telorum cateis, & falaricis, & sagittis. Differentiam ponit ISIDORVS *18. orig. cap. 7. & 8.* quaedam erant in modum sphaerae aut cylindri, quae propter grauitatem longe non ferebantur: addiderunt pennas primi Cretenses, vt velociores facerent. Fuerunt etiam quadrelli ideo dicti, non vt quidam putauerunt, quod aptius quadrarent arcubus & balistis manu distendi solitis, sed quia cuspidem quadratam habebant: hodie adhuc in Italia ita nominantur, & earum mentionem facit GVILLELMVS BRITO *lib. 2. Philippidos*:

Nec tamen interea cessat balista, nec arcus,
Quadrellos hic multiplicat, pluit ille sagittas,

Sed haec tandem desierunt, non vi constitutionis in *c. vnic. h. t.* sed postquam grauius & periculosius instrumentum inuentum fuit, tormentum igneum, quo glandes igneae, & pilae plumbeae mitti coeperunt, nostris, *arquebuse*; cuius denominationem ab arcu deductam fuisse dubium non est.

VI. Summi pontifices tam nefarias & cruentas artes arbolere nunquam potuerunt etiam inter Christianos. Aduersus vero infideles prohibere nunquam cogitarunt, *dolus, an virtus quis in hoste requirat?* quae est mens D. AVGVSTINI in *can. Dominus. 23. q. 2.* Sed neque licuit

licuit vnquam hostibus & infidelibus arma vendere *l. vlt. C. quae res export. non deb. nou.* IVSTINIANI *142. nou.* LEONIS *60. cap. ad liberandum. sup. de Iudaeis.*

VII. Licebit & addere constitutioni huius tituli, balistas, & sagittas prohibitas non fuisse, sed potius quoddam militum genus his vtentium, qui impii & crudeles admodum erant, quos ruptarios, aut ab his saltem non longe dispares quidam putant, haereticorum Albigensium maxime socii, vt constat ex historia Albigensium, & pluribus constitutionibus Innocentii III. a quorum consortio & communione clericos ipse arcet, *in can. 18. conc. Lateran.* Ruptarii vero illi dicti fuerunt, quod omnia perderent, & rumperent, in libro qui inscribitur; *Praeclara facinora comitis Montisfortis.* Alii a verbo rutta, id est turma, seu manipulo militum deducere malunt, de qua mentio apud NICETAM in *Balduino*, & GVILLELMVM NEVBRIGENSEM *lib. 2. cap. 27.*

TITVLVS XVI.

DE

ADVLTERIIS, ET STVPRO.

I. Transit Gregorius ad varias criminum accusationes, & imprimis ad adulterium, & stuprum, qui titulus ita recte concipitur, quia differentia ponitur a iurisconsultis inter adulterium, & stuprum; quod adulterium committatur tantum in nuptam, stuprum in virginem, vel viduam, *l. & stuprum. ff. eod.* licet saepius in iure vnum pro aliter sumatur, *l. inter. ff. de verb. signif. can. nemo. 32. q. 4.* sicut etiam vtrumque nempe adulterium, & stuprum pro incestu. TVLLIVS *pro Sextio, adulterium sororis dicit,* & pro *Milone, Clodius cum sorore germana nefarium stuprum fecit.* Hoc triplex crimen μοιχείας nomine intellexerunt Graeci, sed proprie adulterium, sicut stuprum per διακόρευσιν, quae est, proprie in virginem apud SVIDAM.

II. Cur autem Gregorius de adulterio ante grauiora crimina, quae sequentibus titulis referuntur, tractauerit, non abs re quaerendum est, quum plerisque dubium fuerit, an inter maiora crimina sit numerandum:

Alexander enim III. *in cap. at si clerici. sup. de iudiciis*, inter minora constituere videtur his verbis: *de adulteriis vero, & aliis criminibus, quae sunt minora:* Certum quidem est Vlpianum inter gruaiora numerasse, & Gratianum imperatorem inter scelera saeuiora *l. 7. C. de indul. crimin.* Clemens quoque *in can. quid inquit. 32. q. 7.* nihil grauius esse adulterio dicit, olim licet legibus ciuilibus praesertim Romuli, mariti vxores adulterii reas morte mulctare possent, quod & in vniuersa Graecia vsurpatum refert POLYBIVS *lib. 2.* & LYSIAS *in orat. de Eratosthenis caede:* tamen coram magistratibus accusatio capitalis non fuit: primus Augustus poenam instituit, sed qualem, dubitatur, quum modo exilii, modo capitis sententiam dixisse reperiamus apud TACITVM *3.* & *4. annal.* quod obseruat etiam CVIACIVS *6. obseruat. cap. 10.* Constantinus omnino capitalem effecit in *l. quamuis. C. eod.* quum antea, si quae capite damnarentur, id fieret extra ordinem ex causa speciali, vt annotauit idem CVIACIVS ad *l. 9. C. eod.*

III. Quid ergo, an Alexander III. inter leuiora crimina adulterium recensuit? Minime: nam omissis variis sententiis, quae haec verba varie interpretantur, *de adulteriis, & aliis criminib. quae sunt minora* adulterio scilicet dicendum, puto mentem nunquam fuisse Alexandri III. vt adulterium leue crimen faceret, sed ita loquutum fuisse ad reprimendos errores eorum, qui adulterium nulla poenitentia expiari posse sentiebant, inter quos fuit TERTVLLIANVS *lib. de pudicit. Audio edictum, & quidem peremptorium; pontifex maximus episcopus episcoporum dicit: Ego moechiae & fornicationis delicta poenitentia functis dimitto:* addit enim huic edicto non posse adscribi, bonum factum.

IV. Duplicis generis sunt crimina, alia quae indulgeri non posse dicebant, maxima nempe; alia media, seu modica, quorum venia dabatur: ideo contendit TERTVLLIANVS inter grauiora ponendum esse adulterium *eod. lib. Nec enim*, inquit, *moechia, & fornicatio de modicis, & de mediis delictis deputabuntur.* Error hic maxime viguit in Africa, vt adulteris denegaretur poenitentia, teste D. CYPRIANO *epist. 52. Quidam de episcopis istis in prouincia nostra dandam pacem moechis non putauerunt, & in totum poenitentiae locum contra adulteria cluserunt.* Alexander igitur, vt errorem hunc comprimeret, statuit poenitentia peracta posse episcopum dispensare super adulterio, ideo non male hoc sensu, illud

mino-

miroribus delictis adiecit, ad differentiam maiorum, quorum dispensatio vix conceditur, aut saltem summo pontifici reseruatur.

V. Culpae grauiores, & quae vulgo indulgeri non debent, a summo pontifice relaxantur, *cap. quod translationem. sup. de offic. leg.* Vbi casus ennumerat glossa, & eam distinctionem adhibet, & post eam PANORMITANVS, & alii interpretes. Olim siquidem pro grauissimis quibusque delictis ad summum pontificem recurrebatur, vt ex *epist.* NICOLAI I. *ad Ronolardum episcopum*, probat BARONIVS *ad annum 867.* Id vero tam de adulterio a clerico; quam laico commisso accipiendum est; licet enim clericus grauiori poena dignus sit, tamen poenitentia rite peracta, poena depositionis ei remitti potest: quod sic ex concilio Nicaeno intelligendum scribit Hormisda in *can. si quis diaconus. 50. d.* iuxta seueritatem legum ecclesiasticarum conuictus de adulterio nunquam restitui poterat; ideo Hormisda in eo can. huiusmodi rigorem poenitentia peracta, temperandum esse ait. Est vero temperamentum tale, vt scilicet depositus restituatur ad quaedam, non ad omnia, veluti ad celebrationem missae, quia ius hoc ademptum non redditur, sed ad baptizandum, & ministerium altaris exsequendum, *can. quicumque, & seq. ead. d.* de quibus plenius infra *de poenitentiis.*

VI. Hoc crimen maxime abhorrent sacrae constitutiones, quae omnes omnino non tantum foeminas, sed etiam mares huic poenae subiiciunt; imo grauius delinquere virum, quam vxorem, & consequenter seuerius puniendum docet D. AVGVSTINVS in *can. indignantur, & seq. 32. q. 6.* Grauiora enim vitia peccatorum facit sublimitas peccantium, *can. nulli. 25. q. 1.* contra mentem legis Iuliae, quae foeminas tantum insequebatur, & iure vxoris, sicut iure mariti non licebat vindicare adulterium. Idque admittere voluerunt interpretes sine distinctione, vtrum vir cum nupta, an cum soluta conueniat.

VII. Hoc sensu sumpta *l. 1. C. h. t.* licet contrarium videri potuerit, & accusationem cessare, cum maritus non nuptam aggreditur, sed bene cum eo agi posse, quoties alienum thorum violat: quod ostendere videtur ipsius adulterii definitio, quae est alieni thori violatio, nec nisi in nuptam committitur, *l. inter. l. vxor. §. Diuus. ff. eod.* & hoc ita etiam iure canonico censendum docet ZONARAS *in can. 48. apostolorum*, dum ait, nullum esse canonem, quo moechiae, id est adulterii crimini

subiiciatur vir, si peccauerit in non nuptam, ἐὰν εἰς ἐλευθέραν γάμον ἡ ἁμαρτία γένηται, sed tantum fornicationis, πόρνον κρίνομεν τὸν τοιοῦτον, id est, *fornicatorem eum iudicamus*, quod ex BASILIO sumpsit in *can. 21. ad Amphil.* cum ait canonem nullum esse, intelligere debemus, id nullo Concilio definitum esse, licet vtrinque adulterium committi censuerit D. AMBROSIVS, cuius sententiam numero canonum adscripsit Gratianus in *can. nemo. 32. q. 4.* Aliquo modo aequales facit maritum & vxorem ius canonicum: nec tamen omnino, nec enim facile ad accusationem contra maritum vxor admittitur, *can. Christiana. 32. q. 5.* nec enim ius suum habet sicut maritus, cui ius ciuile specialiter indulsit, vt iure mariti vxorem accusare possit intra sexaginta dies, *l. iure. C. eod.* sicut & patri tantummodo, *cap. maritis. h. t.* quibus elapsis vuicuique iure publico licet accusationem instituere, vel etiam ante, si pater & maritus dixerint, se nolle agere *l. si maritus. §. si negauerint. ff. eod.*

VIII. Differentia haec est inter has duas accusationes, quod pater, vel maritus iure suo agentes non teneantur ad libelli inscriptionem, non incurrant calumniae poenam, nisi post sexaginta dies adhuc vti velint iure proprio, vel etiam publico legis Iuliae, quo extraneus admittitur; & sic intelligenda est lex *is cuius. in fi. & l. pater. ff. eod.* in quibus moratur CVIACIVS.

IX. Hodie vero sine vlla inscriptione, & sine sexaginta dierum termino maritus solus agens potest iure mariti agere, non alius iure extranei, *l. quamuis. C. eod.* non tamen temere accusandi facultas conceditur sine accusatoribus, & testibus: quibus deficientibus olim ad candentis ferri examen mulier cogebatur, apud IVONEM *epist. 249. 252. & 280.* Est praeterea facultas patri & marito adulterum & adulteram occidere, *l. marito. in fi. eod.* dummodo id fiat in ipso scelere, *l. quod ait. eod.* quod non licuit vnquam vxori tentare aduersus maritum, imo nec eum digito contingere, vt ex M. Catone refert GELLIVS *cap. 24. lib. 10.* minime iure veteri ante legem Iuliam non licuisse marito adulterum interficere constat, nisi humilioris conditionis, veluti arenarium, histrionem, & lenonem, libertum, *l. nec in ea. & l. marito. ff. eod.* vel nisi se telo defenderit, exemplo furis, *l. 7. ff. quod metus causa*, adulter enim fur est nuptiarum, & nocturna furta dicuntur adulteria, νυκτοκλεπίαι. Similiter etiam nocturnus adulter liberius occidi potest, sicut fur nocturnus

nus, *l. Gracchus. C. h. t.* vtpote qui contra ius gentium peccent; ſicut enim furtum aduerſatur iuri gentium, ita & adulterium. *l. probrum. ff. de verb. ſignif.*

X. Hoc iure, marito, vel patri vxorem, vel adulterum necare nunquam magis licuit, qnam dimiſſa vxore ob adulterium aliam ſuperducere, *can. ſi quod verius. 32. q. 3.* ſed poena canonibus ſtatuta crimen vindicandum eſt, grauiore contra clericum, quam contra laicum, dicto *can. ſi quis diaconus. 50. diſt. & can. 88. ſynodi VI. in Trullo.*

XI. Legibus vero ciuilibus praeter capitale ſupplicium in dedecoris & infamiae notam nares abſcinduntur, ſublata omni dotis repetitione vxori; ſicut donationis propter nuptias marito, *nou.* LEONIS *32. & nou.* IVSTINIANI. *134.* Quantum vero ad id, differentia non eſt inter virum & vxorem, imo paria delicta, τὰ ἴσα πλημμελήματα ἀντισυλλογίζονται mutua compenſatione tolluntur, *cap. intelleximus. h. t.* ita vt dote mulctetur vxor, donatione propter nuptias maritus. Olim quidem non integra, ſed pro parte adimebatur, *l. cum mulier. ff. ſolut. matrim.* niſi alter alterius mores probauerit, ſi maritus lenocinium fecerit vxoris ſuae, vel eam conuictam retinuerit, *cap. ſi vir. h. t. can. ſi quis vxorem. 32. q. 1.* & aliis caſibus, qui deſumpti ſunt ex iure ciuili.

XII. Primitus, cum nondum adulterium eſſet capitale, vt iam dixi, conuicti tantum ſacris omnibus interdicebantur, & publicis conuentibss, nec ſine poenitentia ingredi templum poterant, vt refert D. CHRYSOSTOMVS *homilia 3. de Dauid, & Saul:* quod & conſtitutum fuiſſe apud Athenienſes ſcribit DEMOSTHENES, *orat. in Neaeram:* pollui ſiquidem templa credebantur ob criminis atrocitatem; quod & hoc iure partim ſeruatur: eccleſia enim, in qua adulterium commiſſum fuerit, polluta eſt, & omnino indiget reconciliatione, per aſperſionem aquae benedictae. *cap. ſignificaſti. h. t.*

TITVLVS XVII.
DE
RAPTORIBVS, ET INCENDIARIIS, ET VIOLATORIBVS ECCLESIARVM.

I. Triplex crimen vnico titulo comprehenditur; & primum agitur de raptoribus tam his, qui res alienas rapiunt, quam qui virginum pudori insidiantur: vtrumque flagitium furtum est, & raptus, & rapinae nomine intelligitur, sicut de adulterio diximus superiori titulo: non tamen eadem poena omnibus infligitur; nam raptores, qui res alienas inuadunt, mitius plectuntur, nempe excommunicatione, *in cap. 1. 2. & 3. h. t.* at qui vim foeminis inferunt praeter excommunicationem, flagellorum etiam poena *cap. 4. h. t.*

II. Sed nec in omnes bonorum raptores pariter animaduertitur: nam distinctionem adhibendam inter manifestos, & nec manifestos, exemplo iuris ciuilis monet Eugenius III. in *cap. 2. h. t.* Raptor manifestus is est, quem dominus agnoscit, & deprehendit sua rapientem, & appetentem: nec manifestus, qui caute vim infert, vt si absente domino fores ipsius effringat, & intus grassetur, *l. si quis vxori. §. vlt. ff. de furt.* Raptor autem siue manifestus, siue nec manifestus is intelligitur, qui vi, dolo malo, & coactis hominibus armatis depraedatur. *l. 2. ff. vi bonor. rapt.*

III. Vtrique eadem poena imponitur quadrupli, inclusa rei persecutione *l. 1. ff. eod. can. in antiquis, & seq. 12. q. 7.* sed quia haec poena veniens ex publico iudicio, scilicet ex lege Iulia, de vi priuata leuior erat, quam poena furti, praetori visum fuit dare electionem, vtrum aduersus manifestum praedonem, quis actione furti priuata agere voluerit; an vero actione vi bonorum raptorum, ex lege Iulia, dicta *l. 2. §. 2.* ne minorem poenam exigeret, si cogeretur agere publico iudicio, vi bonorum raptorum. Contra nec manifestum raptorem non idem est, quum poena nec manifesti furti sit in duplum; satius enim erit agere vi bonorum raptorum in triplum: & hoc est, quod voluit PAPINIANVS in *l. si vendidero. §. cum raptor. de furt.* quem varie varii trahunt, & vulgo male intelligunt: cuius tamen sensus apertissimus est;

cum

cum raptor omni modo furtum facit, id est, *(cum armatis hominibus vi, & dolo, publice, & palam depraedatur)* raptor manifestus existimandus est, id est praeter actionem vi bonorumraptorum, qua conueniri potest ex l. Iulia, potest plecti in quadruplumactione priuata manifesti furti: si vero coactis hominibus armatis ita dolose & callide versatus sit, vt non fuerit deprehensus, tunc furti nec manifesti poena, quia leuis est, non punitur, sed potius vi bonorum raptorum. Iuris ciuilis ordinem sequutus est summus pontifex in dicto *cap. 2.* innuens grauius agendum cum praedone manifeste deprehenso, qui, si ablata restituere, aut se emendare noluerit, indulgentiae & sepulturae beneficio priuabitur, pro quo ecclesia non debet intercedere propter publicam infamiam, *can. hi, qui. 14. q. 6.* atque in quadruplum damnandus est.

IV. His recte adiici debent incendiarii, & violatores ecclesiarum, qui omnes latronum & praedonum nomine intelliguntur; Galli vocant *Brigandos*, vel potius *Burgandos*, a Burgando insigni praedone, qui in partibus Aquitanicis tempore Nicolai I. violentas depraedationes etiam in ecclesiis exercebat, vt liquet ex *can. de viro. 12. q. 2.* nisi originem longius repetentes, a Brigantibus populis Hiberniae latrocinio & praedae deditis, deducere malimus, de quibus TACITVS *12. annal.* eadem ratione, qua vocabulum Gallicum, *voleur*, CVIACIVS deducit *ad cap. 5. de pignoribus*, a Voleronibus, apud LIVIVM *lib. 2.* Bagaudae eis affines erant dicti a Graeco βαγεύειν, quod est vagari, apud SVIDAM: sicut piratae dicuntur *cursarii*, κουρσάριοι apud NICETAM, Turcis *Casaki*, Arabibus *Sarraceni*; qui omnes seueriori poenae quam fures subiiciuntur, *l. vnica. C. de his, qui latr. occider.* In eos enim exerceri iudicium, & vindicta potest etiam diebus Dominicis, vt de Isauris statuit Honorius in *l. 9. C. de feriis, & dilat.*

V. Incendiariorum vero crimen graue semper fuit iudicatum, maxime legibus antiquis XII. tabularum, quibus poena haec fuit, vt vi ui comburerentur *l. 9. ff. de incend. rui. naufrag.* quam Fridericus constitutione sua firmauit teste ABBATE VRSPERGENSI. Iure Saxonum omnino capitalis fuit, siue interdiu, siue noctu incendium factum fuerit, *tit. 5. §. 2. legum Saxon.* Salicis vero, & Longobardicis nouies compositio fiebat, quas sequuti sunt Frisiones *tit. 7.* & de illis intelligendus est *can. cum deuotissimam. 12. q. 2.*

§. VI.

VI. Haec compositio, seu poena appellatur *Vuere*, & *Vuirgildum*, *can. omnes. 17. q. 4.* id est, *pretium quo damnum appretiatum fuerit*, vt veteres glossae loquuntur, & capitularia Caroli M. *cap. 13. 15. & 18. lib. 4.* quod est tam de incensoribus ecclesiarum, quam aliarum rerum: posita in eo differentia, quod anathematis inflicti absolutio illorum reseruetur soli summo pontifici, *cap. tua nos. inf. de sent. excom. cap. 5. h. t.* horum episcopo, *arg. cap. nuper. eod. can. si quis membrorum, & seq. 23. q. vlt.*

VII. Incensoribus ecclesiarum adiungendi sunt omnes prophanatores, sacrilegi, & contemptores legum, & immunitatum ecclesiasticarum, vt qui in ecclesia pugnam, vel homicidium fecerint, qui reum ad asylum ecclesiae confugientem vi extraxerint, non solum ecclesia, sed ab omnibus adiacentibus atriis, coemeteriis, & locis religiosis, *can. si quis in atrio. eod. can. ad episcopos. can. id constituimus. 17. q. 4.* hunc enim locorum reuerentia, & interceſſio defendunt, *can. eos. 87. d.* in quibus nullus tumultus, nulla seditio, clamor, aut violentia excitari debet *l. 4. C. de his qui ad eccles. confug.* Et licet THEODOSIVS seruos vi extrahi posse constituerit *l. 5. C. eod.* LEO imperator contrarium sensit in *l. 6. eod.* & nostri canones ante constituerant; adeo vt, quod magis est, manumissos, ecclesiarum tutelae a morientibus commendatos, in seruitutem, & vile obsequium reducere non liceret sub poena excommunicationis, dicto *can. eos.* quam capitis esse voluit LEO *dicta l. 6.* Sed ad rem.

VIII. De raptoribus hoc titulo duplici sensu agitur sub eodem nomine, scilicet non solum de praedonibus, & latronibus; sed etiam de impuris hominibus vim fceminis inferentibus, qui praedonibus similes sunt, vnde & furtum facere dicuntur, & hoc crimen furtum dicitur. VIRGILIVS. *6. Aeneid.*

\- - - - - - *Suppostaque furto*
Pastphäe.

Et in *can. placuit 36. q. 2.* Qui mulierem rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit. Furtum fit pudoris & castitatis in matronas & virgines, quae ideo depudiari dicebantur a Laberio apud GELLIVM *lib. 6. cap. 7.* Deuirginare dixit VLPIANVS *l. vlt. de offic. praesid.* Graeci διαπαρθενεύειν, ὑβρίζειν, καὶ φθείρειν, *iniuriam facere, & corrumpere*, vim illam, ὕβριν καὶ φθόραν, intolerabilem iniuriam dixit IVSTINIANVS, *tit. de his qui*

sunt

sunt sui, *vel al. iur.* nulla siquidem atrocior iniuria, & offensio foeminis potest inferri, quam quae pudicitiam aggreditur, eo quod ruina illa nunquam reparetur, vt ait D. HIERONYMVS, *epist. 22. ad Eustochium.* OVIDIVS *epist. 5. Nulla reparabilis arte laesa pudicitia.* Nihil pretiosius est virginitate, & ideo virgines obsidibus victoribus olim dari solebant apud ATHEN. *cap. 28. lib. 13.*

IX. Hoc autem crimen praeter poenam anathematis hanc olim habuit, vt numquam raptor cum rapta copulari posset, etiam vtriusque consensu accedente, dicto *can. placuit.* BALSAMON *ad can. 93. Synodi VI.* Quod ius aeque seruatum non fuit, propterea quod consensus sequens ruinam omnem & damnum videatur reparare, *can. tria. eod.* si prior dissensio transeat in concordiam, vt ait *cap. penult. & vlt. h. t. intuitu misericordiae rigor canonum temperandus fuit*, ait IVO CARNOTENSIS *epist. 16.* contra edictum etiam Iustiniani in *l. vnica C. h. t. nou. 54. & 150.* quibus matrimonium inter raptorem & raptam consensu accedente reparari noluit, eo quod semper virginibus vis inferri dicatur; *Nisi enim*, inquit, *solicitauerit, nisi odiosis artibus circumuenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus sese prodere.* Imo etiamsi consensu inito sine tractatu matrimonii nuptiae factae fuerint, si violentia parentibus inferatur, raptus committitur, *can. de raptoribus. 36. q. 1.* vt pluribus locis probat PANORMITANVS in *cap. penult. h. t.* qui quidem non ideo damnat matrimonii vim & sacramentum, quod *concilium Tridentinum* etiam confirmat, sed crimen raptus sine vlla praescriptione fori prius discutiendum, legibus maxime huius regni, & constitutionibus regiis.

X. Hinc etiam fit, vt qui mellitis sermonibus, blanda oratione, vt loquitur VLPIANVS in *l. item. de iniur.* foeminas insectantur, poena raptorum teneantur, *dicta l. vnica*, adhibita tamen differentia, quod flagitio patrato capitale supplicium, imperfecto deportatio irrogetur, *l. 1. de extraord. criminib.* PAVLVS *5. sentent. tit. de iniur.* quod refertur in *can. solicitatores. de poenit. d. 1.* sola affectatio, sola appellatio de stupro, vt loquitur FABIVS *lib. 4. cap. 2.* solus conatus vim faciunt; nec excusantur, qui blanditiis istis viduas vel mulieres, quamuis sui iuris seduxerint, poena raptus teneri, ad insolentiam plurimorum comprimendam scribit BALSAMON *ad can. 30. Basilii.* Quod si fuerint sanctimoniales, tunc solus conatus omnino est capitalis, *l. si quis non dicam. C. de episcopis & cler. can. si quis. 36. q. 2. Capitul. lib. 1. cap. 106.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0147
DFG

XI. Addendum postremo in hunc titulum post raptum sequi turpius & deterius flagitium, vbique detestandum, & grauiter puniendum, quod est contra naturam, *can. flagitia. 32. q. 7.* IVSTINIANI *nou. 141.* cum vir nubit in foeminam viro porrecturus, & venus mutatur in alteram formam, vt elegantur loquitur Constantinus *in l. cum vir. C. ad l. Iuliam, de adult.* simili modo, quo SALVIANVS *7. de gubernatione*; *viri in semetipsos foeminas profitebantur.*

XII. Hanc artem exerceri solitam a Saracenis in Apulia & Calabria' quam maiorem Graeciam dicunt, conqueritur Alexander III. *in cap. 4. h. t.* Has etenim regiones inuaserunt Saraceni, & deuastarunt omnino, & in eis praeposteras illas libidines exercuerunt, sed non soli: nam hoc vitium longius irrepsit, etiam ad clericos, quod causam dedit Innocentio III. *in Lateran. concilio*, vt constitutionem ederet, *cap. vt clericorum, supra, de vita & honest. cleric. & cap. vt clerici. inf. de excessib. praelat.* quibus poena canonum asperrima infligitur. Leges ciuiles capite mulctant, *l. cum vir. C. de adult. & stupro*, cuius autor est Constantinus, quem sequutus est IVSTINIANVS *d. nou. 141.* cuius temporibus episcopi quidam ἀρρενοφθόρας diris cruciatibus mulctarunt, aliis capite truncatis, aliis calamis acutis in genitalia immissis, & nudis in forum, sicut in triumphum productis, vt scribit CEDRENVS. Quod autem deest vindictae iuris canonici, supplendum regia, id est, seculari potestate *d. cap. 4. h. t.* & sic παιδερασίας, siue παιδοφθορίας crimen puniendum est secundum leges ciuiles in dicto *can. solicitatores. de poenitentia. dist. 1.* apud CLEMENTEM *cap. 3. lib. 8. constitutionum apostolicarum.*

TITVLVS XVIII.

DE

FVRTIS

I. De furto, quod est crimen publicum: diximus superiore titulo, nunc de eo, quod est priuatum, quod nostri diuidunt in manifestum, & nec manifestum, exemplo iurisconsultorum; siquidem manifestum duriori subiicitur poenae, quam nec manifestum, *can. poenale. 14. q. 5.* in quadruplum scilicet praeter rei persecutionem: hoc in duplum *ex lege XII. tabularum, §. sunt autem. Instit. de noxal. action. §. 1. de perpet. & tempor.*

por. action. Ratio haec fuit, quia cum manifestis seuerius ageretur, propter ignauiam nempe; ideo *in cap. 2. h. t.* pro eo, qui in furto deprehensus occiditur, non esse orandum dicitur; ac nec manifesti mitius tractabantur, quod subtilius rem peragerent, & eo exercitio in disciplina militari maiorem industriam haberent, vt narrat GELLIVS de Aegyptiis & Lacedaemoniis *cap. vlt. lib. 11.* quo factum, vt nec infamia notarentur; τὸ παλαιὸν οὐ διεβέβλητο ἡ κλοπὴ, εἰ μὴ φωραθεὶς ὁ κλέπτων ὑπῆρχεν, id est, *olim furto nulla infamia dabatur, nisi cum fur deprehensus esset*, scribit SVIDAS; quod & innuit Alexander III. in *cap. vlt. hoc tit.*

II. Verumtamen aduertendum, sub nomine nec manifesti furis, nocturnum non intelligi, quippe longa fuit differentia, siquidem nocturni aliquando sunt manifesti: aliquando nec manifesti, *can. vulgaris. de poen. dist. 1. l. 1. de extraord. criminib.* similiter & interdiarii; qui tamen mitius tractabantur, quam nocturni legibus XII. tabularum: quanto enim facilior grassandi facultas est noctu, tanto durior poena, vt docet ex Graecis autoribus CVIACIVS *obseruat. 6. cap. 8.* Simile est dicendum de furibus, & latronibus personatis, qui vultus suos laruis tegunt, ne dignoscantur, quos Walapos vocant leges Longobardorum *tit. 12. §. 2.* Hi nec minus manifesti sunt, si deprehendantur, deprehendi enim dicuntur non tantum, qui capti effugere nequeunt, sed & qui detecti fugiunt, *l. 7. de furt.* modo clamor adhibitus sit, ex lege XII. tabularum, *l. 4. ff. ad leg. Aquil.* PLAVTVS *in milite*: *Vbi abiit, conclamo*, & SERVIVS *ad 3. Bucol.*

Et cum clamarem, quo nunc se proripit ille.

Graeci deprehensum in furto detectum & conclamatum, id est, manifestum καλάφορον vocant.

III. Praeter manifestum, & nec manifestum erant alia genera, quae recenset IVSTINIANVS *tit. de obligat. ex delict.* & PAVLVS *2. sentent. tit. 31.* quorum nomina, licet euanuerint cum formulis & solennibus actionum, tamen reuera communis actio remansit, nec vtilitas periit, quam sub nomine furti nec manifesti contineri voluit IVSTINIANVS.

IV. De his etiam hoc iure agitur, vt in *cap. 4. h. t.* de furto non exhibito, quoties furti conscius quaerenti domino non indicauerit, vel apud se habens non exhibuerit; sicut de furto concepto, id est, inuento apud alium, quam furem, vel de oblato, id est alteri a fure tradito apud eundem PAVLVM *2. sentent. tit. 11.* is enim non minus, quam

fur, furti actione tenetur, *l. 2. & 5. C. eod. legum Ripuariorum tit. 4. Quod si in domo fuerit, & ei scrutinium, cuius est domus, contradixerit, fur habeatur;* vbi notanda vox *scrutinium*, quod redolet veterem formam perquirendi furta per lancem & licium, de quo aliquid *inf. tit. de sortilegiis* dicemus, is autem socius est fraudis & criminis, *can. si res aliena. 14. q. 6.* ficut qui & opem tulit, vt furtum fiat, *can. omnes, 17. q. 4.* veluti si quis suadeat seruo dominum relinquere, vel contemnere. *can si quis seruum, & seq. 17. q. 4.* adeo vt eorum, quae sublata sunt a seruo, ipse duplum pretii cogatur praestare, *nou.* LEONIS *66.* BALSAMO *ad can. 3. synodi Gangrensis*, quamuis antea morte esset multandus, *l. quoniam. C. ad l. Flauiam. de plagiar.*

V. Omnis denique quouis pacto conscius furti sit, reus est, & per conscium intelligere non debemus *συνεγνωκότα τὸν ἔχοντα εἴδησιν μόνην καὶ μὴ δυνάμενον κωλύσαι*, id est, *qui solam habet conscientiam, & prohibere non potest*, vt ait BALSAMO ad *can. 71.* BASILII: vel etiam qui cogitatione & animo furtum facit, nec enim ideo tenetur actione furti. Nec pugnat sententia D. AVGVSTINI *in can. si propterea. 29. de poenit. dist. 1.* in quo ait, eum furti teneri, qui metu aliquo a furto abstinuit, licet rem alienam non contrectauerit: hoc enim quantum ad Deum, & poenitentiam verum est: sed vere eum teneri dicimus, qui opem & auxilium tulit, vel dolose consuluit, vel cum scit, & potest prohibere, non prohibuit, vel qui furem occultat, *ἀλλὰ*, inquit idem BALSAMO *τὸν συμπράξαντα, ἢ συναράμενον, ἢ συμβουλευσάμενον μετὰ δόλου ἢ ἔχοντα εἴδησιν, καὶ δυνάμενον κωλύσαι, καὶ μὴ κωλύσαντα*; non vero eum, qui cum nouit furem, non reuelauerit.

VI. Aliud est de fure, qui famis & necessitatis causa aliquid furatur; grandis enim non est culpa, vt ex Sapiente refertur in *cap. 3. hoc tit. in 1. compilat.* & latius expendit PETRVS BLESENSIS in *canone episcopali*, mitius etenim cum eo agendum est, *cap. si quis famis. hoc tit. can. discipulus. de consecrat. d. 5.* & licet poenam non effugiat, tamen moderatior poena exigenda est. *can. fraternitas. 12. q. 2.*

VII. Quod autem dictum est, poenam pro ratione furti esse in duplum, triplum, vel quadruplum, debemus intelligere ciuilem & pecuniariam, praeter quam alia est publica, siue criminalis; & licet ISIDORVS *5. Orig. cap. 26.* & GELLIVS *lib. 11. cap. vlt.* dicant ante poenam quadrupli

drupli, furtum fuisse capitale, non postea; contrarium patet ex legibus ciuilibus, quibus verberum & flagellorum castigatio, vel etiam capitale supplicium infligitur, quod intelligendum est, non quidem iure ordinario, sed extraordinario pro delicti qualitate, *l. aut facta. ff. de poen.* frequens poena est suspendium, quod statuit FRIDERICVS *2. feudor. tit. pace tenenda: & leges Ripuariorum, tit. 81. si quis propter furtum pendutus fuerit.* Apud Saxones capitalis poena fuit, *tit. 4. §. 7. Qui interdiu, vel trium solidorum pretium furto abstulerit, capite puniatur.* Qua lege excipiuntur leuiora furta, quae non excedunt tres solidos vel quinque, constitutione Friderici; haec enim mitius puniuntur, nec publice vindicanda sunt, vt ait Martianus, *in l. respiciendum, de poenis.* Loco gladii & poenae corporalis, ecclesia gladio spiritali vtitur, *dicto cap. 2. can. inter haec. 33. q. 2.* nec legem veteris testamenti vnquam sequitur, qua furtum hominis gladio vindicabatur. *cap. 1. hoc tit.*

VIII. Cur autem fures non solum pecuniaria multa coercentur legibus ciuilibus, ac canonicis, non alia ratio est, quam quae redditur a Friderico in dicta constitutione; *quia fur est publicae pacis perturbator;* vnde & legibus Frisionum fur conuictus praeter duplum aut quadruplum certam poenam fisco inferebat, quam *fredam*, seu *fretam* dicebant, pro *Vveregildo*, seu *compositione tit. 3. §. 2.* Est autem *freda*, poena violatae pacis, *cap. 13. lib. 2. legum Longobardorum*, apud GREGORVIM TVRONENSEM, *4. de virtutib. B. Martini, cap. 26.*

TITVLVS XIX.
DE
VSVRIS.

I. Post titulum de furtis optime sequitur de vsuris; nihil enim propius accedit furto, quam vsura: quae ideo tam acriter damnatur a sacris canonibus, *can. si quis. 41. q. 4.* imo magis execratur ecclesia foeneratores, quam fures, exemplo Romanorum, qui fures dupli, foeneratores quadrupli condemnabant, vt ex M. VARRONE, initio *de re rustica* constat: quod odium primo concepit lex XII. tabularum vnciarium foenus tantum permittens, quod decennio postea semuncia-

rium factum fuit, tum demum vetitum omnino, vt ex LIVIO *lib. 7.* & TACITO *6. annal.* notum est.

II. Iure tamen ciuili ad certum modum vsurae redactae sunt, quae rite peti possunt, dummodo per stipulationem promissae *l. 17. ff. de vsur. l. quamuis. C. eod.* Vnde SIDONIVS cautam centesimam dixit, *epist. 24. lib. 4.* ob stipulationem, vel chirographum, quod δάνειον vocant glossae. Ex mutuo non aliter debentur, nisi stipulatio interceserit, *l. Titius. de praescr. verb.* quia mutuum per se gratuitum esse debet, & quotiescumque stipulatio inest, non est amplius mutuum, cuius natura est, vt tantundem reddatur, non amplius.

III. Et in eo aduertendum est, candorem iuris ciuilis corruptum, & obumbratum fuisse pallio, & coeno stipulationis. In contractibus vero bonae fidei nunquam vsurae admissae sunt, nisi post moram, & tunc proprie non est vsura, sed poena; dilatio enim frustratoria, seu iniusta tarditas, vsura non est, sed morae coercitio, *l. mora. ff. eod.* petitio ipsius nascitur ex mora in id, quod interest creditoris, quod debitum suum non receperit. *cap. 2. inf. de fideiussor.* Et hanc quidem poenam, seu vsuram nec canones vnquam improbarunt, quia semper in contractibus bonae fidei a tempore morae ipso iure debetur, in aliis a lite contestata, & tunc vicem fructuum obtinet. *l. vsurae, & seq. ff. eod.*

IV. Praeter hanc causam ius canonicum vsuras non probauit, nisi & fauor alicuius intercedat; & quodcumque recipitur vltra sortem, vsurarium esse declarat, etiam ratione traiectitiae pecuniae, *& ex quolibet omni negotio*, vt loquitur *can. clerici, & can. si quis. 14. q. 4.* Foenus illud nauticum ius ciuile liberum fecit, nec ei modum vllum imposuit, *l. 1. C. de naut. foen.* donec Iustinianus centesimum fecit.

V. Vsura centesima ἑκατοστιαῖος τόκος illa est, quae ob centum nummos singulis mensibus nummum exigit: singulis enim calendis vsurae praestabantur, & a creditoribus debitores impetebantur, & quasi trucidabantur, vt loquitur *can. quid dicam. 14. q. 4.* ita apud quosdam populos luna homines deuorare dicebatur: toto anno duodecim nummi praestabantur, vt notat HARMENOPVLVS *lib 3. tit. 7.* propter periculum, quod creditores sucipiunt, opes suas mari comittentes; eoque pacto Menippum foenerari solitum ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν scribit LAERTIVS. Ita-

que

que finito periculo non amplius debebatur centesima, sed bes δήμοιρον ἑκατοστῆς, vt loquitur HARMENOPVLVS, & probatur ex *l. nihil. ff. de naut. foen.* hoc est nummi octo, qui vulgo exiguntur ab argentariis & negotiatoribus, non a nobilibus & illustribus personis, quibus foenerari concessit IVSTINIANVS in *dicta l. eos*, ea tamen lege, vt trientibus vsuris, id est, nummis quatuor contenti essent: qua etiam ratione Antoninum pium foenus exercere solitum narrat IVLIVS CAPITOL. & Seuerum LAMPRIDIVS.

VI. Qui quidem Alexander seuerus illustribus, & senatoriis viris trientem etiam ademit, muneris causa eis aliquid capere permittens; quod munus semissem effecit, nisi hunc locum Lampridii mendosum existimemus, non enim fieri potuit, vt imperator, qui trientem vsuram excluserat, donum semissis permiserit: fraus esset insignis legi, si foeneratores plus donorum & munerum obtentu, quam palam iuris authoritate caperent, nisi dicamus LAMPRIDIVM intellexisse, Seuerum muneris causa semissem permisisse, non quidem debiti, sed potius semissem vsurae permissae negotiatoribus, quae erat duorum nummorum: vtut sit, omne id genus exactionis aeque damnant canones *2. & 3. 14. q. 4. & can. 17. synodi Nicaenae*, qui non tantum vsuras ἑκατοστὰς damnat sed etiam quascumque alias mediocres ἡμιολίας sesquialteras, ἢ ὅλος ἕτερον vel *quid aliud*, id est munus, non solum ex pecunia, sed etiam ex oleo, vino, frumento, ex quo mutuum fit, *can. 114. q. 3. l. pecuniae. de verb. signif. l. mutuum. de reb. credit.* imo & ex quauis re lucrum capere vetat *can. 5. synodi Carthag.* ἀπὸ οἱασδήποτε πράγματος τόκον λάβειν, quamlibet rem intelligimus, etiam leuia munuscula, veluti legumina, vuas passas, poma diuersi generis, & alia similia, quae, collyba, seu τραγέματα dicuntur, & foeneratores collybistae apud. D. HIERONYMVM *cap. 14. in Math.* sed & collyba sunt pecuniae modica exactio, quae a nummulariis *pro spectatione, seu probatione, aut pro permutatione, pro nescio quo cerario exigitur*, vt docet TVLLIVS *3. de diuinat.* permutationem illam *aspraturam* vocant glossae veteres, eo quod veteres nummi cum recentibus, & aspris, id est albis permutentur.

VII. Et ex illa permutatione lucrum captant hi foeneratores, quod appellant nostri iurisconsulti intertrituram, id est cambium κόλλυβον ἀλλαγήν MATH. 6. hanc artem νομισματοπωλικὴν, id est artem numisma ven-

vendendi PLATONEM appellare, ait POLLVX *lib. 7. cap. 33.* remunerationem quidem sponte & beneuolentia potius, quam ex obligatione, & pacto tacito, vel expresso in aliis rebus, quam pecunia non improbat D. THOMAS *2. 2. q. 28. art. 2.*

VIII. Propter periculum vero, quod creditores in se suscipiunt, licet iure ciuili concedantur vsurae, non tamen hoc nostro. Gregorius enim in *cap. vlt. h. t.* nominatim vsurarium dicit eum, qui negotiatoribus mutuat periculo suo; quod graue & asperum videri potuit, vbi enim periculum est, ibi esse debet emolumentum: attamen id pontifex statuit, quia mutuum debet esse gratuitum, & quantumuis aliquis periculum suscipiat, si velit inde lucrum captare, contra naturam mutui facit, vt recte annotauit glossa. Quodsi per modum societatis pecunia credatur, tunc quod capitur, vsura non est, vt D. THOMAS dicto loco declarat.

IX. Exploditur etiam hoc iure non minus ἀντίχρησις, quam τόκος, adeo vt creditor quoscumque fructus, aut reditus ex pignore perceperit, teneatur imputare in sortem, *cap. 1. 2. & cap. conquestus. h. t.* contra iuris ciuilis regulas, quo creditor ex re tradita pignori, fructus suos facit, si nominatim conuentum fuerit: nam si alio modo vtatur, quam ei ex lege pignoris statutum fuerit, quidquid excedit legitimum vsurae modum, imputatur in sortem *l. 14. C. de vsur.* Idem est de ἀντιχρήσει tacita, *l. cum debitor. ff. in quib. caus. pig.* hoc genus foenerandi iam inhumanum agnouerat Iustinianus, qui in *nou. 32. & 34.* agricolis, colonis, & rusticis hominibus ἀντίχρησιν ad modum reducit, vt pro quoque modio frumenti vel aliarum frugum, octaua tantum pars, pro pecunia in singulos solidos vnica siliqua, id est vicesima quarta pars solidi; ab ecclesia vero & venerabili domo quarta pars centesimae exigatur, in Basilicis, & apud HARMENOPOLVM *lib. 3. tit. 7.*

X. Nec hoc iure inter vsuram, & ἀντίχρησιν tacitam, vel expressam ponenda est differentia, sed omne emolumentum supra sortem damnatur quouis nomine, *can. plerique. 14. q. 3.* quod & agnouit imper. Basilius, qui omnem vsuram etiam leuissimam tanquam iure diuino prohibitam reiecit; quam tamen reuocare conatus fuit Leo eius filius, cognomento philosophus, visa saeuitia & crudelitate foeneratorum, qui post legem latam adesse nolebant indigentibus *nou. 83.* Nemo igitur supra sortem quidquam capere potest, siue is sit clericus, siue laicus; quamuis

uis laici id sibi licere contenderint, eo quod *can. 44. apostolorum*, de ecclesiasticis tantum loquatur; sicut & *can. 4. synodi Laodic. can. 17. synodi Nicaenae, can. 1. & 2. 14. q. 4.* Hunc enim errorem sustulit *can. 5. synodi Carth.* & nouissime Alexand. III. in concil. Later.

XI. Id ius extenditur ad omnes Christianos, quibus inter se foenerari prohibetur, non cum Saracenis & infidelibus; & iis, cum quibus bellum geritur. Vbi ius belli, ibi ius vsurae, inquit D. AMBROS. *can. ab illo. ead.* quod non admittit D. HIERON. qui illa, quae dicuntur *15. & 23. Deuter. non foeneraberis fratri tuo*, per Ezechielem generaliter extensa fuisse dicit *in cap. 18. Ezechiel.* Iudaei ab hac lege exemti fuerunt, *Iudaei vbique terrarum de fraude, mercato, vsura, & deceptione viuunt*, ait autor ille, qui sub nomine Eusebii Emisseni editus est (docti hunc esse volunt EVCHERIVM Lugdunensem) homilia *in Euang. Domini 20. post Pentec.* non quod eis absolute licitum fuerit foenerari, sed potius permissum ad maius malum vitandum, vt D. THOMAS *2. 2. q. 78.* exponit. Quae ratio est, cur Fridericus imp. a crimine vsurarum publico eximat Iudaeos termino eis imposito, vt *pro decem*, inquit, *vnciis per circulum anni integri vnam, ipsis tantummodo lucrari liceat pro vsuris, tit. 6. lib. 1. constitut. Sicularum*; grauem vero & immoderatam vsuram restituere debent, vt in Lateran concilio Innocent. III. statuit, *cap. quanto. h. tit.* nec enim omnino Iudaeis prohibuisse vsuras dicendum est, cum glossa in *dicto cap.* cui non fauet *cap. post miserabilem*, si legatur, vt est in integra decretali *epist. 342. lib. 1. Registri*, in qua iubet pontifex Iudaeos vsuras restituere, quas a proficiscentibus Hierosolymam exigebant, idque fauore peregrinationis, & expeditionis in terram sanctam.

XII. Sunt praeterea casus quidam, in quibus vsura licita est iure pontificio; primus est in *cap. 1. sup. de feud.* si colonus fundum emphyteuticarium domino obligauerit, dominus fructus non imputat in sortem, sed sibi reseruat iure seruitutis, & loco pensionis sibi debitae: similiter si pro dotis numeratione pignus detur, vsurae ad ferenda matrimonii onera rite exiguntur, *cap. salubriter. h. t.* Ius ciuile hunc fauorem agnouit, quo vsurae pro dote etiam sine stipulatione debentur, *l. 2. C. de dot. promis.* simile est de vsuris pupillaribus, *l. 1. C. de vsur. pupillar.* Praeter haec vsurae prohibentur, & qui eas exercent, canonibus puniuntur, siquidem vsurarii manifesti incidunt in poenam Lateranensis concilii, quae

vt a communione altaris arceantur, & defuncti careant eccleſiaſtica ſepultura *cap. quia. 3. h. t.* quales, & qui ſint manifeſti, docet *cap. cum in dioeceſi. h. t.* & alibi demonſtrauimus.

TITVLVS XX.

DE CRIMINE FALSI.

I. Actum ſuperioribus titulis de grauioribus criminibus, quibus ſubiungi iure debet titulus de falſis; falſum enim inter grauiora cenſetur, *l. 3. §. 1. ff. de decurionib.* & fuit olim capitale lege Cornelia *l. 1. & 5. C. h. tit.*

II. Deinde factum eſt non omnino capitale, deportationis poena impoſita, niſi id exigat magnitudo commiſſi, ait Conſtantinus *in l. 22. Cod. eod.* quam magnitudinem explicat LEO imperator *nou 77.* ſi is, aduerſus quem falſitas facta eſt, mortis poenae ſubiiciendus ſit. Innocentius vero III. ſi quis bullas & literas pontificias falſo per ſe exercuerit, & eis vſus fuerit, quo caſu ad ſecularem poteſtatem eum remittit puniendum *cap. ad falſariorum. h. t.* licet antea Vrbanus III. ſequutus fuerit poenam legum ciuilium, quae eſt deportatio, *cap. ad audientiam. h. t.* nec enim exiſtimandum eſt eum, qui reſcripta principum ſecularium & ſigilla corruperit, & ſubiecerit, capitali ſupplicio non eſſe obnoxium: licet enim aliquanto grauius ſit, bullas ſummorum pontificum corrumpere, quam principum, propter honorem & reuerentiam ſedis apoſtolicae, *& ne ipſius laedatur auctoritas,* vt ait INNOCENTIVS III. *epiſt. 233. lib. 1. Regiſt. ad W. Remens. archiepiſcopum;* tamen quia hoc crimen maieſtatis eſt, aeque puniendum fuit, nec mens haec fuit Innocentii III. ſed ſupra conſtitutionem Vrbani III. grauiori poena damnare. Quod ſatis liquet *ex cap. nouimus. infra de verb. ſignif.* vt in obſeruation. latius annotaui.

III. Communiter vero capitale non eſt crimen falſi, vt ob falſum teſtimonium *cap. 1. h. t.* in cauſa enim criminali καθαιρέσει, & a ſacri ordinis remotione perpetuo, in cauſa pecuniaria, per triennium relegatione in aliquod monaſterium clericus in ſacro ordine conſtitutus damnatur; in aliis vero minoribus ordinibus conſtitutum verberibus caedi vult

IV.

IVSTINIANVS *nou. 123. cap. 20.* & LEO *nou. 76.* sed verbera canonibus non sunt recepta, quae sanguinem irrogant, *cap. sententiam. sup. ne clerici, vel monachi;* licet Vrbanus falsariorum clericorum fronti characterem imprimi velit in dicto *cap. ad audientiam*, quod glossa recte restringit ad vultus, & cutis superficiem deformandam, non sanguinem, eliciendum, hoc enim reseruatur iudicibus secularibus; *post regradationem legitimis subiiciantur poenis*, ait *cap. 121. lib. 6. Capitular.* laicorum vero legitima poena est deportatio cum publicatione bonorum; nisi humilis sint conditionis, quia tunc poena capitis locum deportationis subit *cap. 2. tit. 25. sentent.* PAVLI *lib. 5.*

IV. Notariorum quidem poena vsitatior fuit, vt dextera amputaretur *legibus Longobardorum lib. 2. tit. 51. c. 11.* aut saltem pollex praecideretur, *legibus Ripuariorum tit. 59.* Alexander vero seuerus digitorum neruos incidere iubebat, ita vt nunquam possent scribere, teste LAMPRIDIO. Notariis & logographis adiungendi sunt ceteri omnes, qui falsas chartas confingunt, quibus pariter manus amputari iubent *leges Longobardorum lib. 1. tit. 29. Constitutiones Siculae* seuerius egerunt, quae post manus amputationem, supplicium capitis indixerunt *lib. 1. tit. 92. cap. 2.* cum iis vero, qui vsi fuerint tantum falsis literis, mitius aliquantulum agendum videtur, quum id non pertineat ad legem Corneliam, quae est proprie tantum de iis, qui falsitatem egerunt, ideoque licet infames fiant; & relegentur, pristinum tamen honorem, gradum, & curam suscipiunt, nec infamiam durare dicit Papinianus in *l. falsi. ff. eod.* quamuis antea damnati ad tempus ex causa infami, licet restituti semper maneant infames *l. 5. de decurion.* & ita decuriones ordine moti restituuntur in *l. 3. ff. eod.* Alexander seuerus senatores, qui fefelliſſent, & falsum testimonium dixissent in creando senatore, vltimum in locum ciuium reiicere solebat, condemnationis sententia in eos quasi in falsi reos adhibita, apud LAMPRIDIVM: non tamen addita deportatione, vt cuidam viro docto placuit, quia licet deportatio sit non in falsi tantum, sed & quasi falsi reos, non tamen hac voluit Seuerus senatores plectere, sed tantum senatu mouere ad tempus, extraordinario iudicio, & non vi legis Corneliae, quae publicationem & exilium perpetuum imponit *l. 1. ff. ſſ. fin. ff. h. t.* at senatus motio non est capitis minutio, sed poena temporaria *l. falsi. ff. eod.*

V. Quod similiter accipiendum est de clericis, qui si non regradati, sed suspensi fuerint, infames non fiunt, & tempore exacto pristinum munus recipiunt, *cap. post electionem. in fi. sup. de testibus*, licet in falsi vitium inciderint, *cap. quanto. de iis, quae fiunt a praelat.* Praeter poenas supra dictas id praeterea obseruandum est, vt literae omnes falso obtentae, vel vitiatae, sint nullius momenti, *cap. super. de rescript. sup.* & sententia per literas falsas obtenta nulla est, nec tribuit iurisdictionem, ideo executioni mandari non potest *cap. super eo. h. t. cap. ad probandum sup. de re iudic.*

VI. Falsitas in literis quomodo dignoscatur, docet Innocentius III. in *cap. licet. h. t.* Si falsa bulla literis adiungatur, vel filum per veram bullam immissum literis falsis adhibeatur: bullae siquidem & sigillae vel effringi possunt, vel e veris literis extracta falsis apponi, vel cum non apparet imago sigillo insculpta, vel quae non habeat mitram in capite, nec sit induta pontificalibus, nec baculum pastoralem teneat, sed potius insit pileus, aut sceptrum, aut ornamenta regalia; si bullae facies non appareat integra, sed dimidia, vt in nummis regum & ducum videmus facies ad vnam tantum partem conuersas, vbi e contrario in bullis pontificum ex vtraque parte aequaliter patent.

VII. Quae signa falsitatis detegit Innocentius III. in causa coenobii S. Donati, & archiepiscopi Mediolanensis *epist. 38. lib. 2. Registri.* Nec vero vulgo facies summi pontificis insculpitur sigillis, sed capita apostolorum Petri & Pauli; *bulla nostra, per quam totius negotia Christianitatis aguntur, capitum ipsorum charactere praesignatur*, ait Innocentius III. in dicta *epist. 233. lib. 1. Regist.* Ex quibus etiam notandus est alius modus falsitatis, si duobus nempe capitibus bulla non fuerit insignita ex parte vna, & nomine pontificis ex altera. Quod si pars altera defectum patiatur, praesumtio est quidem falsitatis, sed non semper, nam literae ab electione summi pontificis vsque ad consecrationis solennitatem sub dimidia bulla expediri solent, quae tamen fidem plenam faciunt, & robur idem obtinent, quod reliquae, vt rescribit Innocentius III. *in epist. 83. lib. 1.*

VIII. Praeter hos falsitatis modos, qui in bullas vel sigilla pontificum & principum committuntur, alius est, qui respicit monetam, quia nomine & sigillo eorum insignitur: cuius falsitas eadem lege Cornelia,

& maiestatis poena punitur. Ideo falsitates monetae, rescripti, & annotationis principis coniunguntur, quasi idem crimen in *l. vlt. C. de falsa moneta.* imo & bulla sumitur non solum pro sigillo & edicto, sed etiam pro nummo: HARMENOPVLVS, *lib. 6. tit. 14.* τὸν ἀρχέτυπον σφραγιστήριον ἢ βαλλωτήριον, id est, *iconium, quo nummorum forma exprimitur.* Similiter Ioannes XXII. in *extrauag. comm. h. t.* constitutionem edidit circa falsitatem monetae, quam adulterari, & corrumpi tribus potissimum modis demonstrat; in charactere seu icone, in vultu principum, vt loquitur PAVLVS *5. sentent. tit. 25. ff. 1. au coing*, in specie, siue materia, quam legem vulgo appellant *l' aloy* Denique in pondere, *cap. quanto sup. de iureiur. l. 1. S. de veteris nummis. si pot. lib. 11. C. Nou.* LEONIS *52.* Praeterea si aes inauratum vel inargentatum fuerit, vel in auro & argento dando aes subiectum fuerit.

IX. Denique corruptores, παραψαλίσαι, corrosores, & conres l. Cornelia puniuntur apud PAVLVM *dicto loco*, & constitutione Ioannis XXII. siue ex auro, argento, vel aere nummi conficiantur, vel ex alia quacunque materia, vt corio apud Lacedaemonis, ferro apud Byzantios, vel stanno apud Syracusios, qui stannum κασσίτερον argenti loco habent, vt refert POLLVX *lib. 9. cap. 6.*

X. In poenam quoque falsi incidunt, qui dolo malo nomen suum, vel cognomen mutant, & simulant, *l. 13. ff. eod. dolo malo inquam*, id est, *animo fraudandi aliquem*, ἐπὶ βλαβὴν τινὸς ἢ ἀπάτην, id est, *in damnum & fraudem alterius.* Si ita citra fraudem id agatur, vel ob necessitatem culpa non est; innocentibus non obest, ait *l. vnica C. de nom. mutat.* sic intelligendus *can. 62. apostol.* qui clericum sine causa nomen suum abnegantem deponi iubet, & BALSAMON addit idem esse, si tonsurae signaculum, & clericales vestes abiecerit, ita vt spes illi adimatur ad pristinum ordinem redeundi, sed tantum inter laicos versandi; similiter si muliebres, comicas, satyricas, vel tragicas personas induat, *can. 62. synodi VI. in Trullo*; quod etiam leges detestantur, *l. vestes. ff. muliebria. ff. de aur. arg. leg.* Athenienses infames iudicabant eos, γυναικώδας, & euiratos homines, & Plato vestibus foemineis indui impium iudicauit, quamuis Aristippus non indecorum putarit, vt refert SEXTVS philosophus *lib. 3 Pyrrhon. cap. 24.* vnusquisque vitae suae proposito habitum conuenientem seruare debet: ideoque in ecclesia habitus

singulorum ordinum discreti sunt, vt in quo genere quis militet, dignoscatur: vnde nec monachis habitus secularium clericorum, nec contra clericis monastica vestis licita est, vt late sancitum est in *can. 125. concilii Aquisgran. & cap. 76. lib. 1. Capitul.* nec pariter laicis vti vestibus clericorum vel monachorum datur, siue in theatris, siue in ludis, sed nec alterius cuiuscumque personae imitari schema, vt docet IVSTINIANVS *nou. 123. cap. vlt.*

TITVLVS XXI.
DE
SORTILEGIIS.

I. Hic titulus partem habet apud legem Corneliam, qua veneficia, incantamenta, diuinationes, & sortes damnantur *l. 1. ff. ad l. corn. de sicar.* vt *in cap. 1. & 2. h. t.* sortes, quae fiunt ad inquirenda furta damnantur, & qui diuinationis scientiam profitentur *can. 1. 26. q. 2.* qui tamen modus vulgo receptus erat primis temporibus: si quid enim quis sibi reuelari cuperet, vates, hecatontarchas, & centuriones consulebat *can. 61. synod. VI. in Trullo*; & nominatim ad furta detegenda taleis, id est furculis quibusdam, seu lignis vti solebant. Id etiam fiebat per crucem *cap. 32. lib. 2. leg. Longobard.* per corpus & sanguinem Christi, apud SIGEB. *in chronico, can. 15. concilii Wormat. can. saepe. 21. q. 5.* apud SPARTIANVM *in Iuliano*, per lancem vel peluim, vt ibidem BALSAMO notat.

II. Quo etiam fortasse non esset alienum adducere, quod de furto concepto olim fiebat, vt per lancem & licium res furto ablata concipieretur. Inerat olim tam in lance, quam licio superstitio, & vtrumque incantationibus, & sortilegiis seruiebat. De licio notum est ex OVIDIO *2. Fastor.* qui cantata licia dixit de lance, BALSAMO ad *d. can. 61.* eos, qui per lancem, vel peluim diuinabant, λεκανομάντας vocat. Et forsan in concipiendo furto eam ob causam lance vtebantur Athenienses, ex quibus Romani hunc ritum hauserunt, non vt ex FESTO refertur, ne matronarum & virginum verecundia laederetur, quasi vero nudi perquisitores lance contegi possent, cum γυναικωνῖτιδα, id est, foeminarum

narum cubiculum ingrediebantur, quae eos etiam videre & detegere furtum impediiſſet, id quomodo fieri potuit, fatetur SCALIGER ſe neſcire. CVIACIVS optime, qui ait lancem non opponi oculis ſolitam, ſed in ea ferri praemium indicii, quod probat aperte ex SVETONIO *ad l. 6. & 7. famil. ercis.*

III. Per codicem etiam & librum diuinatio fit *cap. 1. h. t.* quem modum peculiarem fuiſſe Francis docent AYMONIVS *lib. 2. cap. 28.* & GREGOR. TVRON *lib. 4. cap. 16.* Mortuo enim Clothario rege Burgundionum, quid Chramno eius filio contingeret, ſcire voluerunt, poſitis ſuper altare tribus codicibus prophetarum, epiſtolarum Pauli, & euangeliorum: vnde BALSAMON in dicto *can. 61.* mentionem facit cuiusdam ſacerdotis, qui per euangelium ad taleam, ſeu ſurculum alligatum res occultas detegebat. Aliquando libri non aperiebantur, ſed de voce diaconi legentis ex ſuggeſtu conſilium ſuum adſtruebant, vt idem GREGOR. *lib. 8. cap. 4.* refert. Hos diuinandi modos improbat *can. hi qui. 26. q. 2.*

IV. Licet enim olim in eccleſia honores & ſacerdotia ſorte darentur, vnde dicti clerici, & ſic Iudae ſacerdotium Matthias habuit, *cap. 1. Actu. Apoſt.* tamen non hoc temere & inconſulto abſque aliqua vrgente neceſſitate fieri debet: quum priuilegia ſingulorum non poſſint facer legem communem, vt ait D. HIERONYMVS in *cap. 1. Ionae*, ex quo deſumti ſunt *can 2. & 4. 26. q. 2.* quae ratio eſt, cur Honorius III. in electionibus ſortes adhiberi noluerit, *cap. vlt. h. t.* quod non tam merita perſonarum haberentur, quam praemia fortunae, cui primas tribuebant veteres; *Fortunae ſors prima data eſt*, inquit MANILIVS *lib. 3.* ſimili modo, quo Heliogabalus apud LAMPRIDIVM res pretioſiſſimas cum viliſſimis in ſortem redigebat, ita vt aliquando ex inope dives aliquis exiret, *vt verae ſortes eſſent*, inquit, *& fata tentarentur*, ſors coeca eſt. Non ita in electione D. Matthiae; contra quem oppoſitus erat Barſabas-Iuſtus etiam dignus apoſtolatu. In quo notandum eſt, poſtquam inſpirante gratia Diuina ſors cecidit ſuper Matthiam, apoſtolorum collegio annumeratus fuit, & ſuffragia ſingulorum addita fuerunt καὶ συγκατεψηφίσθη, id eſt, *calculis & ſuffragiis factus eſt*, ψῆφος enim eſt calculus, quo in comitiis & conuentibus ſuffragium fertur apud PLVTARCH. & POLLVC. *lib. 5. cap. 48.* quod dictum fuiſſe reor, ne plus fortunae & fatis, quam meritis, tributum videretur.

V.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0161
DFG

V. Quin imo & sortis nomen non semper pro periculo euentus accipiendum est; nam & in electione D. Matthiae pro diuino & praecipuo sancti spiritus munere & significatione accipiendum tradit D. DIONYSIVS *lib. de eccles. Hierarch. parte 3. cap. 5.* Vnde liber ille inscriptus, *sortes apostolorum*, inter apocryphos repositus est a Gelasio *can. sancta. 15. dist.* cuius generis sunt, quae dicuntur, *sortes sanctorum*, quas impostores sanctorum fuisse mentiuntur, *can. aliquanti, & can. si quis clericus. 26. q. 5.* & eas vel ex pane, vel ex ligno, vel aliqua alia materia confingunt, *can. 4. concilii Altissiodor. sub Gregorio I. & can. 32. concilii Aurelian. I.* Hos omnes si clerici sunt, ab ecclesia eiiciendos, & vt extraneos habendos, id est, extra communionem ecclesiae, iubet dictus *can. aliquanti.* Si episcopi, dignitatis honore deposito, sub censura monasterii perpetuam agere poenitentiam vult concilium Toletan. IV. *can. 28.*

VI. Praeter sortes iam supradictas sunt & aliae, quae *in cap. 2. h. t.* condemnantur, ratione motus astrorum, & astrolabii inspectione, vt loquitur Alexander III. Mathematici quoque omnes, qui ex astris diuinationem profitentur, damnantur a IVSTINIANO *tit. cod. de vet. iur. enucl.* Doctrinam hanc primum Ostanem inuenisse, & nomina syderibus imposuisse, ac ex eorum aspectu diuinasse refert APOLLODORVS *lib. 3. de Diis.* Quidam planetis singulis sortem tribuerunt, qui dicuntur planetarii, alii zodiaco duodecim domicilia constituentes, ei etiam duodecim sortes adiudicarunt, quae omnia non dicam explere, sed delibare non est nostri instituti.

TITVLVS XXII
DE
COLLVSIONE DETEGENDA.

I. Quae de collusione hic habentur, reliquiae sunt materiae de falso: collusio enim nihil aliud est, quam simulata quaedam conuentio, & fraus inter actorem & reum contra veritatis, aequitatisque rationem.

II.

II. Colludium, illudium, eludium vocant gloſſae, metaphora ſumta a rebus ludicris, cum quidam non iure, armisque contendunt, ſed leuiter & ludicre; VIRGILIVS ad res inanes & friuolas tranſtulit *1. Georg.*

Aut ſumma nantes in aqua colludere plumas.

Sic inertiae colludium dixit SYMMACHVS *epiſt 86. lib. 1.* ſi etenim quis per dolum ſciens aliquid falſo allegauit, colluſio eſt; & edicta, ſiue iudicia ſunt colluſoria, vel praeluſoria, vt Iulianus loquitur in *l. ſi. praetor. ff. de iudic.* & nullius ſunt momenti *l. 1. C. ſi ex fals. inſtrum.*

III. Aliud eſt in criminibus, quia per colluſionem teſtium & accuſatorum abſolutus iterum in iudicium de eodem facto vocari non debet *cap. de bis. ſup. de accuſat.* Crimen enim ſemel dimiſſum, iterum inſtaurari, & bis in idipſum iudicari non ſolet, *can. diuina poenitentia. de poenit. diſt. 4.* licet tamen iterum inquiri ſuper nouis criminibus poſſit *cap. vlt. infr. h. t.* atque etiam vetus quaeſtio in poenam praeuaricatorum excitari *l. 3. ff. de praeuaricat. l. ſi quis homicidii. C. de accuſat.* Similiter cum accuſatores & accuſati inter ſe gratiam faciunt, & in amicitiam redeunt vt crimen a cognitione iudicium eximatur *cap. 1. h. t.* vel etiam vt termini prorogentur, *ſine licentia curiae, neutro ad iudicium veniente*, vt ait Fridericus in *legibus Siculis lib. 2. tit. 15.* tunc enim tam accuſator, quam reus in poenam praeuaricationis legibus definitam incidunt, *can. ſi quem. 2. q. 3.* quam *lex 3. ff. de praeuaricatorib.* ſtatuit quinque librarum auri, Fridericus centum Auguſtalium. Cum vero actor gratia deſerit litem, tunc extraordinario iudicio puniendus eſt. *l. 2. C. ad ſenatusc. Turpill.*

IV. In proſecutione beneficiorum ſi aliquis ſe vexari permittat, vt litis ſopiendae cauſa & tranſactionis nomine penſionem annuam praeſtet, tunc ob colluſionem vterque beneficio, de quo quaeſtio eſt, ſpoliandus eſt *cap. audiuimus. h. t.* ſeruus quoque, qui libertati datus eſt calliditate vel fraude, vt loquitur *cap. 2. ſup. de pactis*, id eſt, colluſione, & ita ad gradus eccleſiaſticos peruenerit, depoſitione, ac libertatis amiſſione plectendus eſt, aut aſſertor, qui ἐλευθερόγραφος, in Baſilicis, qui eum in libertatem vindicauit, alium ſeruum domino praeſtare tenetur *cap. ſi ſeruus. 54. diſt.* & PAVLVS V. *ſentent. tit. 1.* aſſertiones illas perſuaſorias vocat SVETONIVS in Caligula; quae vel nullius ſunt momenti, vel tantumdem praeſtari debet *legibus Wiſigoth. lib. 2. tit. 3.* cetera, quae de tergiuerſationibus & praeuaricationibus hic adduci poſſent, *ſuperiori tit. de accuſat.* expendimus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0163
DFG

TITVLVS XXIII.
DE
DELICTIS PVERORVM.

I. Superiorum criminum poenis non omnes obnoxii sunt, praesertim hi, de quibus h. t. agitur; pueris enim crimen imputari non potest, quum nondum ob aetatis imbecillitatem animum peccandi habuerint, praecipue septennes, qui nullum consensum adhibere possunt, *can. vnic. 3. q. 1.*

II. Ideoque si puer peccet, mortuum in eo est peccatum, *quia legi subiectus non est*, inquit D. HIERONYMVS in *epist. ad Roman. cap. 7.* eum ad peccata formidare dicit in *epist. ad Galat. cap. 4.* Quapropter quod peccauit, impunitum est, *l. quod infans. ff. de rei vind.* & inultum relinqui solere, ait Alexander III. in *cap. 2. h. t.* Et quod refertur ex lege XII. tabularum in *noctibus Atticis lib. 11. cap. 8.* pueros impuberes praetoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab his factam sarciri, intelligendum non est de infantibus, sed de impuberibus doli capacibus, & pubertati proximis, quos μελλεφηβους vocant Graeci interpretes, EVSTATHIVS apud HOMERVM: qui licet nondum decimum quartum annum attigerint, ad annos tamen rationales peruenerunt, vt loquitur IVO CARNOTENSIS *epist. 134.*

III. Quamuis enim tempus legibus definitum pubertatis nondum accesserit, aliquando tamen praecox est, ideoque & in anno vndecimo & duodecimo pubertatem instare docetur in *cap. continebatur. sup. de desponsat. impub.* & furta, mendacia, periuria citius adolescunt, quae septennio expleto, saepius in peccata transire monet Gregorius in *cap. 1. h. t.* consequenter castiganda sunt, non quidem legibus, sed praetoris arbitratu, vt loquuntur leges XII. tabularum, sine strepitu & figura iudicii, sine infamiae periculo; non quaestionibus, sed ferula & habena, id est loro seu scutica, vt est in *l. 1. §. impuberi. ff. ad Syllanian.* quae sunt arma paedagogorum: MARTIALIS vocat *ferulas tristes, sceptra paedagogorum. lib. 10. epig. 62.* Ratione quidem damni, licet ipsi im-

impuberes non teneantur, tamen cum patre vel domino agi posse vtili condictione furtiua Graeci existimant ex *l. 4. 5. & 18. de condict. furtiua*, non vero ratione delicti *cap. 2. h. t.*

TITVLVS XXIV.
DE
CLERICO VENATORE.

I. A delictis communiter prohibitis ad ea descendit Gregorius, quae priuatim damnantur; nominatim in clericis; cuius generis est venatio, quam semper canones reprehenderunt variis de causis, tum quod sit species belli, & crudelitatem doceat, & sanguinem, vnde venatoris nomen sumitur pro impio & crudeli; sic Nembroth dicitur robustus venator, id est hominum oppressor, & tyrannus *Genes. cap. 10.* tum quod venatio ita rapiat, & alliciat, vt obliuionem rerum omnium inducat: *venator tenerae coniugis immemor*, apud HORATIVM; maxime quod abstrahat a cultu & obsequio diuino *can. an putatis. 86. d.* tum etiam quod inter iocos seculares, & causas superfluas, quae maxime clericis vitandae sunt, adnumeretur, *cap. 1. sup. ne clerici vel monachi;* vnde & ars nequissima dicitur, & venatores homines nequissimi *can. 8. & 9. 86. dist.* deinde quia venatio sumtus ingentes parit ad canes, accipit resque, alendos reliquaque habenda *cap. 1. h. t.* quae in pios vsus & pauperum alimoniam essent conuertenda. *can. donare. & seq. 86. dist.*

II. Inprimis illicita est venatio episcopis, ne ipsorum domus quae debet esse hospitium pauperum & peregrinorum, resonet canum potius latratibus, & auium stridoribus: *concil. Matiscon. II. can. 13. monstrum est ibi canes & accipitres habitare.* Hoc vitium saepius reprehensum fuit in episcopis Galliae: Nicolaus papa grauiter increpat Lanfredum in *can. quorundam. 34. dist.* & P. BLESENSIS Galterum episcopum Roffensem *epist. 56.* Hanc culpam obtentu necessitatis praetexebant, quod negotiorum causa reges etiam sequi in venationibus cogerentur.

III. Clericos quoque venatores esse vetant constitutiones omnes seruos Dei, vt est in *cap. vlt. h. t.* in quo non de omni genere venationis, sed tantum de clamosa & syluatica legem dictam fuisse docetur,

quoties modestia & ordinis clericalis honestas contemnitur, vel nimium huic studio clerici dediti sunt, *can. episcopum. 34. dist.* non si quando oblectamenti, exercitationis, & confirmandae valetudinis causa, sine pompa, strepitu, & scandalo id fiat. Cui sententiae haeret glossa in *can. qui venatoribus. eod.* & PANORMITANVS in hunc titulum. HORATIVS *lib. 1. epist. 18.* vocat venationem *opus vtile famae, vitaeque, & membris.* SYMMACHVS *alacrem fatigationem, & innocentis audaciae gaudium epist. 66. lib. 5.* Nec enim venatio secundum se illicita est, vt quae sit ars naturae congrua, & qua vtendum est in feras, vt docet ARISTOTELES *primo Politicorum, cap. 8.* ἡ γὰρ θηρευτικὴ ἣ δεῖ χρῆσθαι πρός τε τὰ θηρία, ὡς φύσει δίκαιον τοῦτον ὄντα τὸν πόλεμον, id est, *venatoria enim ars est, qua vtendum est in feras, tanquam hoc bellum iustum sit natura,* & *cap. 7. eod.* δικαία θηρευτικὴ dicitur, quam & ratiocinationem, & philosophiam docere scribit AELIANVS *lib. 6. de histor. animal. cap. 69.* & hanc sententiam sequitur D. THOMAS *1. p. q. 96. art. 2. & 2. 2. q. 64. art. 1.* Et ita venatoria ars iure communi non improbatur, nec agere aucupium, crimen est, ait D. HILARIVS *cap. 10. in Matthae.*

IV. Alia est venationis species, quae fit in theatris & spectaculis, quam vocant *munus gladiatorium, l. ciuitatibus. de leg. 1. & l. mortuo §. vlt. de legat. 2.* LAMPRIDIVS *in Commodo. Detestabilem vocat* Theodoricus apud CASSIODORVM *lib. 5. epist. 42.* & omnibus tam laicis, quam clericis interdictam esse vult *can. 5. synodi VI. in Trullo.*

V. Vulgo in vsu erat apud Gentiles, apud quos tamen saepius etiam odio habita; vt apud Eleos, quos XENOPHONTEM maiestatis reum postulasse, quod venationem e Lacedaemoniis adduxisset, refert PAVSANIAS *in Eliacis.* Apud Christianos habita fuit in pretio, praesertim in magnis vrbibus, in quibus leones, vrsi, & aliae ferae alebantur, quibus statis temporibus captiui, & rei capitis committebantur, vt refert ZONARAS *in dictum can. 51.* Hi dicuntur Pyrrhicarii *in l. aut damnum, §. quicunque. de poenis*, vel qui mercede conducta cum bestiis depugnabant, quae venatio dicebatur παγκαρπὸς *nou. 105.* Nam venationem direptionis, seu syluarum non coniungo, quae erat duplex, aliquando bestiis populo exhibitis, aliquando per tesseras, de quibus VOPISCVS *in Floriano*, & CAPITOLINVS *in Gordianis.*

VI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0166
DFG

VI. Quae genera venationum ſeuerius punita fuerunt in clericis, nempe depoſitione, quam θήραμα, cuius poena eſt ſuſpenſio, in dicto *cap. 1. h. t.* BALSAMON non male *in can. 24. eiusdem ſynodi curricula, ſpectacula, & venationes* in duo diuidi vult; in ea, quae ſunt omnino auerſanda & fugienda non ſolum clericis, ſed etiam laicis; & in ea, quae permiſſa ſunt vſu, ad quae non ſolum laici, ſed etiam clerici citra vllum praeiudicium accedunt, vt ſunt leporum venationes, ait ipſe in dicto *can. 51.*

VII. Spectaculis illis & gladiatoriis ludis adiungi debent aleae, & talorum ludi, *can. epiſcopus 35. diſt. cap. clerici. ſup. de vita & honeſt. cleric.* Quod etiam intelligendum videtur de his, qui aleam profitentur, dicti aleones, κοττιζαὶ, lucri potius quam oblectamenti cauſa, non vero relaxandi animi gratia, quod licitum eſt, & proprium fuit ſemper ſenibus. TVLLIVS *de ſenectute, nobis relinquant teſſeras, & talos.* SIDONIVS id vitium damnat in clericis, cum publicum eſt, & ob auaritiam, *cap. inter dilectos. inf. de exceſſ. praelat.* non propter conuiuium, vt ſentit gloſſa, *argumento leg. quod in conuiuio. ff. de aleator.* Quia tamen ludus aleae & talorum ad intemperiem homines allicit, vetitus omnino fuit a Iuſtiniano in *l. vlt. C. de aleatorib.* Et denique omnis ludus; in quo plus fortunae & periculi, quam induſtriae ſpectatur; idcirco ſcacchorum ludum eo nomine non cenſeri plures exiſtimarunt, quos tamen refellit PETRVS DAMIANI in *epiſt. ad Hildebrandum*, & ſacerdotibus venationem, aucupium, aleam & ſcacchos coniunctim prohibet, reiecta vulgi ſententia: cui an omnino aſſentiendum ſit, merito dubitari poteſt.

TITVLVS XXV.

DE

CLERICO PERCVSSORE.

I. Percuſſores ferarum, ſequuntur percuſſores hominum; violentas enim manus a propoſito clericorum abeſſe debere certum eſt. Ideo verberatores, percuſſores depoſitione plectit *canon apoſt. 27.* Non enim flagellis & verberibus in hominum corpora inſultandum, ſed doctrinis,

& admonitionibus: nounnunquam & poenis canonicis iniurias vlciſcendas eſſe docet *can. 9. ſynodi Conſtantinop.* In quibus BALSAMON legem ciuilem non admittit, quia vim vi, & arma armis propulſare licet, quod in laicis tantum non clericis probat. Verum canonis apoſtolici nunquam haec fuit mens; imo omni iure ciuili, & canonico vim vi repellere licet, *can. ius naturale. 1. diſt. cap. 3. inf. de ſent. excommunic. Commodius eſt irato viuentem reſiſtere, quam ſe poſt obitum vlciſcendum relinquere, tit. 4. lib. 6. legum Wiſigothorum*, cum moderamine tamen inculpatae tutelae, vt loquitur Innocentius III. in *cap. ſignificaſti. ſup. de homicid. & l. 1. C. vnde vi*, id eſt, cum defenſione aequabili, remota omni culpa, ſtatim, & pendente iracundia ἐυθὺς, non ex interuallo, cùm plus vltionis eſt, quam defenſionis, vt annotauit CVIACIVS *obſerv. 6. cap. 18.*

II. Ideoque ſi quis modum exceſſerit, & nimis acriter ſe tuendo, alium vulnerauerit, vel occiderit, licet de homicidio non teneatur, tamen poena dignus eſt, & aliquo tempore ab officio ſuſpendendus, *cap. 2. h. t.* Quod & authores iuris ciuilis agnouerunt, *l. Gracchus. C. ad l. Iul. de adulter.* Horruit ſemper ſanguinem eccleſia; ideo apoſtolus epiſcopum vetat eſſe percuſſorem, id eſt, ne facile manum porrigat ad caedendum; *ne in os alterius verberandum inſanus erumpat*, inquit D. HIERONYMVS in *cap. 1. ad Titum;* vbi notanda vox *inſanus*, qua intemperies iracundi & inconſulti, hominis denotatur, vt in dicta *leg. Gracchus* dicitur, *inconſultus dolor*, & in *l. quidquid. de reg. iur. calor iracundiae;* quia licet primo intuitu animum regere non poſſimus, non ideo magis caedis, aut verberum excuſatio admittenda eſt, *can. 27. apoſtolorum. can. 3. concilii Agathenſis*, apud BVRCHARD. *lib. 2. cap. 190.* maxime ſi quis enſe, ſecuri vel iaculo vſus eſt, *can. 8. epiſt.* D. BASILII *ad Amphiloch.* Scio quidem hunc locum apoſtoli, & *epiſt. 2. ad Timoth. cap. 3.* vulgo intelligi de percuſſore, qui neſcit opportune loqui & tacere, ſed ſermone inutili conſcientiam percutit infirmorum, vt D. HIERONYMVS melius eſſe interpretandum dicit.

III. Percuſſor etiam dicitur, qui quidem non ſua manu percuſſerit, ſed verberandi vel occidendi facultatem dederit: ne fraus fiat canoni apoſtolico, quo tantum percuſſores puniuntur, qui omes depoſitione plectendi ſunt, *can. 9. ſynodi Conſtantinop. Qui percuſſit, vel curauit, vt cui mala percuteretur*, ait VLPIANVS in *l. non ſolum. §. 1. de iniuriis.*

riis. Si vero nec percussor clericus fuerit, nec caedem, vel vulnus imperauerit, sed in conflictibus & turbis arma sumpserit, vel lapides proiecerit, vel ictum alicui grauem, colpum, vt loquuntur veteres formulae, dederit, tunc biennii suspensio imponitur, *cap. 3. & 4. h. tit.* vel seditionibus & populi tumultibus se miscuerit, tunc enim ordinis gradum amittet. *cap. 248. lib. 6. Capitul.* nisi iustus sit conflictus & qellum aduersus hostes Christianorum, non quo alios prosequatur, sed quo se defendat, *can. Maximianus, & seq. 23. q. 3.* aut si propter communem vtilitatem quis latrones occiderit, & ita regionem purgauerit, vel pro pudicitia, aut pietate certauerit, mortem illam patres sancti non existimauerunt caedem esse, consultius tamen ducentes, vt aliquantulum a communione abstineat, adeo sanguis horrori est ecclesiae, *can. 13.* D. BASILII; licet vt supra dixi BALSAMO synodaliter contrarium decisum fuisse tempore Constantini Chliareni dixerit, nulla habita differentia caedis hostibus, vel latronibus inflictae, vel aliis quibuscunque, vt docet ipse ad *55.* D. BASILII.

TITVLVS XXVI.

DE

MALEDICIS.

I. Percussoribus iam dictis merito adiungendi sunt, qui lingua alios lacessunt: lingua gladius est acutus, cuius verbera non minus feriunt absque gladio aut vulnere corporis aliquo, homicida inuenitur, ait CAROLVS M. *cap. 37. lib. 5. capitul.* maledicus autem est, qui non solum summo pontifici detrahit, *cap. 1. h. t.* sed etiam episcopo, *can. 55. apostol.* presbytero vel diacono, *can. seq.* imperatori, & principi, *can. 84.* consuli, magistratui, quem ἄρχοντα vocat dictus canon, vel ei qui in dignitate positus est. *l. atrocem. C. de iniuriis.*

II. Hoc crimen primis temporibus fuit maiestatis: sed Titus hanc quaestionem remisit DIONE teste, & XIPHILINO, & post eum impp. Honorius, & Theodosius *in l. vnica C. si quis imper. maledix.* Et ita ex publico factum est priuatum, vt de eo conqueri non possit, nisi

nisi qui contumelia, & iniuria affectus fuerit, *l. 5. C. de iniur.* Imperatores contumeliam sibi irrogatam contemnere voluerunt, & μνησικακίαν damnarunt; quod & familiare Athenienſibus fuisse dicit LIBANIVS *in apologia pro Demoſthene*, ἐςὶν ἡμῖν τὸ μὴ μνησικακεῖν πάτριον: apud eundem *declamat 21.* Themistocles profitetur se non tam improbum esse, vt contumeliae sit memor, μήποτε ἔτω γενοίμην κακὸς id est, *absit, vt tam improbus vnquam sim.*

III. Sed & nostri canones detractiones & contumelias nihili fecerunt, *can. paratus 23. q. 1.* nisi quando honor ecclesiae, vel ordinis laeditur, *cap. 2. h. t. in 2. compil.* vel vt reposuit Raymundus in *cap. 1. h. t.* in depressionem officii, & beneficii nostri, qnando ius publicum laeditur; vt si quis in ecclesia, vel conuentu publico, sacerdotibus & ministris diuino cultui vacantibus ὕβρεως τι ἐπαγάγοι, id est, *aliquid contumeliae intulerit*, iniuriam fecerit; similiter ac si petulantibus conclamationibus, & vociferationibus ecclesiae dignitatem, & reuerentiam labefactarit, *l. 5. & vlt. C. de his qui ad eccles. confug.* silentium enim maxime seruandum est, *cap. 173. & 192. lib. 6. Capitul.* vel officiorum & ministerii sacri celebrationem turbauerit, *nou. 123. cap. 31.* tunc enim rector prouinciae vltionem persequi debet; & capitali poena reos afficere, *l. si quis. C. de episcop. & cleric. dicta nou.* Ideo iure mercedem pollicitam fuisse ei, qui Diagoram interficeret, siquidem Eleusinia sacra, & arcanas ceremonias ludibrio habebat, vt narratur apud LIBANIVM *declam. 29.* Vnde & maledicta illa, seu contumeliae personis & locis sacris, vel publicis facta, dicuntur ἀδικήματα ἱερὰ apud DIONEM CHRYSOST. *orat.* περὶ ἀπιςίας, & apud PAVLVM *5. sent. tit. 4. conuicium, & maledictum* publice factum coniunguntur.

IV. His grauius crimen accedit, si quis linguam procacem effundere non contentus, calamo etiam manum adiecerit aduersus etiam priuatam quantumlibet personam; quod crimen capitale fuit lege XII. tabul. vt ex fragmentis TVLLII *4. de republ.* refertur: *si quis occentassit, condidissit.* Occentatur crimen, quod in derisum, & opprobrium canitur, diciturque *cantilena, canticum psalterium*, apud eundem PAVLVM; *conuicium*, quasi *conuocium* apud FESTVM, & NONIVM. *Condidissit* vero refertur ad eum, qui composuit, descripsit, publicauit, vel affixit in loco ciuitatis publico, *can. quidam. 5. q. 1.* vel foribus ecclesiae

cleſiae, *can. ſeq.* Libellum famoſum vocant iuriſperiti, epigramma, inſcriptionem, *l. 10. de iniur.* Gregorius in *dicto can. quidam conteſtationem*, vulgo *conteſtationis libellum*, a verbo *conteſtari*, quod fere idem ſonat quod *atteſtari*, vel *antiſtari* in legibus XII. tabul. id eſt, *notum facere*, denunciare, in memoriam reducere, idque actis publice habitis, vel appoſitis, quibus negotia, mores, vitia, odia, inimicitiae, & ſimilia exponebantur ſine vllo teſte, ſine nomine ſaepius, ne criminatores, & authores detegerentur; & ita Chriſtiani ſaepe martyrium ambientes libellis ſe Chriſtianos conteſtabantur, vt ex innumeris martyrum actis notum; aliquando iisdem fidem abnegabant, & ſe idololatras profitebantur, apud CYPRIANVM *epiſt. 68.* PLINIVS *lib. 10. epiſt. 97. Propoſitus eſt libellus ſine authore multorum nomina continens, qui negarent ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe.* Aliquando obiectis criminibus reſpondebatur per ſe, vel per alios, vt de libellis pſeudo ſynodo Tyriae oblatis pro D. Athanaſio a quadraginta ſeptem epiſcopis tempore Sylueſtri papae conſtat.

V. Eſt praeterea hic titulus de blaſphemiis contra Deum & Virginem Mariam *in cap. 2.* Blaſphemia nihil aliud eſt, quam maledictum; & inter maledicos & blaſphematores nulla alia eſt differentia, quam idiomatis, *βλασφημεῖν*, Graecis eſt *calumniari*, & alterius famam laedere, laceſſere, reprobare, & condemnare, vnde blaſphemare iudicium in *legibus Longobardorum lib. 2. tit. 53. cap. 23.* Hoc crimen grauius contra diuinam maieſtatem, quam temporalem, *cap. vergentis. ſup. de haeret.* Licet enim principes tam eccleſiaſtici, quam ſeculares maledicta & probra libenter dimittant, tamen contra omnipotentis Dei gloriam prolata diligenter vindicare debent vltimo ſupplicio *cap. 52. addit. 3. capitular.* ſecundum legem Dei *cap. 24. Leuitici.*

VI. Hoc iure Gregorius poenam eccleſiaſticam ſtatuit, quae ſolebat infligi haereticis, lapſis, & iis, qui maius aliquod crimen commiſiſſent, nempe, vt reus zona ad collum appenſa, vel ſune, vel ferreo vinculo, nudis humeris, & pedibus ante fores eccleſiae humi proſtratus ab ingredientibus virgis & flagellis caeſus veniam deprecaretur, vt *inf. tit. de poenitent.* dicemus.

VII. Non tamen ſemper tam acriter agendum cum omnibus blaſphemis. Duplex enim eſt blaſphemia, vna, qua detrahitur conuiciis

vel obiurgationibus Deo, & B. Mariae, & sanctis eius; altera, qua nomen eorum in vanum sumitur, & iuratur. Huius poena fuit, vt lingua praecidatur, *constit. Siculis lib. 3. tit. 58.* D. Ludouicus rex Franciae frontem, ac deinde linguam ferro candenti inuri & confodi iubebat: vt testatur GVILLELMVS de NANGIS *in eius vita.* Philippus Augustus in flumen demergi aliquantulum, citra tamen mortis periculum volebat, vt refert RIGORDVS *in eius historia*, quod & nostri Tolosates nostris temporibus obseruarunt, & cauea ferrea ad id perpetuo suspensa inclusos ter flumini immergebant. Nec leui de causa talis vltio in morem transiit, quia & mos impius iurandi praecipue inoleuit apud Gallos, quos vix tria effari verba sine iuramento videmus. Innocentius III. de hoc eos obiurgat vitio, *in epist. quadam ad Remensem archiepiscopum lib. 16. Registri ex collegio Fuxensi: Eiusdem regni homines quasi ex consuetudine generali, per diuinos pedes & manus iurare non metuunt. Verum etiam ipsius Christi, & sanctorum eius secretiora membra, lingua sacrilega perscrutantes, ea non formidant intonare.*

VIII. Alterum genus blasphemiae est, de Dei potentia & virtute falsa profiteri; quod est grauius, quam in vanum nomen eius assumere, vt ait D. AVGVSTINVS *lib. vnic. ad Consentium.* Peius est blasphemare, quam peierare, quoniam peierando falsae rei adhibetur testis Deus, blasphemando autem de ipso falsa dicuntur. Vtrumque crimen puniendum est, sed iurantis leuius, *can. si quis. 22. q. 1.* Ab hoc tamen Christianos omnes maxime decet abstinere, exemplo saltem paganorum, qui ita religiosi fuerunt, vt per Iouem iurare non auderent, sed tantum (non per) dicerent, μὰ τὸν, vt SVIDAS docet, vel μὰ τὸν Δία, non per Iouem, vt apud PLATONEM *in apologia:* idque adeo accurate vt populi tumultus concitatus fuerit a DEMOSTHENE propter iuramenta per fontes, fluuios, terram, vt scribit AGATHARCYDES apud PHOTIVM.

TIT V-

TITVLVS XXVII.

DE CLERICO EXCOMMVNICATO, DEPOSITO, VEL INTERDICTO, MINISTRANTE.

I. Blasphemis, & maledicis adiungendi sunt clerici contemptores gladii diuini & spiritualis, nempe excommunicationis, depositionis, vel interdicti, quibus spretis audent se immiscere ministerio altaris, a quo abscissi, & semoti sunt, *can. 28. apostolorum*, relato *in cap. 1. hoc tit.*

II. Hos enim remouendos esse citra vllam spem restitutionis censet *canon Antiochenus 4.* De quo in *can. 6. 11. q. 3.* quod ius sequitur Alexander III. *in cap. 3. hoc tit. Perpetuae depositionis sententiam incurrant, & cap. 4. in perpetuum ab officio sacerdotali deponas.* Nimis arduum videtur, vt spes restitutionis adimatur a synodo Antiochena, quae tamen alias rite confessis, & dignos poenitentiae fructus agentibus veniam pollicetur *can. 2.* Ideo Raimundus compilator in dicto *cap. 2. hoc tit.* quod conflauit ex dicto *can. 4.* haec verba expunxit, nec in alia synodo ἐλπίδα ἀποκαταστάσεως, id est *spem restitutionis*, neque *defensionis locum ei habere liceat*, quae tamen bene intellecta minus negotii faceſſunt; dicta enim & sancita sunt contra eos, qui a propria synodo damnati, non ad primates suos, & superiorem synodum, sed ad alium recurrebant, cuius iurisdictio nulla erat, & illic absolutionem obtinebant, quod nunquam licuit praeter Romanum pontificem *can. 3. & 4. synodi Sardicensis*, licet in eo oblatrent BALSAMO, & ZONARAS ad *can. 31. synodi Carthaginensis.* Eos enim, qui ordinem iudiciorum turbauerint, & ad iudicium peregrinum recurrerint, omni spe restitutionis priuandos censet eadem synodus Antiochena *can. 12.* qui nec vnquam absolutionis beneficium consequi poterunt, nisi a summo pontifice *cap. 1. de sent. & re iudic. in 6. & cap. 1. de sentent. excommun. eod.*

III. Equidem pendente appellatione presbyter excommunicatus, vel interdictus, ministerium attingere nullo modo potest, quum nec in communionem fidelium recipi aliquando possit, *cap. 1. de appel. cap. per*

tuas. inf. de sent. excomm. dicto *cap. 2. h. t.* Idem est de eo, qui est καθαιρεθεὶς δικαίως, id est; *depositus iuste*, sic enim BALSAMO interpretatur in dicto *can. 28.* hoc vocabulum δικαίως; qui non habet appellationis remedium, qui a synodo perfecta depositus est. Perfectam synodum intelligit Constantinopolitanam, Graeco, seu schismatico more; quum non aliam quam Romanam perfectam asserere possit, vt iam diximus ex synodo Sardicensi.

IV. Nullus igitur omnino episcopus, presbyter, vel quiuis alius clericus vllam ministerii partem attingere potest pendente excommunicatione, suspensione vel interdicto; nec enim solum a sacrorum, incruentique sacrificii oblatione, sed etiam omnibus sacerdotii & clericatus functionibus prohibetur, vt docet ZONARAS *ad dictum can. 4.* puta ordinationibus, confirmationibus, electionibus, & iuribus similibus, quae excepto baptismo irrita, & nullius sunt momenti, vt de ordinationibus Ebbonis refert FRODOARDVS *lib. 3. histor. Rhemens.* Nisi aliter ex indulgentia & authoritate summi pontificis, propter graues causas visum fuerit, *can. quod pro. 1. q. 1.* vt de ordinationibus factis ab Acacio in *can. secundum. 19. dist.* Nam Athanasium papam rationibus maximis motum fuisse docet P. DAMIANI *in epist. 16. cap. 25.* ordinati vero ab haereticis ante eorum damnationem facilius sustineri possunt; & sic Innocentius I. Bonosi ordinationes confirmat epist. ad Martianum episcopum.

V. Regulariter vero male ordinati poena anathematis feriuntur, & omnibus beneficiis spoliantur *cap. 3. 4. & 6. h. t.* multominus collatio talibus facta valet, *cap. postulastis. h. t.* nisi praemissa absolutione, *cap. seq.* Quid si peruicaces fuerint, & contumaciter sacris se immiscere audeant? Praeter praedictas poenas brachio saeculari tradendi sunt, *dicto cap. 2. h. t.* nisi ignorantes se vinculo excommunicationis teneri, celauerint, *cap. apostolicae. h. t.* Dummodo haec ignorantia crassa & supina non sit, *cap. si vir. sup. de cognat. spirit.* si enim error iustus, vel probabilis sit, sine dubio durante ignorantia poterunt impune ministrare. Idem etiam est pendente appellatione *cap. solet. de sentent. excomun. in 6.* Nec ideo poena legibus dicta incurritur, dicto *cap. apostolicae.*

VI. Similiter dicendum est de eo, qui in crimen aliquod nescius incidit, qui licet ordinem suum laeserit, non tamen excommunicatus, vel depositus censetur, sed perinde habetur, ac si minori excommuni-

ca-

eatione damnatus, ob quam non ideo a participatione sacramentorum excluditur, *can. presbyterum. 28. d. cap. vlt. hoc tit.* sed nec ab aliis facultatibus iurisdictionis, quas nihilominus libere exercere potest, vt de electione dicitur in *cap. illa. sup. de elect.*

VII. Aliud est in suspensione generali; quae ab omnibus iuribus, etiam electionis arcet, *cap. cum dilectus. sup. de consuet. cap. cum inter 16. sup. de elect.* Cum dico, suspensionem intelligo, & depositionem, καθαίρεσιν; quia non est differentia verborum, quae vim capiunt ex modo & ratione criminis & poenae. Aliquando clericus deponitur quantum ad celebrationem tantum sacrificii, sed ab ecclesia non excluditur, *can. 11. & 25. apostol.* Prohibetur sacrificare, vel offerre τῆς ἱερουργίας παυθῆναι, reliqua sacerdotum priuilegia ei relinquuntur, vt sacramentorum participatio in altari, cathedrae, & τῆς κλήσεως, id est, vocationis honor, vt docet BALSAMO ad *can. 9. synodi Neocaesarien. & can. 1. synodi Antiochenae.* Honor autem vocationis is est, vt nomen eius simul cum nominibus aliorum clericorum publice offeratur, vt ait D. CYPRIANVS *epist. 10. recitetur*, siue *nominetur*, vt docet *epist. 66. Neque apud altare Dei*, inquit, *meretur nominari in sacerdotum prece.* Quod & satis notum est ex *epist. 1.* INNOCENTII I. & in canone missae ad hunc locum; *Memento Domine*, fieri consueuisse docet MICROLOGVS. In hoc genere suspensionis non est querendum, quid liceat, aut quid non liceat, quum nihil ademptum sit praeter celebrandi facultatem.

VIII. Alia est depositio, quae arcet clericum ab omnibus ecclesiasticis officiis, functionibus, muneribus & honoribus, & ingerit excommunicationem; vtpote quae ab albo clericorum eradat, det tamen ingressum ecclesiae, & communionem cum ceteris fidelibus, *can. si quis episcopus. can. Teugualdum 11. q. 3.* quae communio vulgo dicebatur peregrina vel laica *in can. clerici. 13. q. 2. can. contumaces. 50. dist.* quia tales clerici habentur numero peregrinorum vel laicorum, quos *idiotas* vocat *nouella* IVSTINIANI *6. §. 5.* qui extra altare & cancellos communicare debebant, *can. 19. synodi Laodic.* & quorum exemplo comam nutrire, & vestem deferre cogebantur, vt maiore pudore afficerentur; qui si deinde rite poenituissent παπαλήθραν, id est, tonsuram recuperabant, καὶ σχῆμα κληρικοῦ, & *vestem clerici*, inquit BALSAMO

ad can. 22. synodi VI. in Trullo: tum gradu & dignitate receptis in matriculam reponebantur, dicto *can. contumaces.*

IX. Tertium genus depositionis illud est, quam sequitur ἀκοινωνησία, maxima capitis deminutio in *cap. qualiter. 24. sup. de accusat.* Innocentius III. in concil. Lateranensi *cap. 8.* cum scilicet non solum ministerium omne, honores, & priuilegia ecclesiastica auferuntur, sed etiam ab omni laica, & peregrina communione arcentur, & prolixiori anathemate feriuntur delinquentes clerici, *can. haec huius. 12. q. 2.* quos ab omni prorsus fidelium societate, & a Christi corpore, quod est ecclesia, semotos esse, sicut laicos constat, vt dicemus *inf. tit. de sentent. excom.*

X. Haec depositio morti similis ferme fuit olim, ita vt etiam bonis omnibus spoliarentur: nam aetate etiam ipsa IVONIS CARNOT. episcopi depositi, sicut mortui, diripiebantur *epist. 74.* & vestigia exstant in *can. illud. 12. q. 2.* quod vetitum fuit concilio Ilerdensi, & Aruernensi. Id etiam testatur WILLIELMVS MALMESBVRIENSIS *lib. 4. de gest. reg. Anglor. & Nouella constitutio 7.* Comneni imperatoris.

XI. Et haec quidem depositio trahit secum regradationem, nec enim regradatio est depositio, sed consequentia depositionis; quae est duplex, alia iuris, altera facti: iuridica est, quae fit vel a canone, vel a iudice priuando, ab ordinum ministerio, honoribus, priuilegiis & officiis; inhaerens depositioni, vel excommunicationi maiori; siue a canone latae sententiae, siue a iudice inflicta fuerit, vt dicetur inf. At regradatio, quae in facto consistit, quam actualem vocant interpretes, solennia requirit; nempe vt in episcopis regradandis duodecim episcopi interfint, in presbyteris sex, in diaconis tres, in aliis clericis sola praesentia episcopi dioecesani cum clero sufficiat, *can. si quis tumidus, & seq. 15. q. 2.* Concilio tamen Tridentino, si facile non possint conuocari episcopi, abbates in eorum locum aduocari poterunt, qui si etiam commode interesse nequeant, totidem personae ecclesiasticae dignitatibus fultae adiungentur *sess. 15. de reformat. cap. 5.* Formulam describit Bonifacius in *cap. degradatio. de poenis in 6.* Similis est militum exautoratio, qui armis, insignibus militaribus detractis e castris eiiciebantur, *l. 2. ff. ignominia. de bis, qui not. infam. l. 29. de de liberal. causa*; & magistratuum, qui ablatis codicillorum insignibus &

bono-

honoribus priuati inter criminum reos & plebeios habebantur, *l. 12. C. de dignit. lib. 12. can. nullus. 11. q. 1.*

XII. Nec vnquam huiusmodi regradati possunt ordines amissos recuperare, nisi eosdem recipiant ab episcopo, a quo cum rite ordinati fuerant, acceperant, *can. episcopus. 11. q. 3.* ita Rothaldus Sueſſionensis episcopus depositus ab Hincmaro Remensi archiepiscopo, receptis vestibus, & infulis episcopalibus gradui pristino redditus, & ad sedem propriam remissus, & restitutus fuit a Nicolao I. in synodo ad id conuocata, vt refert ANASTASIVS in eius vita. Non ita de haereticis, qui clero adscripti, ordines & alia insignia adepti sunt, qui restitui non dicuntur, quum nec depositi fuerint, vt recte exponit ZONARAS ad *can. 19. concilii Nicaeni*, sed dicebantur electi, & hoc non est καθαίρεσις, sed ἐξώθησις, id est *expulsio*, vt ait BALSAMON, quia ordinum adeptio irrita, & nullius plane momenti est.

XIII. Denique depositionis nomen varie sumitur, tam pro minima suspensione, & interdicto, quam pro maiori regradatione, ac etiam pro excommunicatione. Nec id obest distinctioni, quam facit IOANNES XXII. *in extrauag. commun. de praebend.* vt excommunicatio feratur in personas, interdictum in vniuersitates, suspensio in conuentus & capitula.

TITVLVS XXVIII.

DE CLERICO NON ORDINATO MINISTRANTE.

I. Non longe differt clericus excommunicatus a non ordinato, nec minor poena vni, quam alteri infligenda est Quisquis enim non adeptus sacros ordines sacris mysteriis se immiscuerit, ab ecclesia deiiciendus & excommunicandus est, sine vlla spe ad ordines redeundi, *cap. 1. h. t.* Nec minus tamen, qui ab huiusmodi hominibus se ficte presbyteros asserentibus sacramenta receperunt, tuti sunt, vt Nicolaus I.

de

de supra nominato Acacio proponit in responsionibus Bulgarorum, *cap. 14.* Rata omnia illa habentur *propter vtilitatem eorum, qui apud illos egerunt*, vt loquitur VLPIANVS in vulgata *l. Barbarius. de offic. praetor.*

II. Regulariter tamen omnia, quae falsus sacerdos, vel episcopus egit, nullius momenti habentur, vt Innocentius III. rescripsit in decretali, cuius partem habemus in *cap. postulasti, de regular. & cap. postulasti. de Iudaeis:* quae quidem integra non est inserta in corpore iuris, sed legitur in *lib. 14. Registri*, in quaestione proposita de quodam captiuo, qui se falso episcopum asserens, altaria consecrauerat, & alia plura exercuerat, quae ad officium praesulatus pertinent: quae omnia irrita esse iubet *canon 5. concilii Antiocheni.*

III. Similia sunt de inuasoribus sedium episcopalium in *can. 4. 5. & 18. Capitular. Caroli Calui, in synodo Tullensi apud Saponarias*: Idemque statuitur in *cap. illud. infr. de excess. praelat.* de eo, qui sibi falso dignitatem vel personatum tribuit. Imo quod magis est, si incertum fuerit episcopum esse, qui talem se dicens presbyteros ordinauerit, & alia egerit, ait Gregorius III. denuo presbyteros esse consecrandos, *in can. presbyteris. 68. d.*

IV. Non ita est in baptismo, qui collatus a non ordinato valet: licet enim sacramenta non debeant nisi ab ordinatis conferri; baptismus tamen necessitate exigente, & in defectum sacerdotis a quocumque conferri potest, *cap. 1. h. t. can. ad limina. 30. q. 1.* etiam ab haeretico, *can. si quem forte. 24. q. 1.* dummodo baptismus in forma ecclesiae, id est obseruato ritu ecclesiastico praebeatur, *cap. 1. sacramentum. sup. de summ. trinit.* licet communiter non debeat dari, nisi ab ordinatis, videlicet ab episcopis, presbyteris & diaconis, non vero aliis clericis, lectoribus, cantoribus, ianitoribus, & reliquis minoribus ordinibus, quorum non proprie ordinatio, sed promotio dicitur fieri *cap. 11. lib. 3. constit. apostol.* ἢ μόνοις ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις ἐξυπηρετουμένων αὐτοῖς τῶν διακόνων.

V. Est praeterea addendum, eum, qui contra regulas canonicas non ordinatus missam celebrauerit, vel alia similia egerit, excommunicatione plectendum esse, sine vlla spe, vt vnquam ad ordines promoueatur, *cap. 1. h. t.* Quod si aliquis iam adeptus aliquem ordinem, non tamen sacerdotium, ad missae sacrificium accedere ausus fuerit, perpetuo

a pres-

a presbyterii gradu excludendus est, & ab officio, in quo iam promotus est, biennio, vel triennio suspendendus, *cap. 2. h. t.* duriorem poenam nempe coritarum statuit constitutio apostolica dicto loco, qua Dathan & Abiron perierunt, *cap. 16. numerorum.*

TITVLVS XXIX.

DE

CLERICO PER SALTVM PROMOTO.

I. Clerico non bene ordinato adiungitur recte clericus per saltum promotus, qui vno omisso ceteros ordines susceperit, veluti si quis subdiaconus praetermisso diaconatu sacerdotium assumpserit in *cap. 1. h. t.* exemplo tyronum in *l. vlt. C. de tyronib. lib. 12. Nec enim*, inquit, *patimur quemquam celsiorem gradum obtinere, nisi cui laborum assiduitas suffragatur.* Simili modo in adipiscendis honoribus, *l. vt gradatim. ff. de muner. & honorib. & can. si officia. 59. dist.* Illum autem loquendi modum primum in concilio Sueſſionensi temporibus Lotharii, & Ludouici imperatorum vsurpatum reperio apud FRODOARDVM *lib. 3.* Elegantius Alexander III. praeproperum, vel praeposterum cursum vocat, in *can. sollicitudo. 52. dist.* id est inuerso cursu & ordine ab antiquis canonibus posito, quem προκοπὴν, id est *progressum*, vocat *can. 10. synodi Sardicensis.*

II. Septem ordines primitus in ecclesia constituti fuere ab apostolis, ostiariorum, lectorum, exorcistarum, acolythorum, subdiaconorum, diaconorum, presbyterorum: tum deinde ab eorum successoribus Anacleto, Dionysio, & Caio, vt notum est ex eorum epistolis. Sed an id nominatim constitutum olim fuerit, vt in vnoquoque gradu is ministerium praeberet, qui ad sacerdotium promoueri vellet; an ante Caium id factum fuerit, dubitandi locus est, quum ipse se primum authorem canat: dicit enim apostolos, & eorum successores presbyterorum & reliquorum ordinationes debite statuisse, se vero constituere velle, *quod illi*, inquit, *non statuerunt*, vt nempe ad ordines ecclesiasticos gradatim ascendatur: *si quis*, addit, *episcopus esse meretur, sit primo ostiarius, deinde lector, postea exorcista, inde sacretur acolythus, demum*

subdiaconus, & postea presbyter, exinde episcopus, vt scribit in *epistola ad Felicem.* Quod confirmatum est postea *concilio Sardic.* in *dicto can. 10.* vt episcopus non prius constituatur, quam lectoris & ceterorum minorum ordinum, tum diaconi & presbyteri ministerium peregerit, cui implendo certum tempus erat definitum *can. 2. & 3. 77. dist.*

III. ILLVSTRISSIMVS CARDINALIS BARONIVS *ad annum 296. num. 2.* Caium huius instituti authorem admittere non vult, nisi quoties de promouendo aliquo in episcopum agitur, cuius ego sententiae nolim refragari, sed mihi dubium restat, cur potius ante Caium potuerit aliquis contempta ordinum serie ad episcopatum prouehi; minime vero ad sacerdotium, quum episcopus nunquam etiam initio ecclesiae, nisi sacerdos prius ordinatus potuerit consecrari, nam & pontifex sine sacerdotio esse non potest, *cap. ex litteris. de excess. praelat.* gloss. *in can. solicitudo. 12. d.* Quin etiam satis constat τὴν προκοπὴν diu contemptam fuisse, licet valde commendatam, non solum in episcopatu consequendo, verum etiam sacerdotio. Ideo & Nicaena synodo, *can. 2.* lex Caii repetita est *in can. 1. 48. d.* & a Gregorio I. *can. seq.* quum antea canonibus apostolorum tantum prohibitum fuisset, repente neophytum ad sacerdotium, vel episcopatum progredi, *can. 80.* vnde sequitur, quod in neophytis improbabatur, in aliis fuisse admissum nulla serie ordinum inspecta, donec id Caius constitutionibus suis decreuit. Verumtamen ne hac in parte pertinaciter oppugnem tanti viri authoritatem, saltem asserere non dubitarim Caium primum interstitiorum seruandorum authorem fuisse, post quem similia decreta Zozimus, Siricius, & Gelasius ediderunt, *can. 1. 2. 3. & vlt. 77. dist.* sed de his fusius ad titulum de temporibus ordinationum tractauimus.

IV. Ergo qui vno ordine praetermisso alium obtinuerit, irregularis est, nec ministrare poterit, nisi ex dispensatione episcopi, & recepto prius eo, quem contempserat, dicto *can. solicitudo. Concilio* quidem *Tridentino* episcopi dispensatio non sufficit, sed summi pontificis authoritas desideratur, quoties promotus per saltum ministrauerit: & licet ordo rite collatus censeatur, *cap. 1. h. t.* suspensio tamen infligitur.

V. Quidam huiusmodi ordinum dationem nullam esse existimarunt, quorum sententia exposa fuit, & characterem recte, riteque imprimi, praeualuit iudicio theologorum, nisi hoc solo casu, cum ordo non baptiza-

ptizato confertur, quia sine baptismo, qui ianua est omnium sacramentorum, nullum aliud sacramentum vires capere potest, vt annotauit gloss. *dicto can. solicitudo.*

TITVLVS XXX.

DE EO, QVI FVRTIVE ORDINEM SVSCEPIT.

I. Idem ius statuitur in ordinato clam & furtim, quod per saltum; vtroque enim casu ministerium prohibetur. Furtiua dicitur ordinatio, quoties fit contra canonum statuta, *can. presbyteri. 24. d.* cum non vita, genus, patria, aetas, locus, doctrina, fides expenduntur, *can. quando. ead.* His enim contemptis res furtim, id est clam fieri dicitur; quemadmodum arbores furtim caedi dicuntur, hoc est, clam & occulte ignorante domino in *l. 8. arbor. furt. caesar.* & eodem sensu furtiuum dicitur beneficium, & episcopus furtiue ordinatus, contra conscientiam nempe sui metropolitani, in *can. extra. 64. d.* Quemadmodum metropolitanus extra consensum omnium suffraganeorum *in can. 2. 66. d.*

II. Imo & episcopus olim constitui, & eligi ab omnibus debuit, aut saltem tribus, *can. episcopi. 94. d.* Consecrari vero a metropolitano non fuit necessum, sed a tribus episcopis, *can. episcopum. 64. d. can. 1. apostol. can. 13. synodi Carthagin.* & his quidem comprouincialibus, *can. comprouinciales. ead.* quae lex accurate & sancte olim seruata, passim hodie contemnitur, nisi quantum ad ordinationem presbyterorum, & reliquorum clericorum, qui si extra conscientiam sui episcopi ab alio sine commendatitiis ordinentur, ab ordinibus vt furtim & clam susceptis deponendi sunt, *can. nullum. 9. q. 2. can. 1. 2. & 3. 71. d.* licet tamen character impressus maneat, & ordo seruetur, *can. sicut. 68. d.* quod pie & vtiliter constitutum fuerat, ne episcopi, presbyteri, & alii nisi rite probati admitterentur, sed euanescentibus electionibus imminutae etiam fuerunt sanctae illae constitutiones, & hae veluti telae aranearum disruptae fuerunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0181
DFG

III. Furtim etiam ſuſcipi dicuntur ordines, cum ignorante epiſcopo plures ſimul conferuntur, non ſeruatis temporum interſtitiis, quae ſupra, titulo de temporum ordinationibus tetigimus. In quo defectu diſpenſare poteſt epiſcopus *cap. 2. 3.* niſi promotus miniſtrauerit: tunc enim diſpenſatio ſoli papae reſeruatur, nouo iure concilii Tridentini; quum antea vbique poſſet, vt reſpondet Vrbanus papa Hugoni Lugdunenſi archiepiſcopo, *can. Lugdunenſis. 9. q. 2.* allato exemplo D. Ioannis Chryſoſtomi, qui paſſus Epiphanium ordinare diaconos, ſed cum Epiphanius Dioſcorum e ciuitate expellere nollet, exprobrauit illi audaciam ſuam χειροτονεῖν ἐν ταῖς ὑπ' ἐμὲ ἐκκλησίαις ποιησάμενος, & ita coegit illum metu perculſum decedere, vt SOCRATES refert *lib. 6. cap. 13.* Primates & metropolitani hanc ſupra omnes epiſcopos ſuae prouinciae facultatem aliquando ſibi arrogare voluerunt, vt de Carthaginenſi epiſcopo refertur, *in can. 60. concilii Carthagin.* quod tamen ſoli ſummo pontifici deberi ſatis ſuperque demonſtratum eſt.

TITVLVS XXXI.

DE EXCESSIBVS PRAELATORVM, ET SVBDITORVM.

I. A ſingularibus titulis deſcendit Gregorius ad generalem, vagum, & diuerſa continentem, qui eſt de exceſſibus praelatorum & ſubditorum, id eſt de delictis eorum, qui praeter iuris ordinem facultate & authoritate ſibi data vtuntur, & hic exceſſus proprie abuſus vocatur; licet & pro quouis alio reatu ſumatur in *can. legum. 2. q. 1. cap. irrefragabili. ſup. de offic. ordinar. cap. clerici. & cap. quam ſit. h. t.*

II. Huius enim tituli materies tota fere ſpectat ad eos, qui metas iurisdictionis vel officii transgrediuntur, in perniciem & grauamen ſubditorum, vel econtra, vt concipitur titulus *in 1. compilat.* Per praelatos hic intelligimus non tantum archiepiſcopos, & epiſcopos, archidiaconos, archipresbyteros, decanos, vt dicitur in *cap. 7. h. t. in 2. collect.* verum etiam abbates, & alios eccleſiarum praelatos *cap. 2. ſup. de iudic.*

qui-

quibus adnumerandi sunt omnes dignitatem & iurisdictionem, & ius visitationis vel procurationis habentes, vtpote plebani, priores, guardiani, & reliqui ordinum ministri, ἡγουμένοι, *cap. nullus. de elect. in 6. Clement. dudum. de sepultur.*

III. Prohibentur ergo hi sua potestate abuti & vltro subditos grauare, imprimis episcopi, quos Alexander III. iubet esse memores suae conditionis, μὴ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύπους γινομένους τὲ ποιμνίου, id est, *non vt dominatum obtinentes in clero, sed gregis exemplaria existentes*, vt ita se erga subditos gerant, ac filios, & fratres, *cap. 1. h. t.* episcopi patres sunt, *can. quorum. 68. dist.* Clerici eorum filii iure ecclesiastico, vt loquitur SIDONIVS APOLLIN. *epistola 17. lib. 7. Quem iure saeculari patronum, iure ecclesiastico filium excolo, vt cliens, vt pater diligo, & in epist. 5. lib. 6. professione filii.* Episcopi inter se fratres eodem iure & professione censentur apud eundem, *epist. 15. lib. 7.* imo & presbyteros, fratres solent appellare praesertim ecclesiarum cathedralium canonicos, vt pluribus locis IVONIS epistolae demonstrant, quod ad rectitudinis ordinem pertinet, vt dicitur *in can. vlt. 94. d.* imo & abbates, fratres vocitasse episcopos compertum est: ita ODILO abbas, Fulbertum Carnotensem episcopum vocat *epistola 31. & 108.* Haec innumeris locis probari possent, si res dubitationem reciperet. Haec sufficere debent episcopis, ne fratres suos, aut filios exactionibus & oneribus grauibus diuexent, & temere in eos sententiam excommunicationis ferant, quae nullius foret momenti *cap. 5. 7. 16. & 17. h. t.*

IV. Idem statuitur aduersus alios praelatos, archidiaconos nominatim, qui supra authoritatem sibi concessam aliquid moliuntur; veluti si ecclesias in suis archidiaconatibus existentes sibi arrogare velint, quas aliis conferre tenentur, *cap. ad aures. h. t.* vel inconsulto episcopo iure suo ecclesiis vacantibus per totam dioecesim prouidere, curam animarum committere, vel alia iura exercere, vt rescribit Alexander III. *tit. de excessib. praelator. parte 24.* post concilium Lateran. Quemadmodum abbates, qui finibus suis non contenti, manus ad ea, quae episcopalis dignitatis sunt, extendunt, *cap. accedentibus. h. t.* Vel etiam si cum habent ius conferendi, indigno conferant: ius enim commune obseruari debet, *cap. inter. h. t.* nec se tueri possunt, quod metropolitanus confirmauerit, quia sine assensu episcopi in eius dioecesi aliquid fieri non de-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0183
DFG

bet, *cap. ſicut. h. t.* ſola conſuetudo, vel ſpecialis conceſſio id ius tribuere poteſt *d. cap. accedentibus. cap. auditis. ſup. de praeſcript.*

V. Haec & ſimilia vocantur exceſſus ſubditorum erga praelatos, quae eſt altera pars noſtri tituli. Inter exceſſus etiam numerantur vſura & alea, quibus maxime obnoxios clericos huius regni dicit Innocentius III. *in cap. inter. h. t.*

TITVLVS XXXII.

DE

OPERIS NOVI NVNCIATIONE.

I. Inter varios exceſſus numeratur nouum opus, καινοτομία, id eſt, rerum nouarum molitio, quae περὶ τὸ παράγγελμα, *edictum nunciationis* ſolet impediri, vt eſt apud HARMENOPVLVM *lib. 2. tit. 4.* Sumptus eſt hic titulus ex iure ciuili & principum conſtitutionibus, quibus pontifices ſua ſtatuta fulcire vult, LVCIVS III. *cap. 1. h. t.*

II. Nunciatio noui operis prohibitionem continet, ne quod nouum opus fiat, vel deſtruatur. Et eſt prohibitorium interdictum, *l. 1. §. 1. ff. h. t.* vnde rite operis noui nunciatio interdictum appellari poteſt, quia interdicere eſt denunciare, & prohibere, *§. 1. inſtit. de interd.* Quod quidem datur in ſubſidium iis, qui nullo pacto ius ſuum defendere poſſunt; nec iure communi vllam habent paratam actionem in rem, qua vicinum in ſuo ſolo aedificia parantem prohibere poſſint, neque in perſonam, cum nulla obligatio, vel quaſi contracta ſit, *l. actionum. ff. de obligat. & action.* Praetoris beneficium eſt, quo ſine noua aditione, ſine permiſſu praetoris ius prohibendi praebet edictum *dicta l. 1. §. nunciatio.*

III. Quod hoc iure tamen non eſt admittendum, ſed ſpecialis iuſſus, licentia a iudice peti debet per libellum conuentionis, quem ὑπόμνησιν Graeci vocant, *nouella* IVSTINIANI *123. cap. 27.* quo iure hodie in Gallia vtimur. At vero cum quis nouum opus in alieno ſolo molitur, tunc ex edicto non datur noui operis nunciatio, cuius effectus eſt, vt prohibendo poſſeſſorem faciat eum, cui nunciatur, *l. de pupillo. §. meminiſſe.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0184
DFG

nisse. ff. eod. l. 7. §. Iulianus. Quod vi aut clam. Imo petitur a praetore ciuilis actio, per quam prohibetur aedificans, vel fit iactus lapilli, *cap. ex parte. 30. inf. de verb. signif. dicto §. meminisse.* Ergo per nunciationis libellum impediri debet nouum opus, & quicquid aedificatum fuerit, δικαίως, ἔιτε ἀδίκως *iure, vel iniuria*, dirui, & auferri debet, *cap. 1. h. t.* Nec suffragatur aedificanti cautio de opere destruendo in exitu litis, quam recusare denuncians potest, cui ad probandum ius suum tres menses conceduntur, *cap. 3. cap. 4. h. t.* iuxta id quod sancitum est in *l. 3. C. de aedific. priuat.* Post quos tres menses recte cautio adhiberi potest, *cap. 2. h. t.*

IV. Competit autem noui operis nunciatio pluribus de causis, sed praecipue cum ecclesia, vel capella in praeiudicium alterius ecclesiae constructur, *dicto cap. 1. 2. & 3.* vel cum aedificia, vel alia opera fiunt, quae oneri, dedecori, aut incommodo ecclesiae instaurantur, vt sunt furni calcis, fornaces, coquinae, lupanaria, lauacra, balnea & alia, quae ab omnibus aedificiis tam priuatis, quam publicis, propter conflagrationes ad minus sex cubitis distare debent, vt notat VITRVVIVS *lib. 6. cap. 9.* infectores quoque, fullones, coriarii γάρεψαι, siue salsamentarii, caupones, stabularii, & alii eiusdem generis artifices procul ab ecclesiis constitui debent; nam cum ab aedificiis tam publicis quam priuatis talium hominum habitacula & opificia secerni debeant, quia & aër fit crassior, & ruinas minantur immunditiae, vt ait iurisconsultus in *l. 1. ff. de cloacis*, & docet HARMENOPVLVS *lib. 2. tit. 4.* multo magis ab ecclesiis, & sanctis religiosisque locis, ne quid damni vel incommodi eis irrogetur, *l. 2. ne quid in loco sacro.* Quod ius etiam xenodochiis, & locis aliis piis competit, *l. omnia. C. de episc. & cler.* quibus ob id interdictum prohibitorium competit, ne facies, natura, & dignitas loci mutentur. *l. 1. §. opus. ff. hoc tit.*

V. Sed quare lapidis iactu nunciatio fiebat olim, non abs re quaeri debuit. CVIACIVS *in l. 4. §. & si forte. si seruitus vindic.* ait lapilli iactum signum esse litis & prohibitionis, quemadmodum olim hastae iactatio erat signum belli, apud LIVIVM, & 9. *Aeneid.*

\- - - *Iaculum intorquens immittit in hostes*

Principium pugnae. Stipulae fractio, inimicitias & foedus ruptum designabat, iactus chirothecae erat duelli indictio apud MATTHAEVM

PARI-

PARIDEM: verior forsitan ratio adduci posset, desumpta ex eo, quod sicut apprehendendae possessionis nota est cespitis vel glebae assumptio, vt GELLIVS notat *lib. 2. cap. 17. l. 2. ff. de adquir. possess.* ita & interuertendae, turbandae, vel amouendae, cespitis iactura, cum scilicet iactatur lapis, vel gleba contra aduersarium occupantem, vel noua parantem; ita vt nouum opus, vel aedificium turbatum & prohibitum censeatur iactu lapidis, id est ruina & destructione. Verbum enim iacere, deiicere, proiicere, sumitur pro destruere, prohibere & demoliri apud grammaticos: ideoque per ruinam & iactum vnius lapilli prohibitio fieri existimatur, & qui vnicum lapidem ex nouo opere dimouerit, censetur nunciasse nouum opus, & iactus sit, vt liqueat, qua parte nouum opus nunciatur, & prohibetur, a quo interim sit abstinendum. *l. de pupillo. §. qui nunciat. ff. eod.*

VI. Et hic ritus proiiciendi lapidis in ecclesia etiam fuit obseruatus, nam & reperio ecclesiam B. Mariae Dealbatae in hac nostra ciuitate Tolosana nouum opus nunciasse capitulo ecclesiae metropolitanae sancti Stephani, per iactum lapidis, eo quod capitulum aedificasset in coemeterio iuxta sanctum Michaëlem in suburbio castri Narbonensis contra ius, quod dicta ecclesia B. Mariae praetendebat in eo coemeterio, vt constat ex veteri instrumento, quod est in archiuis dicti capituli, quae tamen quaestio in gratiam ipsius ecclesiae sancti Stephani decisa fuit.

TITVLVS XXXIII.

DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBVS PRIVILEGIATORVM.

I. De excessibus praelatorum in subditos, & subditorum in praelatos dictum, nunc de excessibus eorum, qui priuilegiis suis abutuntur.

II. Nihil aliud est priuilegium, quam ius priuum, siue priuatum, vt dixit FESTVS, quod fauore speciali quorundam conditum est, *can. priuilegia. dist. 3.* TVLLIVS *3. de legibus & oratione pro Sextio: Maiores*

in

in priuatos ferri noluerunt, id enim est priuilegium. Lex enim XII. tabularum aiebat, *priuilegia ne irroganto*, quia scilicet iura non in singulas personas, sed κοινῶς, & generaliter constitui debent, *l. 8. ff. de legib.* leges vero sunt rogationes, quas populus in omnes homines, rese scituit, aut iussit, priuilegia ita sunt priuata, vt communia omnibus esse non possint, *can. hinc est. 16. q. 1.* & quaecumque non sunt communia, sunt priuilegia, & praerogatiuae, seu praerogationes, id est rogationes praeter ordinem latae, vt docet ASCONIVS *2. in Verrem*, πρωτοπραξίας, & προνομίας vocant veteres glossae: hoc iure dispensationes sunt exemptiones, quae citra iuris ordinem, & communes ecclesiae regulas conceduntur, *cap. in causis. sup. de sent. & re iudic. Aliud est ordo legitimus, aliud, quod vsurpatio ad praesens tempus fieri impellit*, inquit canon *quod pro. 1. q. 7.*

III. Priuilegia autem diuersi generis sunt, vt annotauit CVIACIVS *obseruat. 8. lib. 15.* alia mere personalia, quae personam non transgrediuntur, quae non praedicantur de pluribus, & praesens tempus tantum respiciunt, sunt gratiae personales, vt *in cap. constitutus. de conces. praeb.* Hugoni priuilegium ab episcopo conceditur conferendi primam praebendam vacaturam, quia scilicet nec locis, sed personis tribuuntur, vt de Maximo episcopo refertur, cui vices suas papa commisit super cunctas Siciliae ecclesias, *cap. mandata. sup. de praesumpt.*

IV. Alia sunt personalia indefinite, quae certam & definitam personam non habent, nec tantum praesens, sed futurum respiciunt tempus, & ad omnes eiusdem conditionis personas extenduntur, & licet contra communes iuris regulas pugnent, tamen iuris singularis partem faciunt, vt sunt priuilegia clericorum, ne conueniantur coram iudice saeculari, *cap. qualiter. de iudic.* ne eis publica poenitentia imponatur, *cap. quaesitum. inf. de poenitent.* priuilegia monachorum, ne visitentur ab episcopis. *cap. vlt. sup. de statu monach.*

V. Alia sunt priuilegia realia, seu localia, vt quae vni ciuitati vel prouinciae conceduntur, *can. quaedam. §. quod scripsi. 35. q. 3.* vel vni ecclesiae, aut monasterio *can. hinc est. 16. q. 1.*

VI. Sunt praeterea priuilegia personalia, quae ad vniuersos ciues pertinent, & licet generalia non sint, tamen partem iuris certam & immutabilem efficiunt, quam ius singulare vocant iurisconsulti; veluti

priuilegia mulierum pro dote, pupillorum, nauticae pecuniae, libertatis, de quibus omnibus suis titulis sigillatim dictum est.

VII. Hoc loco agitur tantum de priuilegiis variis, inter quae maxime agitur de exemptionibus monachorum; quum enim iure communi omnes ecclesiae, monasteria, domus religiosae, & personae iurisdictioni episcopali subiiciantur, *can. omnes. 16. q. 1. can. abbates. 18. q. 2.* Episcopus caput est totius dioecesis, quem qui non agnoscunt, acephali sunt, *can. nulla. 93. d.* nec ecclesiae membra dici possunt, qui caput non agnoscunt episcopum, maxime quum episcopus ipsa ecclesia censeatur, adhibito clero, seu capitulo, cum quo ecclesiam facit, *cap. cum clerici. inf. de verb. signif.* & alibi tetigimus. Capituli consilium iure episcopus in his, quae sunt iurisdictionis episcopalis, sequi debet *c. 1. sup. de excess. praelat.*

VIII. Hanc potestatem ordinariam propter abusum quorundam episcoporum, primus D. Gregorius coërcuit, & monachorum quieti consuluit, collecta ob id synodo, vt constat ex eius *epistola 18. lib. 7. in can. quam sit. 18. q. 2.* qua prohibet, ne amplius de rebus, reditibus, negotiis, & electionibus abbatum sese intromittant, nec lege dioecesana vtantur ad exigendum synodaticum, vel cathedraticum, *can. cum pro. 16. q. 1.* procurationes, & conuiuia, *can. illud. 10. q. 3.* Non tamen tunc D. Gregorius visitationis & correctionis iura abstulit, diu enim haec iurisdictio penes episcopos remansit, *cap. cum venerabilis. sup. de censib.* imo & adhuc generaliter, iure scilicet communi, haec potestas manet illibata, nomine quidem tenus, nam per exemptiones & priuilegia separatim monasticis ordinibus concessa, tota euanuit, ita vt praeter ordinum collationem & confessorum approbationem, & praedicationis licentiam ex concilio Tridentino petendam, nihil amplius reseruatum episcopis fuerit, vnde fit, vt monachi ordinationes & statuta synodalia & episcopalia impune contemnant, & nullus hodie sit ordo regularis, qui non his se priuilegiis munitum ostendat, de quo conqueritur D. BERNARDVS *epistola 42.* & post eum PETRVS BLESENSIS *epistola 68.* lites enim hac de re, & contentiones non sine magno scandalo excitari suo seculo solitas docet Alexander III. *in cap. 3. hoc. tit.* qui si nostro viueret, multo maiores quotidie & periculosiores stuperet.

IX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0188
DFG

IX. Praeter hoc generale priuilegium, quod indulsit Gregorius, succeſſiue exemptionem omnimodam priuatim quibusdam conceſſit, vt monaſterio Caſſinenſi, cuius priuilegium exſtat in chronicis Caſſinenſibus; cuius exemplo ſequentes ſummi pontifices hanc gratiam fere omnibus tribuerunt. Imo & reges aliquando id effeciſſe certum eſt. Pipinus rex Francorum eccleſiam Stradenſem ab omnium poteſtatum inquietudine exemit, vt nullus cuiuslibet potentiae iudex aut exactor ius haberet, vt eſt in *cap. 7. lib. 2. vitae S. Genulphi.* Et Clodoueus conuocato epiſcoporum Galliae conuentu, coenobium D. Dionyſii ab omni ſubiectione Landerici epiſcopi Pariſienſis, & omni alio mortalium dominatu eximi curauit, teſte AYMOINO *lib. 4. cap. 41.* ipſum Clodoueum exemiſſe dicit, quia ſcilicet eximi procurauit, vt conſtat ex integro diplomate nuper edito in notis ad MARCVLFVM, in quo ſic dictus Landericus loquitur: *Clodouicus Francorum rex humilitatis noſtrae extremitatem popoſcit, vt & nos, & canonicorum noſtrorum communis fraternitas ſecuritatis, & incommutabilitatis priuilegium ederemus.* Quod deinde a Zacharia apoſtolica authoritate firmatum fuit, rogatu Pipini regis, alioquin priuilegia nullius eſſent momenti, cum ſolius ſit ſummi pontificis ea indulgere; *can. frater. 16. q. 1. cap. ſane. h. t.* immutare, & reformare pro re, pro perſonis, pro tempore, pro loco, vt ait GREGORIVS VII. *ep. 2. lib. 6. Regiſtri,* quum enim priuilegia derogent iuri communi, eius ſolius eſt deſtruere, cuius eſt condere, *cap. cum contingat. ſup. de for. compet.*

X. Epiſcopus etiam priuilegia aliquando indulgere poteſt, in iis nempe, quae priuatim iuris ſui ſunt, cum conſilio capituli, *cap. quanto. de iis, quae fiunt a praelat.* imo & laici, veluti in iis, quae ad ius regium & ciuile ſpectant, *can. generaliter. 16. q. 1.* Quae priuilegia vulgo praecepta regia, & dominica vocantur apud MARCVLFVM, & AYMOINVM *lib. 5. cap. 17.* & paſſim *in capitularibus.* Quod verbum etiam vſurpatum fuit a pontificibus; a S. Gregorio in d. diplomate, *can. pridem. 18. q. 2. can. contra morem. 100. diſt.*

XI. Ergo priuilegium dat contra ius commune ſolus ſummus pontifex; veluti decimarum, *cap. quia circa. cap. dudum. cap. vlt. h. t.* vt generalis interdicti tempore liceat celebrare, *cap. vt priuilegia. cap. quod.* nonnullis; ne poſſit quis excommunicari, *cap. quoniam,* & quam plura

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0189
DFG

alia; quae quum sint stricti iuris, non possunt latius extendi, *cap. cum capella. h. t.* ideo priuilegium concessum monasterio non trahitur ad alias capellas, licet monasterii sint membra, nisi nominatim id sit expressum, *cap. ex ore. eod.* quemadmodum a personis monachorum ad familiares & famulos praerogatiua non transit, *cap. quod nonnullis*, & *cap. quidam. h. tit.* Standum siquidem est verbis priuilegii, quod allegans semper exhibere tenetur, alias eo se tueri nullo pacto potest, *d. can. contra morem. 100. dist. cap. cum olim. h. t.* qui si priuilegii sui facultate abutatur, illud amittit, *cap. tuarum*, & *cap. ex parte. h. t. cap. in audientia. inf. de sent. excommunicat.* Similiter si ei renunciauerit, *cap. suborta. sup. de sent.* & *re iudic. can. quam periculosum. 7. q. 1.* non vtendo per longum tempus, *cap. si de terra.* & *cap. accedentibus. h. tit.* denique aliis modis priuilegium amittitur, quos facile est vnicuique deprehendere.

TITVLVS XXXIV.

DE

PVRGATIONE CANONICA.

I. De variis criminum generibus, & quae poena infligenda sit; dictum superioribus titulis, sed quia non semper accusati conuinci possunt, vel innocentes declarari, nisi remedium iuris adhibeatur, quale est purgatio canonica; ideo de ea agitur *h. t.*

II. Est igitur purgatio canonica sacramentum, seu iurandi formula a patribus instituta, quae tantum in defectum probationis admittitur, *can. presbyter. 2. q. 5. cap. moniales*, & *cap. quoties. h. t.* nec enim innotoriis & manifestis admittitur, *can. curae sit. 11. q. 3. cap. cum dilectis. h. t.* & est certum tempus definitum quadraginta nempe dierum, intra quos denunciatio fieri debet, post quos canonum purgatio adhibetur, *cap. vlt. h. t. in 1. compilat.*

III. Hic modus luendi vel diluendi crimina antiquissimus est in ecclesia, vt in defectum probationis, reus ad purgationem per episcopum dioecesanum cogeretur, *cap. 4. de offic. ordin. in 1. compilat.* in sacerdotibus quidem improbatus, maxime si sponte fieret, vt ostendit Cornelius

nelius papa, qui seculo apostolorum floruit *in ep. 2. relata in can. sacramentum. 2. q. 5.* sed & in monachis: ideo S. Hugonem Cluniacensem monasticae religionis obtentu non iurasse, sed fidem suam coram oculis Dei interposuisse scribit LAMBERTVS *in sua historia.* BARONIVS *anno 1077. n. 12.* iure tamen communi tenentur iurare, *can. saepe. 2. q. 5.* imo & quoties necessitas id exigit, summi etiam pontifices hoc examen non recusarunt. Pelagius enim, qui fuit ante Gregorium, accusatus quod mortis Vigilii papae antecessoris sui conscius esset, tenens euangelia & crucem Domini super caput suum in ambonem ascendens satisfecit cuncto populo, & plebi, quia nullum malum peregisset contra Vigilium, vt scribit ANASTASIVS.

IV. Ex quibus aperte constat falli eos, qui huius moris S. Gregorium faciunt authorem. Fuit quidem varius iurandi modus iuxta sacrorum canonum statuta, nempe super corpus bb. apostolorum, vt est apud eundem GREGORIVM *ep. 23. lib. 2. can. habet. 2. q. 5. & in ep. 18. lib. 6.* apud BVRCHARDVM *lib. 1. cap. 96.* super reliquias martyrum *cap. 13. in legibus Frisionum.*

V. Hodie frequenter purgatio fit super brachium S. Antonii, & ante corpus sancti Apollinaris *in can. quae de causa. 2. q. 5.* Per crucem etiam Domini, vt ex ANASTASII *loco citato* constat, solebant enim accusati per quadraginta duas noctes ad crucem stare, ita vt, qui caderet, conuictus haberetur, vt indicant veteres formulae post MARCVLFVM editae, & *cap. 125. lib. 5. Capitul.* sed hic modus canonicus non est, licet enim iuramentum super crucem Domini, rectum & canonicum sit, tamen haec obseruatio superstitiosa damnatur, *cap. 108. lib. 6. Capitular.* quemadmodum & illa, quae de talis crucis signo obsignatis, & lana obuolutis super altare ponendis refertur in *legibus Frisionum cap. 4.*

VI. Fiebat etiam purgatio per corpus & sanguinem Christi tam in furtis, quam in homicidiis, & aliis criminibus deprehendendis, *can. saepe, & can. vlt. 2. q. 5.* ab hoc onere tamen exempti sunt episcopi, *can. sacramentum, & seq. 2. q. 5.* Nec obest, quod Gregorius VII. insimulatus simoniae ab Henrico III. imperatore publice missam celebrauit, & post suam ita innocentiam probauit: *Ecce corpus Dominicum, quod sumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiae meae*, apud eundem LAMBERTVM, id enim sponte fecit. Quo ritu quidam abutentes,

coniecturas & diuinationes fingebant ex comestione & sumptione corporis Christi: refert siquidem BALSAMO *ad can. 61. synodi VI. in Trullo*, sacerdotem quemdam accusatum, quod magna quinta feria sanctum panem daret, vt conuinceretur reus eo iudicio, quod non facile ebibisset pretiosum sanguinem Iesu Christi.

VII. Communior fuit per euangelia, & sanctum canonem missae, *cap. quoties. h. t. cap. laudabilem. de frigid.* Per sanctam consecrationem interrogari presbyterum iussit concilium Triburiense, *can. si quis presbyter. 2. q. 5.* quod est per canonem missae. In his omnibus modis purgationum adhibebatur tertia, quinta, septima manus, atque etiam duodecima, in *legibus Frisionum*, *dicto tit.* ac quarta decima, cum grauitas causae id exigebat, *cap. inter. h. t.* vel etiam pro qualitate personarum, vt notant versus allegati a glossa. Aliquando vnica manus sufficiebat, quod dicitur sua manu iurare *lib. 5. feudorum in constitut. Friderici de pace tenenda;* eius nempe manu, qui infamia laborabat, sed quia facile flagitio periurium addebatur, aliquem ad solius suae manus purgationem non admittendum scribit IVO *ep. 206.* sed plurimorum, qui dicuntur *compurgatores sacramentales; coniuratores in legibus Alamannorum, & Ripnariorum*, & eiusdem conditionis & ordinis esse debent, si sit clericus, de quo quaeratur, qui manu tactis euangeliis, vel super capsas martyrum vel super altare asseuerent se credere eum, qui purgatur, veritatem dicere, & innocentem esse ab omni suspicione & diffamia, *cap. de testib. & cap. fin. h. t. cap. quoties. sup. de testib. tit. 6. in legibus Alamannorum.*

VIII. Est autem hic vsus loquendi manu se purgare, pro iurare, quia manus est fidei symbolum apud XENOPHONTEM in *Cyro*, & TACITVM *2. annal. iurauere amici dexteram morientis contingentes.* Vnde mentis & consilii nostri esse ministra dicitur apud LIBANIVM τὴν γνώμην δὲ ἡ χεὶρ ὑπηρέτησεν, id est, *consilium vero cui manus subministrabat.* Cum iuramenti fides exigitur, solet manus adhibitae cautio proponi. ANASTAS. *in Vigilio.* Augustus & Augusta cautionem manus suae ei ostendentes de Anthimo reuocando instituerunt. Quae ratio fuit, cur periuris manus amputari soleat, *cap. 1. lib. 3. Capitul.* id licet passim obseruatum, ecclesia in purgatione presbyterorum non admittit, propter reuerentiam corporis Christi, quod per manum conficitur, vt ait *can.*

si quis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0192
DFG

si quis presbyter. 2. q. 5. Nec vero semper, & in omnibus causis purgatio duorum, vel plurium coniuratorum admittebatur olim, sed in criminalibus tantum, quod probat IVRETVS ex tribus constitutionibus Sylvestri, Felicis, & Augustini relatis in veteribus quibusdam compilationibus. In ciuilibus vero semper vnica manus satisfecit. Nec quidam potest sibi blandiri, qui ex *dicto cap. 33. de testib. & cap. vlt. de frigid.* contrarium probare nititur, qui loci merito eius sententiam falsi conuincunt, quum loquantur de vitio, cuius purgatio desideratur.

TITVLVS XXXV.

DE

PVRGATIONE VVLGARI.

I. Purgationi canonicae opponitur vulgaris, sic dicta, quod vulgi superstitione inuenta fuerit, quae fit per coniecturas & diuinationes, *can. monomachiam. 2. q. 5.* quod ideo damnauit ecclesia, quia tentatur Deus, quamuis olim in veteri testamento, & nouo variae probationes essent receptae per aquam feruentem, per ferrum candens, per ignem, quo scelus expendi, & dilui credebant, *scelus exurritur igni*, inquit, VIRGILIVS *6. Aneid.* FESTVS vocat hoc genus purgationis, *sufficionem:* & haec notissima sunt ex innumeris fere locis capitularium, IVONIS in epistolis, AYMOINI, & aliorum.

II. Nam & concilio Moguntino expurgari seruus super vomeres duodecim ardentes iubetur, *can. qui presbyterum. 17. q. 4.* & pudicitia foeminarum vulgo explorabatur per ignem: sic enim Cunegundis castitatem suam comprobauit, ignitos vomeres nudis pedibus premens coram Henrico imperatore marito suo, apud KRANTZIVM *Metropol. 4. cap. 5.* apud Iudaeos adulterium detegi, & conuinci per examen aquae frigidae, & πότον ἐλέγχου, id est *poculum redargutionis* existimabant, sacerdos enim mulieri suspectae haec verba pronunciabat, ἔκπιε πότον ὁ τὰ κεκρυμμένα σοῦ καὶ τὰ δηλούμενά σοι ἀπαμφιέσει καὶ ἀπογυμνώσει, id est, *bibe poculum redargutionis, quod incerta, occultaque nudabit, ac deteget,* scribit PHILO *Iudaeus libr. de specialib. legib.*

IV.

III. Nec in hoc tantum negotio, sed in omnibus hic ritus adhibebatur, ita vt reus ad aeneum mallari, id est, ad iudicium diceretur vocari, *tit. 55. legum Salicar.* De Caldario, quod Graeci χαλκεῖον, saepius fit mentio apud authores, quod Saxones vocabant, *ordaleum.* De his in lucem euulgauit SIRMONDVS tria dilpomata ad *epistolas* GOFFRIDI merito obseruanda: formam celebrandae huius purgationis videmus in legibus Aethelstani regis Angliae, *cap. 8.* & hoc iudicium non semper admittebatur, puta diebus festiuis, & ieiuniis, *sed quibus pax & concordia inter Christianos habeantur, & omnes dissertatio componatur*, ait *can. 18. concil. Aenhamensis* in Anglia, nec sine ministro siue officiali episcopi cum clericis, & similiter cum iustitia regis, cum legalibus hominibus, vt est in *l. 10. legum ecclesiasticarum S. Eduardi regis.*

IV. Imo quod magis notatu dignum est, fidem Christianam his firmatam & probatam prodigiis fuisse constat. Refert enim KRANTZIVS *3. Metrop. cap. 34. & 42.* Poponem episcopum Lesuuicensem, missum ad Henricum regem Daniae, hostem Christianorum, de fide concionem habuisse, & postea candens ferrum, quod chirothecae formam praeferebat induisse, summo cum omnium adstantium stupore, qui mox Christo crediderunt, sed haec saepius necessaria fuerunt, vt signis apertis pertinacia infidelium conuinceretur.

V. Quia tamen vulgus in his experimentis totam fidem collocabat, & hisce rebus plus tribuebat, quam summo rerum authori, Nicolaus papa, & post eum multi alii ea improbarunt, & exerceri vetuerunt, vt scribit IVO CARNOTENSIS *epist. 74. can. consuluisti. 2. q. 5.* & post eos Innocentius III. *cap. 18. concil. Lateran.* Quae penitus fuisse interdicta declarat Honorius in *cap. vlt. h. t.* Quibus adiungi sermo de duellis non debet, quae pariter prohibita fuisse notum est, & iam satis de his, *titulo de clericis pugnantibus in duello*, egimus.

TITV-

TITVLVS XXXVI.

DE

INIVRIIS, ET DAMMO DATO.

I. Hic titulus quum sit de criminibus, debuit anteponi superioribus duobus, in quo agitur de iniuriis & damnis datis, & hunc ampliorem Raimundus fecit, quam prima compilatio, quae concipitur tantum de damno dato, & quidem optime: quia iniuria non consistit tantum in verbis, contumeliis, libellis famosis, & maledictis, verum etiam omne, quod non iure gestum est, complectitur, ex sententia Labeonis, qui iniuriam fieri docet re, aut verbis, re quidem, quoties manus inferuntur *l. 1. ff. eod.* de qua h. t.

II. Quae duplex est, aut enim personae, aut rebus infertur, personae, vt *in cap. olim. h. t.* in quo poena statuitur aduersus iudicem secularem, qui καταγελάσας τῶν φρικτῶν τῆς ἐκκλησίας θεσμῶν τε, καὶ νόμων, id est, *irridens ecclesiae ritus & leges*, vt est in *can. 3. synodi Constantinop.* episcopum banniuerat, proscripserat, id est, mulcta pecuniaria corripuerat. *Bannum* enim mulcta est, proscriptio, confiscatio, apud HINCMARVM *in epistola ad Carolum regem*, vnde *bannus dominicus*, *bannus regius*, & *bannum adimplere*, *componere*, & *solvere* in legibus antiquis.

III. Re etiam contrahitur iniuria, cum vel loci dignitas & praerogatiua non seruatur, vt si quis episcopi domum vel presbyteri cum armis fuerit ingressus; *Qui curtem armatus ingreditur*, inquiunt *leges Alamannorum tit. 10. & 11.* Iniuria grauis aestimatur cum fori ecclesiastici praescriptio contemnitur, *can. non placuit. 16. q. 7.* hoc sacrilegii crimen publice puniendum est *cap. 113. Capitul.*

IV. Et quemadmodum curialibus iniuria irrogata non ipsos dumtaxat tangit, *sed ad regiae dignitatis offensam spectat*, vt loquitur FRIDERICVS, *lib. 3. tit. 33. cap. 1. constitut. Sicul.* ita & offensa clericorum ad Christum pertinet, vt est in *cap. 98. lib 6. Capitular.* ideoque poenam anathematis statuit synodus Constantinopol. *can. 3. can. accusatio. 2. q. 7.*

V. Legibus antiquis qualiscumque iniuria illata episcopis, presbyteris, & aliis, wirgildo componebatur, siue vulnera inflicta fuissent, siue verbera; quod redolebat ius antiquum XII. tabularum, quo certo pretio totum crimen exsoluebatur, donec poena talionis succesſit, ac deinde extraordinaria in iudicis arbitrio posita, vel aestimatione, *l. qui iniuriarum & l. vlt. ff. eod.* PAVLVS *libr. sentent. eod. tit. §. moribus*, quae aestimatio pro diuersitate personarum fieri debet, *l. 4. C. eod.* ideoque constitutionibus Siculis accurate fuit obseruatum: *circa passos*, inquit, *iniuriam habeatur discretio personarum, quae iniuriam inferunt, & quae patiuntur, si sint publicae vel priuatae, & in quo dignitatis speculo constitutae, quo loco, quibus praesentibus, an in iudicio vel extra &c.*

VI. Praeter rationem iniuriae fit quoque aestimatio damni, quod ex iniuria contigit, vt si quis pugno vel lapide percussus fuerit operae ei praestabantur, quas feciſſet, si morbo non fuiſſet impeditus, vel quas in posterum non possit habere, *l. qua actione. ff. ad leg. Aquil.* similiter & impensae in medicos, *cap. 1. h. t.* iuxta legem Diuinam *cap. 21. Exodi.*

VII. Et haec iniuria re fieri dicitur, simulque in personam, ad illius differentiam, quae re fit, sed non recte in personam, *cap. 2. 3. 4. & 6. h. t.* vt si quis domum vel aream vel messem alterius incendit, vel quid aliud fregerit, ruperit, *d. cap. 6.* quod & iure ciuili proditum est, *si modo sciens, prudensque id commiserit*, ait CAIVS in *l. qui aedes. ff. de incend. ruin. nauf.* Excusatur ignorantia, & damnum iniuria datum non censetur, nisi culpa, aut negligentia insit, *cap. vlt. h. t.* quam distinctionem dilucide affert PAVLVS *5. sentent. tit. 3.* vt qui consulto incendium fecerint, summo supplicio afficiantur, qui per incuriam dupli compendio; *suo tantum consilio*, inquiunt *leges Saxonum tit. 5.* inter consilium, siue propositum, & incuriam hac posita differentia: quod poena voluntatis sit talio, vt qui ignem sciens & volens immisit, igne comburatur; negligentiae vero aestimatio sit dupli, & haec negligentia intelligitur, quoties aliquid omissum est, ne damnum accideret, *d. cap. vlt.* Legibus Wisigothorum, *qui ignem apposuerit spinis, stipulis, & tribulis ad coquendum cibum, vel frigus arcendum, si ignis longius diffusus alienam messem, domum, vineam incenderit, non duplum, sed damnum praestare tenetur, lib. 8. tit. 2. cap. vlt.* secundum ius diuinum, quod sequitur Gregorius in hoc titulo, quae omnia satis vnicuique peruia sunt.

TI-

TITVLVS XXXVII.
DE
POENIS.

I. Titulus hic generalis est, totam huius libri materiam respicit; & quum de variis criminum generibus actum sit, restat agendum de poenis; vnicuique enim delicto sua poena debetur, siue ea legitima sit, siue extraordinaria, a qua non licuit iure ciuili appellare, *l. si qua poena. de verbor. signif.* quia appellaretur a lege ipsa; ab extraordinaria vero appellatur, quia est arbitraria. *cap. de priore. sup. de appellat.*

II. Hodie quidem iure ciuili omnes poenae sunt arbitrariae, *l. hodie. ff. eod.* pariter iure canonico. Licet enim diuersae sint poenae a canonibus institutae, quae & ideo canonicae dici debent, sicut quae a legibus proficiscuntur, legitimae, *cap. ad reprimendam. sup. de offic. iudic. ordin.* non ideo tamen minus sunt arbitrariae, cum arbitrio iudicis committatur decernere regradationem, depositionem, suspensionem, priuationem officii, vel beneficii, excommunicationem, & similia, quae canonibus continentur, de quibus fuse glossa in *Clement. cupiente. de poenis.*

III. Hae poenae canonibus definiuntur, vt certae sint, quas iudex ecclesiasticus, possit infligere, πρὸς τὸ διάφορον τοῦ ἁμαρτάνοντος, id est, *pro varietate delinquentis*, ait *cap. 48. constit. apostolic.* non ad instar medici imperiti, vno collyrio morbos omnes sanantis, *can. necesse. 29. dist.* Et inter canonicas poenas aliae sunt summi & stricti iuris, aliae consuetudinis, τὰ τῆς ἀκριβείας, καὶ τὰ τῆς συνηθείας, vt est apud D. BASILIVM, *can. 3. ad Amphilochium*, & *can. vlt. synodi VI. in Trullo*: illae irrogantur non reluctantibus, sed sponte suscipientibus: iis vero, qui durioris fuerint ceruicis, mitiores imponuntur: in quo miranda est benignitas ecclesiae, quae habita ratione personarum, affectionum, vitae, studiorum, & qualitatis peccati, morbo vnicuique conuenientem affert medicinam, vt docet BALSAMO *ad d. can. 3.* & filiis tantum suis, nempe fidelibus Christianis, poenas canonicas imponit, non aliis, qui vel e gremio matris recesserunt, vel obstinate perseuerarunt in peccato, ita

vt medicamenta ſpiritalia non proſint iis, contra quos poenis extraordinariis eſt agendum, & aliis, quam quae fidelibus, illis enim honor dari non debet, vt iisdem poenis plectantur, τούτοις γὰρ ἀκοινώνητα παντελῶς ἐισὶ τὰ τῶν πιςῶν, inquit BALSAMO *ad can. 76.* D. BASILII.

IV. Porro extraordinariae poenae duplices ſunt, aliae dicuntur citra iuris ordinem irrogari, exemplo iuris ciuilis, quae pendent ex arbitrio iudicantis, cum iudex notionem ſuam adhibet, habita ratione perſonarum, veluti nobilium, *cap. vlt. h. t.* rerum, *cap. tuae*, negotiorum & locorum, *cap. dilectus, & cap. conqueſti. infr. de ſent. excomm.* Quae, vt dixi, quamuis ſint extraordinariae, tamen ſunt canonicae, quia his modum poſuerunt canones, vtpote ne pro corrigendis exceſſibus, & puniendis criminibus mulcta pecuniaria imponatur, *cap. 2. h. t.* ſed vel ſuſpenſio, vel regradatio, vel qua alia poena ſtatuatur, prout criminis grauitas requirit, quum non ſemper idem crimen eodem pacto ſit vindicatum, vt de homicidio ſtatuitur in *cap. ſicut dignum. ſup. de homicid.*

V. Quoties vero ius certum eſt, & pro ratione culpae poena canonibus definita eſt, tunc illud iudicium non eſt arbitrarium, ſed poenae legis eſt ſtandum, quae mutari non debet, ſicut de iudice delegato ſtatuitur in *cap. de cauſis. ſup. de offic. iud. deleg.* Exempla innumera vidimus de maledico, de percuſſore, de non ordinato miniſtrante, per ſaltum promoto, & aliis, in *cap. ad aures. de iis, qui praelatum occiderunt*, vt beneficiis priuentur, & nunquam alia obtineant; & *cap. vlt.* vt ſubditi fidelitatem excommunicato domino non praeſtent. Aliae poenae extraordinariae omnino ſunt, quae non probantur iure canonico, ſed ab his abſtinere debet iudex eccleſiaſticus, qualis eſt poena ſanguinis, *cap. 5. & cap. ſententiam. ſupr. ne clerici, vel monachi*: verbera vel flagella atrociora, quibus elicitur ſanguis, vel aliquod vulnus infertur, *cap. praeterea. ſup. de cler. percuſſ. can. cum beatus. 45. diſt.* Denique omnes capitalium poenarum gradus, ad furcam, vel ignem damnatio, & quae ſunt morti proxima, vt metalli coërcitio, deportatio, ludus gladiatorius, *l. aut damnum. l. capitalium. ff. eod.* pro quibus indicendis eccleſia remittit reos ad brachium ſeculare *cap. quum non ab homine. ſup. de iudiciis.*

TI-

TITVLVS XXXVIII.
DE
POENITENTIIS, ET REMISSIONIBVS.

I. Titulus ſuperior eſt de variis poenarum generibus, hic ſpecialiter de poenitentiis, quae imponuntur duobus modis; aliquando in foro exteriori pro tribunali, cum cauſae cognitione, quod nos forum contentioſum vocamus, *cap. tuae. ſuper. tit. cap. 1. ſup. de eo qui furtiue ord. & toto tit. inf. de ſent. excom.* Aliquando in foro interiori, in examine conſcientiae, vt hoc tit. quo agitur de poenitentiis, quae iniunguntur a confeſſariis, quae ſtatim *cap. 1.* diſtinguuntur.

II. Aut enim crimen publicum, & notorium eſt, aut occultum; ſi publicum, publica poenitentia reparandum: hic enim fuit veteris eccleſiae ordo, vt eo exemplo deterrerentur, qui publice peccare non erubeſcerent, & teſtes ſibi ſuorum ſcelerum quaererent; *Vsque adeo*, inquit D. AVGVSTIN. *in enchirid. ad Laurentium, cap. 8. vt non ſolum occultanda, verum etiam praedicanda, ac diffamanda peccata videantur;* qui & refert ideo notoria & manifeſta crimina clamores dici *Genes. cap. 18. clamor Sodomorum & Gomorrhaeorum multiplicatus eſt*, τὴν κραυγὴν vocat PAVLVS *4. ad Ephes.*

III. Ad haec crimina expianda rei ab ingreſſu eccleſiae prohibebantur, & pro ratione delicti tempus poenitentiae, καίρον μετανοίας, id eſt *tempus expiationis*, vt loquitur ZONARAS *ad can. 2. ſynodi Laod.* eis praeſcribebatur, intra quod a conſortio fidelium, & participatione ſacramentorum arcebantur, nec erant digni precibus & ſtationibus, vt docet CHRYSOST. *in epiſt. ad Eph.* iuxta ſententiam D. PAVLI; *quicumque participant, non ſunt in poenitentia.* Extra fores igitur & ambitum eccleſiae ſiſtebantur, omnibus exoſi, vt nec primum inter poenitentes haberentur, ſed velut arreptitii ante locum ſubſtrationis ſtabant, & dicebantur χειμαζόμενοι, id eſt *hybernantes*, quod procellis & aëris iniuriae expoſiti, procul ab omni tecto orarent, vt explicat BALSAMO *ad can. 17. ſynodi Ancyr.* Deinde ad locum fletus & luctus admittebantur, qui προσκλαυσις dicebatur, vt conſtat ex *celebri epiſtola canonica* GREGO-

RII THAVMATVRGI, *can. vlt.* in qua quinque loca poenitentibus statuit, προσκλαυσιν, ἀκρόασιν, id est, *auditionem*, ὑποπτώσιν, id est, *subiectionem*, seu *substrationem*, σύστασιν, id est, *congregationem* fidelium consistentium, & μέτεξιν τῶν ἁγιασμάτων, id est, *participationem sacramentorum.* Alii tamen vulgo quatuor tantum loca statuunt, BALSAMO *ad can. 76.* D. BASILII εἰς τὰς δὲ τόπους: ita etiam THEODORETVS in *epist. 77.* quia scilicet illa quatuor tantum loca enumerantur, quae poenitentibus assignantur, antequam ad oblationis, τῆς προσφορᾶς, id est sacramentorum participationem veniant, quae facit quintum locum, vt clare patet ex *can. 56.* D. BASILII.

IV. In primis igitur pro foribus ecclesiae sistebantur, *d. can. vlt.* D. GREGORII, & *d. can. 56.* BASILII, coma abrasa, vel detonsa, *can. 11. synod. Agath. can. 12. synodi III. Toletan. cap. 52. lib. 6. Capitular.* GREGORIVS TVRONENSIS *lib. 6. cap. 28. caput totondit, atque poenitentiam accipiens spiritum exhalauit:* ita vt monachis similes essent, ait SIDONIVS *epist. 74. lib. 4.* cum veste lugubri, *can. 5. synodi Ancyr.* vel nudi virgis caederentur, vel in cinere & cilicio volutarentur, vel pectora tunderent, vel aliquo alio genere supplicii poenas luerent pro iudicio episcopi & cleri, & fideles in ingressu rogarent, vt precarentur pro ipsis, *can. poenitentes, & seq. 5. dist.* vt de Fabiola nobili foemina refert D. HIER. *epist. 30.* Exuebantur praeterea officiis, dignitatibus, honoribus, militia denique, & omnibus priuilegiis, imo & vestibus honoratioribus, sicut milites armis, *can. admonere. 33. q. 2.* nec vlterius ea repetere poterant, nisi iudicio episcoporum, *can. falsus. de poenitent. dist. 5.* SIGEBERTVS *in chronico: Ludouicus imp. a suis desertus, ac proditus, & in potestatem filiorum reductus, episcoporum iudicio arma deposuit, & ad agendam poenitentiam inclusus est.* Et IVO *epist. 135. coacto rigore ecclesiastico arma ei abstulimus.* Hanc supradictam poenarum varietatem late describit IOANNES CLIMACVS *lib. de inanis vitae fuga.*

V. A foribus autem ecclesiae, & loco fletus, ad ἀκρόασιν perueniebant poenitentes, quae fiebat in porticu vestibuli, vbi diuinae scripturae eis exponebantur, qui locus dicebatur νάρθηξ, *ferula;* non quod ibi poenitentes caederentur, aut praedictas poenas luerent, sed quod praeceptis & disciplinis, ac diuinis scripturis imbuerentur. Licet duo diuersa essent loca auditionis, & fletus, non tamen diuersum, sed vnum,

vnum, & idem tempus eis praescribebatur, *can. 12. synod. Nicaenae*, & *can. 4. synod. Ancyr.* vt annotaui in *obseruationibus meis.*

VI. A porticu ad locum interiorem, ὑποπτωσιν, producebantur, vbi erant catechumeni extra ambonem, erat enim separatio, qua a fidelibus catechumeni distinguebantur, & in ea positus erat ambo, seu pulpitum, quo euangelium tam ab his, quam ab illis audiri posset; illicque poenitentes ad terram proni & prostrati tamdiu manebant, quamdiu catechumeni, qui ad consecrationem corporis Christi exire simul iubebantur; canebat enim subdiaconus; οἱ ἀκοινώνητοι περιπατήσατε, id est, *qui non communicatis deambulate*, vt est in *responsis canonicis* TIMOTHEI ALEXANDR. quae verba ibi BALSAMON interpretatur οἱ κατηχούμενοι προέλθετε, id est, *catechumeni exite*, & statim egrediebantur, τότε ἐξήρχοντο, ait ZONARAS ad *can. 5. synodi Neocaesar.* Pendente illo tempore ad poenitentiam praestituto, ait illos tres partes poenitentiae explere debere; in primis contritionem, quae variis cruciatibus & doloribus expendebatur, tum deinde confessionem coram episcopo & clero; ac postremo exomologesim, quae est satisfactio, quibus peractis manus illis imponebant, vt semper fieri solitum, *d. can. poenitentes*, & illud reconciliari dicebatur: quod quidem non licebat presbyteris, *can. si iubet. 26. q. 6.* nisi ex praecepto & concessione episcopi, *can. Aurelius. ead.* sicut enim presbyter publicam poenitentiam indicere, & ab ecclesia expellere non poterat, ita nec reconciliare, *cap. accedentibus. sup. de excess. sib. praelat.* id tantum episcoporum munus erat, qui etiam in communionem recepto poenitente literas per parochias dirigebant, quibus hoc cunctis notum fieret, vt videre licet in *concil. Arausic. I.* & *can. cum aliquis. 11. q. 11.*

VII. Quibus omnibus peractis poenitentes ad σύστασιν, id est *congregationem fidelium*, seu *consistentiam* intromittebantur, & stationes communes simul agebant, & consequenter ad sacramentorum participationem recipiebatur, *can. tempora*, & *can. his qui. 26. q. 7.* hoc est, quod ait D CYPRIANVS, *epist. 15. per manus impositionem episcopi & cleri ius communicationis accipiant.* Formulam impositionis manus habemus in *constitut. apostol. cap. 9. lib. 8.* Verumtamen non semper per communionem illis concessam ad perceptionem corporis Christi admittebantur, sed saepius annum, vel plus agebant communicantes cum fidelibus in orationi-

bus

bus tantum, ieiuniis & ſtationibus publicis, κοινωνησάτωσαν χωρὶς προσφορᾶς, id eſt, *communicent ſine oblatione* inquit *ſynodus Ancyr. can. 5.* & ita ZONARAS communionem interpretatur, τὴν μετὰ τῶν πιςῶν σύσεως, οὐ τὴν μετάληψιν τῶν ἁγιασμάτων, id eſt, *ſolam conſociationem cum fidelibus*, non corporis & ſanguinis perceptionem. Quo facto & elapſo anni tempore ad plenam communionem recipiebantur, quae perfectionis gratia, τὸ τέλειον, dicebatur in *can. 4. eiusdem ſynodi.* Ad hanc participationem ſacramentorum erat deſtinatus locus, vbi fideles accedebant omnes, extra tamen cancellos, quibus altare & ſubſellia ſacerdotum diſtinguebantur, intra quos laici ad communionem admittebantur *cap. 1. ſup. de vit. & honeſt. cleric.*

VIII. Non idem fuit ſtatuendum in presbyteris, quod in laicis; ſiquidem presbyteris poenitentibus non imponebantur manus, quibus nec publica poenitentia iniungebatur, *can. confirmandum, & ſeqq. diſt. 50.* ſed ſi quando graue & capitale delictum ab his commiſſum foret, quod publicam poenitentiam mereretur, ſacerdotio priuabantur, & peregrinari aliquot annos cogebantur, *can. ſi quis ſacerdos. & ſeq. 30. q. 1.* nec grauius ab eccleſia puniebantur, niſi in crimine haereſeos, & ſimoniae, quae eſt haereſis, *can. 29. & 30. apoſtol.* vt diſtinguit BALS. *ad can. 32.* D. BASILII; quam ego differentiam non facile probem, innumeris enim prope locis demonſtrari poſſet ob alia facinora, aliis poenis, quam depoſitione mulctatos presbyteros fuiſſe, niſi id ita intelligendum ſit, presbyteris non imponi poenitentiam ſolitum fuiſſe, quandocumque non eſſent regradati, ſed depoſiti; quia depoſiti retinent characterem & ſacrum ordinem, qui, quamdiu durat, non eſt denuo eis manus imponenda, nec publica iniungenda poenitentia, ſed tunc demum, cum regradati ſunt, & omnino a communione fidelium amoti, *can. 1. ſynodi Neocaeſar. can. presbyter. 28. diſt.* & ſic debet intelligi *cap. quaeſitum. h. t. & can. ſi quis presbyter. 30. diſt.* quibus & publicam poenitentiam facere presbyterum poſſe docetur, vbi tamen gloſſ. addit eos quidem publice poenitentiam agere, vt ex *d. can. ſi ſacerdos*, dictum eſt, ſed non ſolennem, qualem nempe alii poenitentes cogebantur perficere, *d. can. in capite- 50. diſt.*

IX. Alterum reſtat videndum de poenitentiis criminum occultorum, in quibus non poena canonica, vel publica, ſed priuata iniungitur pro

ar-

arbitratu sacerdotis *cap. Deus qui. 18. h. t.* vel κατὰ τὴν ἐπισκοπικὴν διάκρισιν, *secundum episcopale iudicium*, vt loquitur BALSAMO *ad can. 46. Carthag.* nam frequentius omnes poenitentes iudicium accipiebant ab episcopo & clero, intra absidem ecclesiae, vt idem BALSAMO docet.

X. Est autem absis, arcus, seu testudo sanctuarii, in cuius medio positum erat altare, quam diuidebant cancelli, iuxta quos confessiones poenitentium fiebant, & episcopus adstante clero, poenitentiam dabat sine impositione manus, & tunc confitentium peccata publice recitabantur, quod LEO primus videtur sustuliſſe *epist. 80. cap. 2.* de quo *in can. quamuis. de poenitent. dist. 1. ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta confessio recitetur*, quum reatus conscientiam sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta, quod tamen non ex praecepto, sed ex plenitudine fidei fideles feciſſe docet. Alioquin omnes publice confitentes ad publicam poenitentiam saepius euocati fuissent propter crimina occulta, quae confessione manifesta fiebant. Qui tamen, quo liberiores erant ad peccata manifestanda, eo mitius tractabantur *can. presbyterum. 50. dist.*

XI. Contra semper adhibitos fuisse sacerdotes, qui peccatorum confessiones audirent, & poenitentiam statuerent, non est dubitandum, qui poenitentiarii dicebantur; maxime cum numero Christianorum crescente, auctus ita fuit confitentium numerus, vt episcopus partes suas aliis demandare cogeretur: nam primitus soli episcopi audiebant confessiones: & ideo BALSAMO ad interrogationem Marci patriarchae, an presbyter secularis posset audire ἐξαγορείας, cum permissu episcopi, respondet posse, & poenitentium reconciliationem facere, κατὰ κρίσιν ἐπισκοπικὴν: statutum enim fuit, vt in singulis ecclesiis praeesset presbyter poenitentiarius ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτερος, vt scribit SOCRATES *lib. 5. cap. 19.*

XII. Qui ordo seruatus ab initio hucusque floruit; licet in orientalibus ecclesiis aliquando fuerit amotus, *can. quidam. de poenitent. dist. 1.* maxime odio Nouatianorum, qui a confessione peccatorum abhorrebant, vt testatur D. AMBROSIVS, *lib. de poenitent. c. 2.* Quod factum improbat idem Socrates, ac etiam Nicephorus, qui ob eiectos presbyteros poenitentiarios disciplinam ecclesiasticam emarcuisse, & desciuisse contendunt. Ad hoc concilium allectum fuisse Nectarium orthodoxum

Constantinopolitanum archiepiscopum ipsimet asserunt, non quidem vt ab eo derogatum fuerit canoni ecclesiastico, & sublati omnino fuerint presbyteri poenitentiarii, sed tantum vnus, qui tunc scandali ansam praebuerat. Nam & posterioribus postea seculis confessiones poenitentium audiri solitas a sacerdotibus in ecclesia Constantinopolitana constat; imo Nouati exemplo contra sentientes damnati sunt, vt scribit BALSAMO *ad can. 52. apostol. & in can. 6. & 7. synodi Carthag.*

XIII. Praeceptum hoc fuit semper vniuersalis ecclesiae, quod vt exactius custodiretur, Innocentius III. in concilio generali statuit vnumquemque Christianum semel in anno confiteri debere peccata sua, & sacramentum eucharistiae sumere, ad minus in paschate, *cap. omnis. h. t.* in quo & id additur, quo fraus impediatur, vt coram proprio sacerdote, id est parocho fiat exomologesis, non coram peregrino sine literis & testimonio, vt statuit Felix III. in *epist. 3. cap. vlt. & cap. 49. lib. 7. Capitular.* nisi tanta sit necessitas, vt id beneficium differri non possit, veluti in articulo mortis, *can. si presbyter. 26. q. 5.* nam & valet hoc casu confessio facta proximo laico, qui non est sacerdos, *can. 1. de poenit. dist. 6.* quemadmodum baptismus, *can. sanctum. de consecrat. dist. 4.* non tamen foemina id exsequi potest, nedum abbatissa, *cap. noua. hoc tit.* Quaesitum fuit a Marco patriarcha Constantinopolitano, an praefectae monasteriorum possent subditarum monialium ratiocinia, λογισμοὺς suscipere, *interrogatione 34.* Cui respondet BALSAMO, non licere quum nec praefectus monasterii non sacratus, etiam episcopi permissu possit. Ex quibus dubitem, an λογισμὸς accipiatur pro confessione, quae Graecis est, ἐξαγορεία, cum id de ratiociniis potius & negotiis monasterii intelligendum videatur, de quibus *sup. tit. de obligat. ad ratiocinia.*

XIV. De remissionibus est altera pars huius tituli. Remissio nihil aliud est, quam indulgentia, siue relaxatio poenae, abolitio criminis, ita sumitur remissio apud iurisconsultos, VLPIANVM *tit. de remissionibus* vocatur noui operis nuntiationis abolitio, a praetore facta *l. 1. ff. de operis noui nunt.*

XV. Hanc remissionem quilibet poenitens pro culpis suis obtinet, vel a summo pontifice, qui plenariam habet iurisdictionem, vel ab episcopis pro ratione temporis concilio generali definiti, in *cap. 14. hoc tit.*

non

non vero generaliter possunt episcopi indulgentiam concedere, sed tantum limitatam (quamuis quidam contrarium senserint) scilicet quando publice in ecclesia solennem missam celebrant, vel pro ambone loquuntur facultatem restrictam tunc habere contendunt; in foro vero poenitentiali plenariam, vt sensit Innocentius IV. *in cap. pen. hoc tit.* quod non admittendum: nam in hoc foro poenitentibus quidem datur venia, sed non relaxatur poena temporalis nisi iuxta mensuram contritionis, secundum sententiam OSTIENSIS, & PANORMITANI, & confirmatur in *cap. 1. hoc tit. in 6.* & a D. THOMA; ita vt poenae relaxatio pendeat ex sola iurisdictione summi pontificis, a quo episcopi vel delegati definitam & circumscriptam accipiunt, sicut magistratus a principe, qui solus indulgentiam poenae liberaliter dat, vt de deportatis, relegatis, & poenae seruis dicitur *in l. 2. 3. & 11. C. de sententiam passis.* Haec poenae remissio non restituit famam *l. 5. C. Theod. de indulgent. criminum. l. 2. C. de abolitione generali*, nisi nominatim id expressum sit, vel restitutio in integrum fieri dicatur, quae verba explicat ANTONINVS de ordine; & ceteris honoribus in *l. 1. C. de sententiam passis.*

XVI. Est & alia indulgentia, quae non pertinet ad hunc titulum, quando ex mera liberalitate aliquid fit, vt de decimis noualium dicitur *in cap. ex parte. sup. de decim.* vel de ratione temporis, quod partibus ad litem prosequendam prorogatur, vt tempus non noceat, *cap. dilecto. de verb. sig.* haec remissio a quibusdam dicitur remissa, a TERTVLLIANO *4. contra Marcionem cap. 18.* & alibi saepe: sicut *ascensa Domini* dicitur ascensio in regulis monachorum S. BENEDICTI, & *proba* dicitur probatio in *l. 1. C. Theod. de stratoribus; vnus solidus probae nomine posceretur.*

TITVLVS XXXIX.

DE

SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS.

I. Additur pro corona totius libri, qui est de criminibus & poenis, tractatus de excommunicatione, quae est durior & asperior poena, qua vti possit ecclesia, *can. corripiantur. 24. q. 3.* & quae successit, in locum mortis in veteri lege reis infligi solitae: *hoc nunc agit in ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio*, ait D. AVGVSTIN. *q. 39. in Deuteron.* & apud iurisconsultos capitis deminutio maxima, quae erat mors ciuilis, familiam, ciuitatem, & libertatem tollens *l. 11. ff. de capite minut.*

II. Excommunicatio etenim est capitis deminutio *in 'cap. qualiter. 24. de accusat.* qua quis ab ecclesiae communione repellitur, & morti traditur, *can. omnis. 11. q. 3. inobediens mucrone spiritali truncatur, & eiectus rabido daemonum ore discerpitur*, inquit D. HIERONYMVS *epist. 1. ad Heliod. can. absit. 11. q. 3.* Similis erat stylus decretorius, quem exheredationi tribuit SENECA *1. de clementia. cap. 14.* quo anima percutitur, *cap. si quis. sup. de reb. eccles. alien.*

III. Primis siquidem temporibus, qui sathanae in interitum carnis, εἰς ὄλεθρον τῆς σάρκος tradebantur, saepius statim a daemonibus corripi, & torqueri palam aduertebantur. Paulinus enim in vita D. Ambrosii quendam ab eo sathanae traditum, eoque momento a daemone correptum, & in partes discerptum fuisse scribit. Quae excommunicatio vulgo dicta est anathema maranatha, & catathema, ἀπὸ τοῦ ἄνω τίτεσθαι, id est sursum ponere, vel suspendere, quod est deuouere, & deuotare, vt interpretatur D. AVGVST. *quaest. in numeros, lib. 4.* Quae verba sunt execrationis & detestationis, siue destinationis ad extremum exitium; deuouere enim sumitur pro diris & imprecationibus alicui malum optare: Romani enim, quos impune occidi posse iudicarent, diis inferis deuouere solebant τοῖς κάλαχθονίοις κατονομάζειν dicit DIONYS. HALICARN. *lib. 2.* quod etiam dicebant ἀνατιθέναι, id est, *deuoue-*

uouere, *sacrare*; vnde & sacer homo dicitur ἀνάθεμα, quem populus iudicauit ob maleficium, & quem impune quilibet occidere potest apud FESTVM, & apud VARRONEM *quiuis homo malus ac improbus, sacer dicitur, quasi iam daemonibus consecratus.*

IV. Quapropter recte nomen anathematis congruit huic maiori excommunicationi, quae vocatur a Deo separatio, *can. certum est. 24. q. 3.* Quam tantum pro grauibus criminibus inferre licet, non pro leuibus causis, *can. nullus. 11. q. 3.* non quidem a quolibet sacerdote, sed ab episcopo tantum, vnde mucro episcopi dicitur, *can. visis. 16. q. 2.* vel a praelato, aut praeposito, dicto *can. corripiantur*, vel plebano, *cap. 3. de offic. ordin. can. nemo. 2. q. 1.* Abbas vero monachos suos excommunicare potest, *cap. cum in ecclesiis, sup. de maiorit. & obedient.* vel etiam hi, quibus ex iure singulari & priuilegio id concessum est, vt in *epist.* INNOCENTII III. *137. & 147. lib. 1.* in qua monachis S. Mariae Virziliacensis candelis accensis excommunicare concedit;

V. Haec est excommunicatio maior, anathematis sententia, quae fit candelis accensis, quas sacerdotes prae manibus tenentes in conclusione extinguunt, & pedibus conculcant, *can. debent. 11. q. 3.* Iure quidem communi huiusmodi excommunicationem concessam tantum fuisse episcopis dubium non est, scilicet tam maiorem, quam minorem; licet olim anathematis sententiam ferre non potuerint sine conscientia archiepiscopi, vel metropolitani, aut cum iudicio aliorum episcoporum, *can. nemo. 11. q. 3.* ideoque syondos prouinciales congregare moris erat bis in anno, vt illic excommunicationum causae & quaestiones discuterentur, quia saepe pro leuibus delictis sententiam ferebant, *can. 5. concilii Nicaeni, can. habeatur. 14. & can. 6. synodi Antioch.* quum tamen, vt dixi, non debeat ferri nisi pro grauibus criminibus, pro quibus plectendis leges ciuiles poenam mortis infligunt. Sed nec minorem excommunicationem ferre potest episcopus solus sine consilio clericorum, sine consensu capituli, *cap. quaesiuit. sup. de his, quae fiunt a maior. part. cap. can. debent. 11. q. 3.* sed nec omne crimen graue eiusdem anathematis poena plectebatur.

VI. Anathema triplex est, illud scilicet, quo a corpore Christi contumaces arcentur, *can. Engeltrudam. 3. q. 4.* id est ab vnione ecclesiae: nam per corpus Christi intelligere debemus ecclesiam, vt docet BALSAMO

ad can. 69. synodi Carthag. Maranatha vero, quod est verbum Hebraicum, ego existimo fuisse grauiorem excommunicationem, vtpote quae nunquam reconciliationem mereri videbatur, cuius formam exprimit CLEMENS in *epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini: si quis praecepta haec non integra custodierit, sit anathema vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi.* Sic D. AVGVSTINVS hoc vocabulum interpretatur *epist. 178. anathema*, inquit, *Graeco sermone dicitur condemnatus*; Maranatha, *donec dominus redeat.* Excommunicationi etiam maiori adiungitur catathema, quo feriuntur, qui assentiuntur, & se anathemate damnatis iungunt, τὸ συντίθεσθαι τοῖς ἀναθεματίζουσιν. Apud Graecos συντίθεσθαι dicuntur, qui inter se paciscuntur, vel dolo malo se iungunt, *cap. significauit, & cap. si concubinae. hoc tit.* iuxta *canonem 11. apostolorum, & can. 2. synodi Antioch.* ita vt tales non possint absolui ab alio, quam ab eo, qui sententiam tulit, *cap. nuper. hoc tit.* alii vero, qui temere & inconsulto vel casu se ipsis iungunt, minori tantum excommunicatione percelluntur, *cap. nuper. h. t.* aliqui sunt, qui nec minorem incurrunt excommunicationem, veluti vxor & liberi, *cap. quod in dubiis*, & in casu *cap. si vere. h. t.*

VII. Haec autem maior excommunicatio non valet nisi lata in contumaces, tribus nempe edictis, siue monitionibus praemissis, vel vna pro tribus, additis tamen quibusdam temporum interuallis *cap. constitutionem. h. t. in 6.* Debet etiam fieri ex iusta & manifesta causa, *cap. contingit, & cap. sacro. h. tit.* & in scriptis *cap. 1. eod. in 6.* ante appellationem verbo vel scripto productam, *cap. dilecti filii. sup. de appellat.*

VIII Non ita in minori excommunicatione, quae omnibus modis distingui a supradicta debet; quippe quae ab ingressu ecclesiae & sacramentorum participatione tantum arcet, *cap. vlt. sup. de cler. excommun.* Quam participationem, communionem, & fraternam societatem vocat Ioannes VIII. *in can. Engeltrudam. 3. q. & can. quisquis. 17. q. 4.* Quae quidem non tollit iurisdictionem, collationem, & iura similia, vt interpretes notant in dictum *cap. vlt. & in cap. duobus h. t.* Denique nihil auffert praeter id, quod nominatim comprehensum est, nempe sacramentorum participationem, & ecclesiae ingressum, cuius absolutionem impendere quilibet sacerdos de iure potest, *cap. nuper. h. t.* nisi nominatim id reseruatum, vel a summo pontifice, vel ab episcopo *cap. quicumque. eod. in 6.*

IX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0208
DFG

IX. Et haec quidem, quae dicta sunt, intelligi debent de excommunicatione tam maiore, quam minore, siue causa cognita a iudice lata fuerit, solennibus iuris obseruatis, siue a lege vel canone, quoties nempe ipso facto, & ipso iure excommunicatio incurritur, vulgo canon latae sententiae dicitur, verbi gratia, siquis clericum percusserit, *in cap. contigit. cap. relatum*, *& aliis h. t.* quod & late exemplis declarat glossa in *cap. eos. h. t. in 6.* Et haec fertur sine tribus edictis & monitionibus, *cap. reprehensibilis. sup. de appellat.* Non vero est canon latae sententiae, quando fertur sub interminatione, seu comminatione, & verba *ipso facto*, vel *ipso iure*, absunt, vt *cap. vnico. de bigamis. in 6.* nam tunc sententia, & tribus edictis opus est *cap. relatum. in fine. sup. de iure patronat.* vel etiam est canon latae sententiae, etsi haec verba *ipso iure*, *ipso facto* absint, si tamen haec subsint, *anathema esto*, quae sunt praesentis temporis, *can. 1. & 2. 24. q. 1.*

X. Poro excommunicationis praesertim publicae vis est, vt non solum a communione & consortio fidelium, & ab ecclesia arceat, sed etiam ab omnibus officiis, non tantum ecclesiasticis, sed etiam ciuilibus, nec enim excommunicatus eligi potest ad vllam dignitatem, ad imperium, ad pontificatum, *cap. venerabilem. sup. de elect.* non potest esse iudex, *cap. ad probandum. de sentent. & re iudic.* nec potest agere in iudicio, repellitur enim per exceptionem, *cap. prudentiam. sup. de officio iudicis deleg.* nec accusare, *cap. olim. sup. de accusat.* Quapropter vt plenius ab omnibus commerciis arcerentur, & omnibus innotescerent excommunicati, solebat sententia publice promulgari, exemplo sumpto a veteri ecclesia, in qua excommunicatorum nomina publice in triuiis & propyleis describebantur, vt in excommunicatione Polycratis, & aliorum episcoporum Asiae, apud EVSEBIVM *lib. 5. cap. 25.* vel voce praeconis, quod fecit Cornelius papa contra Nouatum apud eundem, *lib. 6. cap. 43.* in concilio Antioch. Paulus Samosatensis episcopus proclamatus fuit ἀποσυνάγωγος. ita Lucianus apud THEODORETVM. Athenienses olim in chartis describebant eos, quos ab Areopago arcebant, hoc dicebatur ἐκπεφυλοφορῆσαι, a tribu remotus ἐκπεφυλοφορημένος apud POLLVC. *lib. 3. cap. 4.*

XI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0209
DFG

XI. Diuersum morem refert NICEPHORVS *lib. 4. cap. 38.* in clero fuisse obseruatum, vt diebus dominicis clericorum omnium nominibus pro ambone a diacono recitatis, segregatorum nulla fieret mentio, vt qui indigni haberentur, quorum ecclesia mentionem faceret, & vt saltem eo silentio ab omnibus agnoscerentur, vt refert D. AVGVSTINVS *epist. 128.* & dixi *sup. tit. de cleric. excomm.* & ita exosi omnibus forent, vt etiam priuilegiati cum eis versari non deberent, *cap. cum plantare. sup. de priuilegiis. cap. nulli. h. t.* nisi tunc demum cum absolutionem obtinuissent, quam a proprio episcopo, vel presbytero quilibet obtinere debet, non ab extraneo, nisi de eius licentia, *cap. omnis. sup. de poenitent.*

XII. Nec excommunicatus suscipi ab aliis debet, nisi prius receptus ab episcopo suo, *can. 2. 11. q. 3.* quia si extraneus absolutionem impenderit, a vicinis episcopis excommunicari debet, vt concilio Aruernensi statutum fuisse testatur IVO CARNOT. *epist. 76. & 194.* qui & ideo conqueritur aduersus Hugonem Lugdunensem archiepiscopum, quod sacrilegos a se, suisque coepiscopis excommunicatos communioni reddiderat, *epist. 60.* is autem, qui absolutionem ab alieno de licentia proprii episcopi obtinuerit, eandem licentiam probare debet, vel literis vel legitimis probationibus, *cap. sicut nobis. h. t.* Nec ob id tantum quod salutationis littere a papa ad eum fuerint directae, licentiam sibi arrogare debet, *cap si aliquando,* nisi ipsum absolutum esse demonstrauerint, licet forma iuris non fuerit seruata, *cap. significasti. sup. de electio.* vt si ad osculum ad, misisset, quod est singulare in summo pontifice, nec ad alios extendi potest, nisi priuilegio. *cap. cum olim. de priuilegiis.* Vt de regibus refertur in concilio Toletano XII. *cap. 3.* qui si aliquem excommunicatum mensae suae adhibuerint, communionem reddidisse censentur, vt refert IVO CARNOTENSIS *epist. 62.* Quod fere idem finxerunt poetae, si Deus vel Dea aliquem mensa excepisset, argumentum erat adeptae diuinitatis: & libertatis apud iurisconsultos, si seruo potestatem fecerit accumbendi suis epulis apud THEOPHILVM, *§. vlti. de libertatib.* & CAIVM, *1. instit.*

XIII. Reliqua, quae hoc tit. adducenda essent de interdictis, de quibus vide GOFFRIDVM *epist. 16. & 17. lib. 2.* suspensionibus, & regradationibus, tetigimus superioribus titulis, & praesertim *titul. de clerico excommunicato.* De interdicto siquidem fere idem censendum, quod

quod de excommunicatione, siue sit priuatum alicuius scilicet domus, vrbis, ecclesiae, siue sit generale totius regni, vel prouinciae, *cap. cum in partibus. infr. de verb. sign.* & quoties rex vel princeps excommunicatur, tunc enim interdictum generale censetur, quia respicit subditos, & aliquatenus afficit : idemque ordo seruatur & ritus, veluti vt altaria denudentur, reliquiae & cruces in terrra recondantur, campanae sursum vertantur, vt videre est in synodo Londinensi in Anglia, *cap. 14. 15. & seqq.* Licet autem nullum officium diuinum celebretur, baptismus tamen infantium, & poenitentia morientium non impediuntur, vt est in *epist. 352. lib. 1. reg.* apud INNOCENT. III.

TITVLVS XL.

DE

VERBORVM SIGNIFICATIONE.

I. Ad exemplum iuris ciuilis corpus canonicum clauditur titulis de verborum significatione, & de regulis iuris, qui pertinent ad omnes materias, & partes iuris canonici, nulla enim pars est, in qua saepius rerum & causarum quaestio, cognitio, & intellectus ex verbis ipsis non desumantur. Verba instituta sunt, per quae quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat, inquit D. AVGVSTINVS, *in can.is autem. 22. q. 2.* & feruntur ex ipsis naturae principiis, vt ait TVLLIVS *3. offic.* quae tamen propria sunt vnicuique arti vel scientiae: *Dialectici & physici verbis vtuntur propriis: geometrae, musici, grammatici etiam more loquuntur suo, item ipsae rhetorum artes verbis in dicendo quasi priuatis vtuntur ac suis*, inquit idem TVLLIVS initio *lib. 3. de finibus.*

II. Ita canones propriam habent verborum significationem, quam ex causis ipsis & rebus depromunt, quibus verba seruiunt *cap. 6. h. t.* ideo non tam proprietas quam sensus plerumque attendi debet, ne veritati praeiudicium fiat, *cap. 8. h. t.* Exemplum praebet pontifex in *cap. secundo. 41. de appellat. sup.* an haec verba *appellatione remota* vni articulo appositа ad alios eiusdem causa articulos referri debeant, quod ex consilio iuris & rationis pendere dicti, eodem modo, quo *in can. 1. apo-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0211
DFG

stolor. χειροτονία, id est, *electio* sumitur pro χειροθεσία, quae est *ordinatio*, siue *manus impositio*, & in *can. 13. Synodi Carthag.* vt & annotat BALSAMO.

III. Aliquando non tam sensus spectatur, quam vsus communis loquendi: vt si vnus contrahentium dolum adhibeat, secundum sensum alterius verba sunt intelligenda, *cap. ex litteris. sup. de sponsalibus*, vel si vterque dolum adhibeat, secundum communem vsum: in *cap. ad audientiam. sup. de decimis.* Cum priuilegium decimarum pro laboribus indulgetur, non debent intelligi labores pro noualibus, sed pro omni agrorum cultura, sicut & *in cap. tua*, nomine beneficii communiter intelliguntur praebendae, & quaeuis maiora & minora beneficia, *cap. penult. h. t.* nomine clericorum non tantum canonici, sed & omnes alii clerici, *cap. cum tibi. h. t.* & superiori titulo diximus, *anathema*, quod proprie maiorem excommunicationem notat, sumi aliquando pro minori, pro suspensione, pro interdicto, & ita anathema, prout est maior excommunicatio, dicitur prolixius anathema ad differentiam minoris, *can. haec huius. 12. q. 2.*

IV. Aliquando vero secundum veram & germanam significationem verba cum effectu accipiuntur, vt de residentibus in ecclesia dicitur in ecclesia dicitur in *cap. relatum. sup. de cleric. non residentib.* saepius etiam idem verbum duplicem & diuersam habet significationem veluti *canon* significat *pensionem*, *tit. de canone frumentario vrbis Romae;* alias & verius significat regulam. Quae omnia discernenda sunt ex vi & serie orationis secundum quaestionem propositam, & circumstantias: vt *cap. cum clerici. eod.* per ecclesiam intelligitur non vniuersus clerus, sed capitulum cum episcopo, propter hanc verborum seriem; *ero obediens episcopo, & ecclesiae Placentinae*, quae sensum restringunt ad episcopum & capitulum tantum.

V. Non vero quilibet sensum dare potest verbis, sed is interpretandi facultatem habet, qui habet constituendi, sicut praetor, qui habet potestatem emendandi, corrigendi, supplendi, ac etiam interpretandi iuris, *§. 1. instit. de bonor. possess. l. in praetoriis. ff. de praetor. stipulat.* Hoc ius ad summum pontificem spectat, *cap. inter alia. de sent. excommunic.* vel ad eos quibus facultas ab eo concessa est, vt est legatus, *cap. 1. de postulat. praelat.* sicut etiam iudex, *cap. cum dilecti. sup. de donat.*

nat. quod tamen est moderate accipiendum, vt quoties interpretatio causam tantum respicit, de qua vertitur quaestio inter partes, possit interpretationem suam interponere; non vero si interpretatio statuat ius generale, *cap. fin. sup. de constit.* quae distinctio vulgo ab interpretibus affertur.

TITVLVS XLI.
DE
REGVLIS IVRIS.

I. Nullum ius, vel corpus dici potest, quod non certis regulis & definitionibus constet, ideo postremo additur hic titulus, quo regulae exponuntur, quae non iura specialia, sed publica continent, & quae nascuntur ex iis, quae saepius fieri solent, sicut ius antiquum apud iurisconsultos dicitur, quo iam diu populus Romanus est vsus.

II. Et in hoc iure regula dicitur, quod constitutum est, & seruari debet ab omnibus: sic regulae seu constitutiones generales apostolorum dicuntur canones, & quaecumque non vni tantum ecclesiae, sed pluribus congruunt, *commune praeceptum*, vt loquuntur iurisconsulti, & DEMOSTHENES *oratione in Aristogitonem*, κοινὸν προσάγμα ᾧ πάντας προσήκει πείθεσθαι, id est, *cui omnes obtemperare oportet. Praecepta euangelica*, sanctorum patrum decreta, *can. sicut. 14. dist.* Talia sunt baptismi & corporis Christi conficiendi formulae, *can. proprie. de consecrat. dist. 4. & can. accipite. dist. 2.* & aliae similes regulae, quae semper & assidue constantes sunt, nec vllo modo mutari possunt. Aliae, quae pro necessitate & euentu vertuntur & euertuntur, vt in *cap. 4. h. t.* Qui ob aegritudinem fregerit votum, non ideo peccare. Ideoque optime dixit Iabolenus, omnem definitionem in iure periculosam esse.

III. Nihil autem aliud est definitio, quam canon siue regula, quam constitutio, ὅρον γὰρ τὸν τύπον, καὶ τὸν κανόνα λέγει, id est, *definitionis enim nomine canonum & constitutionem intelligit*, ait ZONARAS in *can. 19. Synodi Neocaesariens.* sicut PAPINIANVS libros suos & MODESTINVS definitionum dixerunt, quos VLPIANVS regularum, PAVLVS sententiarum, quia & sententia pro regula sumitur, *l. Iulianus. de condit.*

& demonstrat. & l. 8. de liber. & postbum. can. apostolicae 35. q. 9. & recte dixit Iabolenus omnem definitionem, quia nulla fere est, quae destrui non possit, tum ob diuersitatem circumstantiarum, cum ob euentum & casum: quod facilius habet locum in iure ciuili, quam pontificio; si quidem regulae iuris ciuilis conditae sunt ab imperatoribus, pro ratione temporum, & prout ambitio, vel auaritia, vel libido in illis dominabantur. At non ita hoc iure, in quo maxima pars regularum fundamentum capit ex fide Christiana, quam sospitator noster, ac eius apostoli, & discipuli nobis reliquerunt, quas sine sacrilegio, sine haeresi, & blasphemia impugnare, mutare, vel contemnere non possumus, *can. hae vestrae. 11. dist.*

IV. Quaedam vero huiusmodi sunt, vt pro consuetudine regionum, locorum, vel ecclesiarum regantur, quae non pugnant cum fide orthodoxa, *can. sunt sancta, can. nos consuetudinem. 12. dist.* vt sunt statuta & ordinationes vnius prouinciae vel primatus, *can. de iis. 12. dist.* Quae licet sunt ius singulare, tamen ad ius commune trahuntur, veluti in *can. 1. synodi Constantinop.* Monasteriorum cura & iurisdictio regulariter pertinet ad episcopum, nec laici id sibi arrogare possunt; priuilegiis tamen & indultis contrarium fieri videmus, vt dixi *tit. de priuilegiis.* Ita quoque decimae, quae sunt iuris diuini, & tantum debentur personis ecclesiasticis; tamen & a laicis possideri iam etiam diximus. Et haec sufficiant ad explanationem huius libri.

FINIS.

IN-

INDEX I.

TITVLORVM DECRETALIVM GREGORII IX.

LIBRI PRIMI TITVLI.

De summa trinitate & fide catholica. Tit. I. p. - - 7
Constitutionibus. Tit. II. p. - - 11
Rescriptis. Tit. III. p. - - 15
Consuetudine. Tit. IV. p. - 24
Postulatione praelatorum. Tit. V. p. - 28
Electione & electi potestate. Tit. VI. p. 31
Translatione episcopi. Tit. VII. p. - 41
Auctoritate & vsu pallii. Tit. VIII. p. - - - 43
Renunciatione. Tit. IX. p. - - 48
Supplenda negligentia praelatorum. Tit. X. p. - - 51
Temporibus ordinationum & qualitate ordinandorum. Tit. XI. p. - 54
Scrutinio in ordine faciendo. Tit. XII. p. - - - 58
Ordinatis ab episcopo, qui renunciauit episcopatui. Tit. XIII. p. - - 60
Aetate & qualitate & ordine praeficiendorum. Tit. XIV. p. - - 61
Sacra vnctione Tit. XV. p. - 67
Sacramentis non iterandis. Tit. XVI. p. - - - 70
Filiis presbyterorum ordinandis vel non. Tit. XVII. p. - - 72
Seruis non ordinandis & eorum manumissione. Tit. XVIII. p. - - 75
Obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non. Tit. XIX. p. - - 77
Corpore vitiatis ordinandis vel non. Tit. XX. p. - - 79
Bigamis non ordinandis. Tit. XXI. p. 81
Clericis peregrinis. Tit. XXII. p. - 83
Officio archidiaconi. Tit. XXIII. p. - 85
Officio archipresbyteri. Tit. XXIV. p. 91
Officio primicerii. Tit. XXV. p. - - 93
Officio sacristae. Tit. XXVI. p. - - 95
Officio custodis Tit. XXVII. p. - - 96
Officio vicarii. Tit. XXVIII. p. - - 97
Officio & potestate iudicis delegati, Tit. XXIX. p. - - 99
Officio legati. Tit. XXX. p. - - 101
Officio iudicis ordinarii. Tit. XXXI. p. 104
Officio iudicis. Tit. XXXII. p. - - 106
Maioritate & obedientia. Tit. XXXIII. p. - - - 107
Treuga & pace. Tit. XXXIV. p. - 110
Pactis. Tit. XXXV. p. - - 113
Transactionibus. Tit. XXXVI. p. - 115
Postulando. Tit. XXXVII. p. - - 116
Procuratoribus. Tit. XXXVIII. p. - 118
Syndico. Tit. XXXIX. p. - 121
His, quae vi metusue causa fiunt. Tit. XL. p. - - 123
In integrum restitutione. Tit. XLI. p. - - - - 125
Alienatione iudicii mutandi causa facta. Tit. XLII. p. - - 126
Arbitris. Tit. XLIII. p. - - 127

LIBRI SECVNDI.

De iudiciis. Tit. I. p. - - 130
Foro competenti. Tit. II. p. - 134
Libelli oblatione. Tit. III. p. - - 137
Mutuis petitionibus. Tit. IV. p. - 139
Litis contestatione. Tit. V. p. - - 140
Vt lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam definitiuam Tit. VI. p. - - 141
Iuramento calumniae. Tit. VII. p. - 143
Dilationibus. Tit. VIII. p. - - 145
Feriis. Tit. IX. p. - - 146
Ordine cognitionis. Tit. X. p. - - 149
Plus petitionibus. Tit. XI. p. - 151

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0215
DFG

Causa possessionis & proprietatis. Tit. XII. p. - - 152
Restitutione spoliatorum. Tit. XIII. p. 154
Dolo & contumacia. Tit. XIV. p. - 156
Eo qui mittitur in possessionem causa rei seruandae. Tit. XV. p. - - 157
Vt lite pendente nihil innouetur. Tit. XVI. p. - - 159
Sequestratione possessionis & fructuum. Tit. XVII. p. - - 160
Confessis. Tit. XVIII. p. - - 161
Probationibus Tit. XIX. p - 162
Testibus & attestationibus. Tit. XX. p. 164
Testibus cogendis vel non. Tit. XXI. p. 167
Fide instrumentorum. Tit XXII. p. 169
Praesumptionibus. Tit. XXIII. p. - 171
Iureiurando. Tit. XXIV. p. - - 973
Exceptionibus. Tit. XXV. p. - 176
Praescriptionibus. Tit. XXVI. p. - 179
Sententia & re iudicata. Tit. XXVII. p. - - - 185
Appellationibus, recusationibus & relationibus. Tit. XXVIII. p. - - 187
Clericis peregrinantibus. Tit. XXIX. p. 193
Confirmatione vtili vel inutili. Tit. XXX. p. - - - 194

LIBRI TERTII.

De vita & honestate clericorum. Tit. I. p. - - 197
Cohabitatione clericorum & Mulierum. Tit. II. p. - - 202
Clericis coniugatis. Tit. III. p. - 205
Clericis non residentibus in ecclesia vel praebenda. Tit. IV p. - 209
Praebendis & dignitatibus. Tit. V. p. 213
Clerico aegrotante vel debilitato. Tit. VI. p. - - 318
Institutionibus. Tit. VII. p. - 220
Concessione praebendae ecclesiae non vacantis. Tit. VIII. p. - 223
Ne sede vacante aliquid innouetur. Tit. IX. p. - - 226
His quae fiunt a praelato sine consensu capituli. Tit. X p. - - 228
His quae fiunt a maiori parte capituli. Tit. XI. p. - - 232
Vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. Tit. XII. p. - 235
Rebus ecclesiae alienandis vel non. Tit. XIII. p. - - 236
Precariis. Tit. XIV. p. - 239
Commodato. Tit. XV. p. - - 342
Deposito. Tit. XVI. p. - - 243
Emptione & venditione. Tit. XVII. p. 244
Locato & conducto. Tit. XVIII. p. 247
Rerum permutatione. Tit. XIX. p. - 249
Feudis. Tit. XX. p. - - 251
Pignoribus & aliis cautionibus. Tit. XXI. p. - - - 255
Fideiussoribus. Tit. XXII. p. - - 258
Solutionibus. Tit. XXIII. p. - - 260
Donationibus. Tit. XXIV. p. - - 261
Peculio clericorum. Tit. XXV. p. - 264
Testamentis & vltimis voluntatibus. Tit. XXVI p. - - 266
Successionibus ab intestato. Tit XXVII. p. - - - 270
Sepulturis. Tit. XXVIII. p. - - 271
Parochiis & alienis parochianis. Tit. XXIX. p. - - 275
Decimis, primitiis & oblationibus. Tit. XXX. p. - - - 277
Regularibus & transeuntibus ad religionem. Tit. XXXI. p. - - 285
Conuersione coniugatorum. Tit. XXXII. p. - - - 290
Conuersione infidelium. Tit. XXXIII. p. - - - 292
Voto & voti redemtione. Tit. XXXIV. p. - - - 293
Statu monachorum & canonicorum regularium. Tit. XXXV. p. - - 295
Religiosis domibus vt episcopo sint subiectae. Tit. XXXVI. p. - - 301
Capellis monachorum & aliorum religiosorum. Tit. XXXVII. p. - - 304
Iure patronatus. Tit. XXXVIII. p. 307
Censibus, exactionibus & procurationibus. Tit. XXXIX. p. - - 312
Consecratione ecclesiae vel altaris. Tit. XL. p. - - - 317

Cele-

Celebratione missarum & sacramento eucharistiae & diuinis officiis. Tit. XLI. p. - - 321
Baptismo & eius effectu. Tit. XLII p. - - - 326
Presbytero non baptizato. Tit. XLIII. p. - - 332
Custodia eucharistiae, chrismatis & aliorum sacramentorum. Tit. XLIV. p. - - - 334
Reliquiis & veneratione sanctorum. Tit. XLV. p. - - - 337
Obseruatione ieiuniorum. Tit. XLVI. p. 341
Purificatione post partum. Tit. XLVII. p. - - - 345
Ecclesiis aedificandis vel reparandis. Tit. XLVIII. p. - - 347
Immunitate ecclesiarum, coemeteris & rerum ad eas pertinentium. Tit. XLIX. p. - - - - 353
Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immiscеant. Tit. L. p. - 357

LIBRI QVARTI.

De sponsalibus & matrimoniis. Tit. I. p. - - - 361
Desponsationibus impuberum. Tit. II. p. 365
Clandestina desponsatione. Tit. III. p. 370
Sponsa duorum. Tit. IV. p. - 372
Conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus. Tit. V. p. - 374
Qui clerici vel vouentes matrimonium contrahere possunt. Tit. VI p. - 376
Eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium. Tit. VII. p. - 381
Coniugio leprosorum. Tit. VIII. p. - 383
Coniugio seruorum. Tit. IX. p. - 385
Natis ex libero ventre. Tit. X. p. - 387
Cognatione spirituali. Tit. XI. p. - 389
Cognatione legali. Tit. XII. p. - 393
Eo qui cognouit consanguineam vxoris suae vel sponsae. Tit. XIII. p. - - 395
Consanguinitate & affinitate. Tit. XIV. p. - - - 397
Frigidis & maleficiatis & impotentia coeundi. Tit. XV. p. - - 402
Matrimonio contracto contra interdictum ecclesiae. Tit. XVI. p. - - 405
Qui filii sint legitimi. Tit. XVII. p. 408
Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testificari. Tit. XVIII. p. 412
Diuortiis. Tit. XIX. p. - - 415
Donationibus inter virum & vxorem & de dote post diuortium restituenda. Tit. XX. p. - - - 419
Secundis nuptiis. Tit. XXI. p. - 422

LIBRI QVINTI.

De accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus. Tit. I. p. - 227
Calumniatoribus. Tit. II. p. - - 433
Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus. exigatur vel promittatur. Tit. III. p. 435
Ne praelati vices suas vel ecclesias sub annuo censu concedant. Tit. IV. p. 439
Magistris & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Tit. V. p. - - 441
Iudaeis & Sarracenis & eorum seruis. Tit. VI. p. - - - 445
Haereticis. Tit. VII. p. - - 449
Schismaticis & ordinatis ab eis. Tit. VIII. p. - - - 452
Apostatis & reiterantibus baptisma. Tit. IX. p. - - - 455
His, qui filios occiderunt. Tit. X. p. - 458
Infantibus & languidis expositis. Tit. XI. p. - - - 460
Homicidio voluntario vel casuali. Tit. XII. p. - - - - - 462
Torneamentis. Tit. XIII. p. - - 465
Clericis pugnantibus in duello. Tit. XIV. p. - - - 469
Sagittariis. Tit XV. p. - - 471
Adulteriis & stupro. Tit. XVI. p. - 473
Raptoribus & incendiariis, & violatoribus ecclesiarum. Tit. XVII. p. - 478
Furtis. Tit. XVIII. p. - - 482
Vsuris. Tit. XIX. p. - - 485
Crimine falsi. Tit. XX. p. - - 490
Sortilegiis. Tit. XXI. p. - - 494
Collusione detegenda. Tit. XXII. p. 496

Delictis puerorum. Tit. XXIII. p. - 498
Clerico venatore. Tit. XXIV. p. - 499
Clerico percussore. Tit. XXV. p. - 501
Maledicis. Tit. XXVI. p. - - 503
Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante. Tit. XXVII. p. 507
Clerico non ordinato ministrante. Tit. XXVIII. p. - - - 511
Clerico per saltum promoto. Tit. XXIX. p. - - - - - - 513
Eo, qui ordinem furtiue susceptit. Tit. XXX. p. - - - - - 515
Excessibus praelatorum & subditorum. Tit. XXXI. p. - - - - 516
Noui operis nunciatione. Tit XXXII. p. - - - 518
Priui legiis & excessibus priuilegiatorum. Tit. XXXIII. p. - - - 520
Purgatione canonica. Tit. XXXIV. p. 524
Purgatione vulgari. Tit. XXXV. p. 527
Iniuriis & damno dato. Tit. XXXVI. p. - - - 529
Poenis. Tit. XXXVII. p. - - 531
Poenitentiis & remissionib. Tit. XXXVIII. p. - - 533
Sententia excommunicationis. Tit. XXXIX p. - - - 540
Verborum significatione. Tit. XL. p. 545
Regulis iuris. Tit. XLI. p. - 547

IN-

INNOCENTII CIRONII

IVRIS VTRIVSQVE

PROFESSORIS, CANONICI,

ET

ECCLESIAE AC ACADEMIAE TOLOSANAE

CANCELLARII

OBSERVATIONES

IVRIS CANONICI

IN

QVINQVE LIBROS DIGESTAE.

VINDOBONAE,

TYPIS IOANNIS THOMAE TRATTNER, CAES. REG. AVLAE, NEC NON INF. AVSTR. ORDINVM TYPOGR. ET BIBLIOPOLAE.

M. DCC. LXI.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0219

DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0220
DFG

LECTORI
S. P. D.
EDITOR.

Postea quam summi in vtroque iure viri INNOCENTII CIRONII paratitla in quinque libros decretalium Gregorii IX. nostris curis in Germania primum euulgata habes lector amice! nihil nos siue expectatione tua dignius, siue ad vtilitatem opportunius esse facturos existimauimus, quam si eiusdem etiam auctoris obseruationes iuris canonici tecum communicaremus, multae mihi consilii istius, grauissimaeque causae fuerunt; enimuero, si auctoris dignitas, vt debet, conciliare aliquam operi gratiam potest; hic ille est, cuius insignia in rem literariam merita, iurisque sacri aeque, ac profani incredibilis scientia, dudum est, quod inuidiam superarint. Innocentii Cironii cui non notum nomen? quanta in eo viro antiquitatis notitia, quanta idiomatis tum Graeci, tum Latini facultas, quam acris in omni eruditionis parte ingenii acies, quam insignis doctrinae vbertas fuerit, cum omnia, quae exstant, eiusdem opera, demonstrant, tum vero in his obseruationum libris nescio quomodo se ipso videatur euasisse superior; ita erudite, ita studiose, ita ornate elaborati sunt, vt cum summe semper, nunquam satis laudari queant; sane, vt erat vir praecellens inprimis, & acutus ingenio, intellexerat is, insignem esse in vtroque iure huius generis commentationis vtilitatem. Enimuero in iure ci-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0221
DFG

uili multa exstant summorum virorum praeclara opera, quae, vt quisque optime sentit, summo studio voluit, neque minore cum vtilitate, atque haud scio, an non maiore commendatione, atque illos ipsos ingentis voluminis iisdem de rebus commentarios, quorum ego quidem optimum quemque, vt par est, magni facio, sed ita, vt illis nunquam anteponam, saepe etiam posthabendos iudicem. Eccur enim summi viri tanto studio in vulgandis illis, siquos aliquando diuturnitas temporis frequentiae hominum subtraxit, adlaborarent? Vtilitas nimirum ingentes animos mouet; haec vna cogitatio clarissimum virum CAR. ANT. MARTINIVM iuris naturalis & institutionum professorem nuper perpulit, vt EMVNDI MERILLII obseruationes dignum autore suo opus in vulgus emittendas curaret; idem nobis erat consilium amice lector! quod spero, boni consules. Equidem cum omne emolumentum, quod maximum ex opuscuili huius lectione in te redundabit, scias te vni illius auctori debere, illud quoque gratus fateberis, eorundem euulgatione hac factum esse, vt citra molestiam in libri vtilissima lectione decurras. Edidit quidem easdem Cironii obseruationes Ienae 1726. 4to IO. SALOM. BRVNQVELL I. V. D. curiae prouinc. Saxon. aduoc. ordinar. eique editioni dissertationem *de vtilitate ex historia atque antiquitatibus sacris in iurisprudentiae ecclesiasticae studio capienda* praemisit, elegantem sane; sed vt a viro protestante profectam acerbam nimis, & odio plenam; quam cum integram apponere nequeam, orationem meam de iuris canonici amoenitate praefigendam duxi:

ORA-

ORATIO
DE
AMOENITATE IVRIS CANONICI.

Est ea, commilitones, non paucorum, qui ad hoc iurisprudentiae ecclesiasticae sacrarium accedunt, praematura nimis opinio, quae in eorum animis penitus iam insedit, vt nescio quam difficultatum legumque aliarum super alias coaceruatarum farraginem sibi effingant animo: nihil grati, iucundi nihil in hoc praestantissimo aequi boniqueſtudio inueniri posse existimantes, quod asperis vndequaque spinis circumseptum innumerisque pene impeditum subtilitatibus, atque ipsa rerum multitudine odiosum videri non possit. Equidem reperiri facile nemo potest tantus bonarum artium obtrectator, qui suam huic quoque disciplinae dignitatem, suam, quam in omnem late rempublicam diffundit, vtilitatem non lubens concedat; haud exiguus tamen eorum est numerus, qui, quam vtilem hanc scientiam, tam esse ab omni amoenitate seiunctam contendant; quo fit, vt, quos insignis huius scientiae vtilitas, seu etiam necessitas ad sacrae Themidos penetralia inuitat, illos horrida quaedam de huius studii asperitate animo efformata species aut absterreat omnino, aut saltim a proposito laude digniſſimo magnopere retardet.

Ego vero tantum abest, vt iniquissimo horum iudicio subscribam, vt in alia etiam omnia iam dudum abierit ani-

mus; penitusque sibi persuaserit praeclarissimum hoc, cuius nos sacris addiximus, iuris ecclesiastici studium non tantum suorum, quibus communis populorum felicitas innititur, emolumentorum vbertate, sed vel ipsa, qua sui amantes demulcet, suauitatis copia ita sese commendare, vt, si etiam vtile a dulci separare libeat, omnibus tamen appetendum videri possit.

Intelligitis, opinor, commilitones, cum duplici hominum genere rem mihi hodie futuram; quorum vtrum reformidem vehementius, incertus sum animi; alterum quidem eorum est, qui ita sunt delicati, ita innutriti illecebris, ita ab omni non modo labore, sed laboris etiam imagine alieni, vt ne leuissimam quidem ferre molestiam possint; alterum vero, quod ego quidem multo priore illo grauius mihi fore iudico, eorum, qui nec inutilem hanc scientiam, nec horrenti quodam obsitam squallore, sed ita pulchram, ita hilarem, ita plenam iucundissimae honestatis existimant, vt vitam sibi sine hac nullam esse fateantur. Horum ego virorum expectationi, qui facere satis queat, facile prospicio insignem oportere oratorem esse, & memoria praeditum singulari, & ingenio praestantem, atque exercitatum in dicendo; qua quidem re factum est, vt, cum in principio facilem mihi viderer, atque expeditam nactus esse prouinciam commendandi ac celebrandi eam artem, quam vobis omnibus in amoribus esse, ac deliciis constaret, multa nunc menti occurrant alia, quae me quietum esse, ac securum animo non sinunt.

Enim

Enimuero quum ad vos, qui artis huius dignitate, ac pulchritudine ita estis incensi, vt omnes cogitationes ab aliis ad hanc vnam disciplinam videamini traduxisse; ad vos, inquam auditores, quum me verba facere considero, tum & eorum, quos paulo ante honoris gratia dixi, virorum miram eruditionis varietatem, acumen ingenii, rerumque omnium insignem experientiam ad mentem refero, haec me cogitatio paulisper commouet, quod in tanta rerum pulcherrimarum vbertate, tanta materiae copia necesse sit, vnicuique multa in mentem venire: fieri autem me hercle! non potest, quidquid cogitant omnes, vt vnus dicat; ita fit, vt pro suo quisque captu, quid ipse dicturus fuisset, cogitet, reliqua fastidiens, hoc auide expectet: quamobrem euenit denique, vt quidquid dixeris, videaris omisisse praecipua; iam prope feliciores vt esse mihi persuadeam eos, qui ieiuno quodam, ac sterili in argumento versantur, quippe in quibus si amplius exspectatione dixerint, id ingenio tribuatur, sin' defecerint orando, materiae sterilitas ieiunam orationem facile excuset. Verumtamen huius ipsius rei recordatio facit, vt magnam mihi esse in benignitate vestra spem sitam existimen; neque enim ignorare potestis, non posse profecto in tanta disciplinae huius vbertate fieri, vt quis insigni licet praeditus dicendi facultate, pari ingenio, verborumque copia non minore, non dicam assequi dicendo, sed memoria complecti omnia queat.

Sed & illis, quos insitus huic studio squallor terret, respondendum est. Quamquam non ignorem, eius generis

neris hominum esse has querelas, qui laboris quadam impatientia nunquam vltra corticem prugrediuntur, quos ego quidem magno animo contemnendos potius, quam flectendos oratione existimauerim, quia tamen constitutum mihi est cum illis certamen, propemodum ipsi quoque animum terrent. Ecquis enim ignorat, quam sit arduum, insita penitus atque inueterata animis iudicia euellere, inque aliam reluctantes partem flectere dicendo; licet enim recte laudari existiment omnia, quae ad amplificandum honestarum artium studium atque ad excitandam in hominum animis alacritatem pertinent, illud tamen reliquum est incommodi; quod dum omnes promiscue disciplinas iisdem pene adfici laudibus vident, fit, vt in vulgus eleuetur omnium auctoritas, &, vt, quoties quis de quacunque arte quidpiam honorifice ac splendide dicere adgressus est, ita eum loqui opinentur homines hac mente praediti, non quod ita sentiat, sed quod eam tunc artem ornandam, celebrandamque susceperit, idem si tempus ferret, de alia dicturus. Quae quamquam in principio cogitantem me vehementer absterrere poterant, recedere tamen a consilio turpe putaui, dandamque potius operam, vt si minus ex animis eorum turpissimum errorem euellerem, id saltim intelligerent, non esse ita horridam iuris ecclesiastici tractationem, vt oblectare animum discendo non possit, neque tantis obnoxiam difficultatibus, quae aut superari industria nequeant, aut collatae cum vtilitate contemni.

Nam, si quod vno ore fatentur omnes, insignis quaedam est cum hoc studio coniuncta vtilitas, satis erit opinor

doce-

docere, insignem quoque delectationem ex hac ipsa iuris pontificii vtilitate nasci: qui enim fieri possit, vt pulcherrimos suauissimae voluptatis fructus disciplina illa non progignat, quae, dum vitiorum omnium semina, causasque eorundem peruestigat, horrorem quendam in ea non minus, quam in virtutes amorem excitat: namque si turpe est, in errores labi, si iucundum, in veritatis luce versari, quid de illa disciplina sentiendum existimatis, quae non minus in detegendis illis, quam in constituenda hac solertissime occupatur? Cogitate hominem, commilitones, qui nunc primum sese cuidam vitae discrimini tempestiue subtraxerit, non vi sua, non armorum vsu; sed aut amici cuiusdam ingeniosa solertia, aut nescio qua machinatione inimicorum calliditatem eludens: homo hic, quid putatis, quanto studio, quanta coniunctione vitae suae fortunarumque omnium defensorem amicum amplexurus sit? non credo hac ei consuetudine iucundius quidquam posse existere; non casu vllo, non fortunae iniuria ab eius sese latere sinet auelli: ite iam, commilitones, considerate illorum, quorum mentes falsarum, ac inter se pugnantium opinionum caligo opprimit, miserrimam conditionem, an periculosius est vitae caducae, quam salutis aeternae subire periculum? perituro hoc corpore potius, quam anima exui? bonis his, quae, vt libitum est fortunae, crescunt, ac intereunt, quam illa olim felicitate, illa beatarum mentium consuetudine priuari? Profecto, quantum haec praestant illis, quam iucunda est vel recordatio eorum, tam amoenam esse

oportet eam disciplinam, quae, dum solida mentem veritate ab erroribus liberat; tanti periculi metum pari ratione remouet. Nam si summa quadam cum voluptate versari in eius generis negotiis videmus homines, quae nihil sibi aliud, quam lucrum & rei familiaris amplificationem tam incertam, quam laboris ac periculi plenam proponunt, quanto haec studio digna sunt, quibus parantur verae illae opes animi, quae non furto eripi, non incendio absumi queunt, quaeque certam, rectamque viam commonstrant, ad persequendum id bonum, quo caetera omnia continentur; profecto quemadmodum animus corpore, mens re nostra familiari, salus caducis rebus praestat, ita haec illis praeferenda esse negotia dubitare non possumus; eademque opera intelligimus, haec cuiuis pio animo tanti esse debere, vt vel isthaec respiciens speciem de hoc studio concipiat & vtilitatis, & suauitatis singularem.

Sed quoniam haec vel ita comparata sunt, vt ab instituti nostri ratione nimis remota videri possint, vel ita patent, vt nullius vel mediocriter in hoc studio versati scientiam subterfugiant, silentio ista praetereo, quae sunt longe maxima. Ad ea properandum est, quae studii huius amoenitati videntur officere, dandaque inprimis opera, vt, quibus seu maleuolorum hominum inuidia, seu in hoc bonarum artium genere hospitum audacia suam huic iuri gloriam dubiam facere conantur, quid possit responderi commode videamus.

Ne-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0228
DFG

Negant amoenam esse eam disciplinam, quae incondita quadam, ac delicatioribus auribus prorsus ingrata vtatur pertractandi methodo; quamque miserae vbique distinctiones, & infinita pene canonum obsideat cohors, in qua omnia passim iura ita confundantur, vt labyrintho cuidam, ex quo te expedire ne Medea quidem duce possis, simillima videatur; in qua denique, cetera si absint omnia, ipsa illa medii aeui dicendi barbaries ita insolens est, vt ferri ab homine ingenioso nequeat.

Impudentes sane aut Zoili cuiusdam aut crassae Mineruae filii vociferationes! quid est enim in omni hac iuris specie non pulchrum, non sublime, non studiis cuiusque dignissimum? nisi quorundam fortassis interpretum turpissimas hallucitationes ipsius esse disciplinae vitia putetis; cedo enim vel vnam illius partem, in qua vberrimae vtilitati summa doctrinae elegantia, ornatusque non respondeat? Enimuero, si eisdem, quibus hoc, quo vtimur, iuris canonici corpus, limitibus circumscribi hanc nostram iurisprudentiam putatis, oppido fallimini; amplum habet illa, multoque, quam quidem vulgo existimatur, patentiorem, in quem excurrit, campum, eruditionis omnis fertilissimum. Quidquid sacer ille bibliorum codex, quidquid relicta SS. patrum posteritati monumenta complectuntur, ea omnia huic vni disciplinae famulantur: constitutiones principum siquid habent auctoritatis, quam profecto habere debent maximam, ad ro-

borandam eam confirmandamque totum impertiuntur: denique illud ipsum ius, quod ex natura nostra hausimus, feliciſſimeque expreſſimus, ea cura conſectatur, vt, ſi ea, quae ad mores hominum ſpectant, intuearis, nihil omnino reperias ab inſtitutis eius alienum. Horum autem omnium, quid eſt, quod aut ingratum cuiquam, aut minus iucundum eſſe videatur.

Qui diuinos codices, ſicut aeternam & nudam prae ſe ferunt veritatem, ita quoque hominum mentibus potius, quam ſenſibus adcommodatos videri iudicat, haud ille quidem me habebit admodum reluctantem; ſic tamen exiſtimo, e libris omnibus, qui in manibus noſtris verſantur innumeri & facundia praeſtantes, & orationis quodam veluti flumine redundantes, nullum reperiri, in quo eloquentia, & illa flexanima, omniumque artium regina oratio ſit aut purior, aut ſimplicior, aut naturae magis conueniens. Enimuero hic ipſe Deus animos noſtros mouet, inflectitque voluntates, dum alieno ore nobis colloqui non dedignatur: quid? quod nihil etiam deſiderari poſſit in iis, quod alere cupiditatem legentis queat: ſi enim doctrinae integritas, ſanctitasque te mouet; vbi quaeſo reperias legem ſanctiorem illa, quam ſapientiſſimus ille Moyſes non a Ioue quodam commentitio, vt Minos, non ab Apolline, vt Lycurgus, non ab Egeria, vt Numa, ſed ab eo, qui ſolus veri Dei nomine cenſendus eſt, ſibi per manus traditam accepit, ita numeris omnibus

ab-

absolutam; vt nihil neque adiici, neque detrahi, neque immutari possit: eat nunc Lucianus aliquis, perfricet frontem, & dicat vllam esse legem, quae cum hac lege vel aliqua ex parte possit comparari. Si poeticis modulationibus aures permulcere meditaris, quis vnquam ita in hoc genere excelluit, vt cum Dauide comparatus non sordeat, nisi forte Orpheum, Homerum, aut Pindarum aliquem de leuissimis plerumque nugis verba fundentes audire praestat, quam illum Deo acceptissimum regem nunc Dei laudes plena hilaritatis oratione referentem, nunc eius auxilium in summis difficultatibus implorantem, nunc insectantem improbos, nunc probos commendantem, nunc ea, quae multis postea seculis contigerunt, ita subiicientem oculis, nullus vt ea Appelles in tabula pulchrius exprimere potuisset: si historiae cognitione duceris; vnde veriores, vnde scitu digniores historias, quam ex sacris literis, repetere poteris; an vero suauius est, cognoscere, quid Croeso in Medos, quid Pyrrho in Romanos expeditionem paranti responderit Apollo, quam quid Moysi ad Pharaonem, quid Samueli in Philistaeos proficiscenti perspicue Deus ipse retulerit? quomodo Regulus a Carthaginensibus, quam quomodo seruator humani generis Christus a Iudaeis omni suppliciorum genere diuexatus fuerit? Iucundiusne, aut fructuosius arbitramur intelligere, quibus artibus Assyrii, Persae, Romani ceteras nationes deuicerint, quam quibus augustissimi illi religionis nostrae principes aliique deinceps innumerabiles eorum secuti vestigia Christianae

ditionis terminos ampliauerint. O miseros, si qui harum rerum suauitatem, fructusque non sentiunt! contra vero o ter quaterque beatos! quorum ita est adfectus animus, vt nusquam suauius quam in his studiis conquiescat.

Ipsis autem piissimorum illorum, qui hanc nostram religionem seu voce, seu calamo, seu multo magis praestantissimis virtutum exemplis feliciter illustrarunt, virorum scriptis, quid aut varietate vberius, aut maiestate excelsius, aut venustate ornatius, aut ad oblectationem plenius dici vel fingi potest? Hoc est bonorum omnium tot seculorum vetustate confirmatum iudicium, quo & ob morum sanctitatem, & doctrinae integritatem, orationis veracitatem, ingeniique diuinum acumen eccleſiae patres ab ipsis eccleſiae acerbissimis hostibus compellantur: ita plane, vt, dum Hieronymos, Chrysostomos, Augustinos, Ambrosios, Leones voluis, dubium videantur reliquisse, vtrum differendi subtilitate, an orationis elegantia; doctrinae sanctitate, an magnifico sententiarum, verborumque adparatu; mirifica sermonis pietate, an comto dicendi genere sibimet ipsis videantur praestitisse.

Quid iam de illius iuris amoenitate dicam, cuius, quum non ab humano profectum consilio, aut simile eorum, in quibus multa inepte, ac ridicule, nonnulla etiam impie, ac nefarie sancita reperias, sed quod ab illo huius vniuersitatis

pa-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0232
DFG

parente atque opifice Deo in omnium hominum animos impressum, cuius quum a recta ratione suam originem trahat, adcuratior inuestigatio non poterit non grata accidere iis, quos ipse sanae rationis vsus ab infima brutorum sorte secernit; nouit illa quidem vulgarium voluptatum illecebras partim puerilium oblectamentorum similes esse, indignas non modo, quas consectentur, sed quas respiciant viri, partim cum dedecore, ac turpitudine coniunctas; at habet alias ex sese proprias, ac perpetuas voluptates, easdemque sinceriſſimas, ac nulla ne minima quidem molestiae permistione contaminatas, quas ex ipsa virtute & honestis actionibus capit; iis fruitur, iis mentem pascit, iis se oblectat; eas solas caras, ac iucundas habet: profecto, quum ille auctor naturae Deus nihil nobis mente, id est, ratione praestabilius dederit, quis est, qui in iis, quae recta ex ratione fluunt, legibus euoluendis non lubenti animo, non summa cum voluptate desudet? Ego vero etiamsi praecepta virtutis quamlibet multis obstructa difficultatibus forent, laborandum tamen, & sudandum, & nunquam nisi eis cognitis, ac comprehensis acquiescendum putarem. Neque vero illud scientiae nostrae quidquam detrahit, quod saluberrimis principum legibus ad nostri iuris seu necessariam defensionem, seu vberiorem declarationem vtamur. Est enim ea amborum iurium ciuilis & canonici indoles & natura, vt mutuis se inuicem sustentent viribus, & communi quodam velut amicitiae seu etiam adfinitatis vinculo contineantur: ruere hoc non potest, quin &

il-

illud eodem labefactatum lapsu concidat; & quemadmodum nimis exquisita legum ciuilium subtilitas haud raro canonum aequitati concedit, ita quoque hi summorum imperantium, qui pulchro ecclesiae propugnatorum gaudent titulo, constitutionibus adiuuari non erubescunt: neque tamen inde vllam iurium confusionem, vllam aut communi vtilitati pernicioſam, aut discenti ingratam nasci obscuritatem necesse est.

At ipsa canonum plurimorum multitudo adeo est implicata, vt pulchrum illud, amoenumque, quod bonis artibus insitum est, amittat? Sit ita sane; reperiantur nonnulla etiam minus clara, id quod fieri pene necessum est in tanto canonum numero; sed opitulantur nobis praestantissimorum virorum ingenia, quorum maxima in canonum istorum interpretatione dexteritas, profundissima legum scientia, summaque in iisdem custodiendis religio immortale apud omnes encomium pridem promeruere: hi, dum dubia canonum aut legum verba non pro vana interpretum libidine in alienos sensus detorquent, sed ad ipsam legislatorum mentem diiudicant, imprimis efficiunt, vt suus sacratissimis principum institutis vigor, sua summorum pontificum decretis voluntas illibata persistat.

Quod autem obiiciunt, tristibus vndique distinctionibus obsideri omnia, barbaroque dicendi genere corrumpi, vtinam id quidem esset tale, vt inficiari liceret; est enim acerbissi-

bissimum, negare non posse, quod sit turpissimum confiteri; sed quoniam iis, quae omnibus nota sunt, fidem abrogare dementiae est, non nego, verum esse, quod obiiciunt, tantum deprecor, ne propter temporis aut etiam hominum quorundam vitia res ipsa in inuidiam reuocetur; pridem iam tristissimis illis distinctionibus igne & aqua interdictum est; asperaque illa & ad terrorem optimae iuuentutis inuenta vocabula in vltimam, vnde profecta sunt, barbariem relegata, quibus superiorum annorum decursu peripateticae & scholasticae philosophiae parentes pulcherrimum sapientiae studium, quin ipsam hanc sanctissimam iurisprudentiae partem doctorum seu inscitia seu inertia deprauabant; dudum effectum est, vt non iam Bartoli aut Panormitani cuiusdam corrupta docendi methodus regnare in scholis, sed noui quidam Tullii suis e cineribus exstitisse videantur, atque adeo, dum studium hoc nostrum ex suis ita deriuant fontibus, vt siquid etiam asperitatis in eo residuum sit, id nitido & ipso rerum singularum ordine distinctoque docendi genere mitigent, ac quasi permulceant; qui queri iam poterit iure quispiam, ingratam hanc disciplinam esse, aut suis cultoribus non amoenam, a qua omnia illa maxima cum sollicitudine resecantur, quae horridam quandam sui speciem animis possent obtrudere.

Sed sunt & alia, quae proprium quendam suauitatis odorem spargunt, iuris huius praesidia & ornamenta, quorum longe pulcherrimum est sacra illa temporum historia, quae dici vix potest, quid suauitatis, quidue voluptatis ha-

beat: omnia hic conſpirant; ſiue rerum geſtarum magnitudinem, ſiue ſcriptorum auctoritatem, ſiue denique genus ipſum dicendi ſpectes; quae ibi narrationum varietas? quae dignitas? quae verborum, quae ſententiarum grauitas? At ingenii commenta, at phalerae abſunt? non nego: ſed neque amat hiſtoria genus id orationis, & veritas ſuo nitore ſplendet: plana conuenit narrantibus dictio, qualis fuiſſe Thucydidis dicitur, iam ſi rerum, quae narrantur, praeſtantia gratiam hiſtoriae conciliare poteſt; quam dulcis eſt naſcentis eccleſiae memoria? quam grata illorum, quae ſub auſpiciis Chriſti, & ſummorum in terra praeſulum vigilantia cepit, incrementorum recordatio? quam felix per vniuerſum orbem propagatio? quam iucunda illarum viciſſitudinum commemoratio, quae omnem huius ſacrae reipublicae ſtatum ſub tot barbarorum imperatorum imperio varietate diſtinxerunt? Et ſi in rebus humanis nihil eſt ſuauius, nihil naturae noſtrae conuenientius, quam ſimplex, & ſine fuco fallaciaque veritas, quis eſt, qui hanc vſquam tutius, quam in ſacrae hiſtoriae monumentis reperiat? Eſt ſua, non inficior, iuris ciuilis hiſtoriae ſingularis prorſus amoenitas; complectentis ſtatus veteris Romani originem, fata, progreſſus, iurisque, cuius ſplendor nobis plane Germanicae originis nationibus illuxit, auctoritatem pro omni temporis diuturnitate non ſine magna legentium voluptate exhibentis: ſed ita tamen comparata eſt haec profana hiſtoria, vt infelici ſane ſuo fato in auctores & ſcriptores inciderit eos, quorum mirum quam paucos reperias, qui fidem plene faciant, nam ſi antiquiores illos

co-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0236
DFG

cogites, ecquis eorum est facile, quem illa fabularum tenebris implicata primorum seculorum ruditas non abripuit, tum praesertim, cum de nationum singularum originibus agitur? Vix vlli sunt in Europa populi, qui vel ab Hectore, vel ab Hercule, vel a Deorum aliquo se profectos esse non iactitent? Idololatria autem, quas non superstitiones, quae ludibria prodigiorum in legibus etiam condendis non edidit? Herodotus, qui Tullio teste, princeps hoc genus scribendi ornauit, eodem teste innumeras attexit fabellas? Diodorus quam in multis suspectus? Tacitus, qui primas tenere creditur, nemo tamen negat, quin ipse etiam varios saepe, incertosque rumores exploret, vt vel ex primis paginis perspicuum est. Non dicam hoc de omnibus; at quam multi sunt praeterea, quos rerum gestarum ignoratio ita excoecauit, vt non possent; quam multos aut libido quaedam, aut pessima principibus suis adulandi solertia ita in transuersum egit, vt non vellent prodere veritatem; Procopius sane luculentum nobis testimonium exhibet & adulationis turpis, & priuati odii, de quo quid dici amplius possit, quis ignorat vestrum? auri sacra fames, aut praemiorum non vana spes, quam multos remouet a vero? quam risu dignum est legere non nunquam Thersytem praeferri Achilli, aut pygmaeum quendam Herculi, non defuit Neroni Pallas, nec Isaurico, qui eum laudaret, nec Constantino, qui vituperaret: metus autem, aut partium studium, posteaquam scriptoris animum concussit, quis nescit, quam obsit scribendae veritati? Iam de suspicionibus profanae historiae scriptorum

quid dicam? quae, mirari satis non possum, quam frequentes sint apud nonnullos, qui vel inde sagacitatis gloriam & laudem captare videntur; qua audacia sua somnia proferunt? perinde vero; atque si forent Apollinis cuiusdam aut Sibyllae oracula; sed dum ita temere diuinant, vt vel inde diuini videantur, humani aliquid patiuntur. Et vero ridiculum est, adfingere Augusto eas cogitationes, quae nunquam illi in mentem venerant; imponere Constantino ea consilia, de quibus ne quidem per somnium cogitarat; Carolo magno illum animum tribuere, quem nunquam habuit; easque Ottoni magno expeditiones adscribere, quas nunquam decreuerat suscipere.

Non ita misere cum historia ecclesiastica actum est; quae, quum eorum plerumque virorum opera nobis exarata, quorum neque iudicandi vim fabulosa antiquitas (quamquam in ecclesia quid vnquam fabularum fuit) neque integritatem fidei seu metus poenae, seu praemii infregit spes; quosque non minor vitae sanctitas, quam altior quaedam ab ipso diuino spiritu indita sapientiae lux illustrauit, tam iucunda esse debet omnibus, quam ipsam veritatis inuiolata integritas vbique commendat. Equidem haud iuero inficias, esse inter eos etiam, qui huic negotio dederunt operam; quorum alii nimiam temporum illorum credulitatem oleant; alii certis partibus plus aequo faueant, & plures quoque nulla testium & traditionum fide nixi mirum quantum a vero deuient, at enimuero nihil peraeque facile est, atque horum

viro-

virorum hallucinationes detegere; ita enim fere comparatae sunt; vt aut nullo, aut a suspicione falsi non immuni testimonio nitantur; caeterum vero quis neget, historiae omnis miram esse voluptatem, digniſſimumque in ea versari ingenioso homine genus oblectationis?

Iam si nec sacra scriptura iucundius quidpiam, nec SS. patrum monumentis illustrius; nec S. historia amoenius quidquam cogitari, ac nec fingi quidem potest; quid de iurisprudentia nostra dicamus, quae his ipsis rebus tota constat? Desinant igitur, desinant ignariſſimae mentes disciplinam hanc contemnere, quam summi ingenio, eruditioneque viri in deliciis habent, quacum, siue doctrinae integritatem, praestantiamque, siue auctorum illustrem famam, & coniunctam cum summa pietate insignem sapientiam spectes, comparari profecto nulla potest.

Sed enim videor hoc mihi loco audire calumniatoris iniquiſſimi impuriſſimam vocem, quam cum audio, horret animus futuram pessimi ominis memoriam, indignaturque malignae turpitudini, quid sibi iste vult, inquit, iuris pontificii amoenitatem immeritis laudibus vsque ad aethera extollens? quid est in eo, quod non ipsa rerum, quas commemorat, indignitate sit odiosum? de religione hoc ius, quod adeo praedicat, diuinitus reuelata vbique multa: numquid opus est talem comminisci, dum non desunt illae morum regulae, quas Deus ipse ad mutuam vitae felicitatem humanis menti-

bus implantauit. De ſummorum pontificum primatu, de eccleſiae cuiusdam vsque ad finem huius vniuerſitatis duraturae ſtabilitate, de ſacrorum bibliorum auctoritate, de miniſtrorum eccleſiae praerogatiua magna contentione plurima differit; vnde amabo haec cuncta ita certa comperimus, vt pariter ac dicuntur, negari non poſſint? a prophetis ſcilicet; apoſtolis; ſanctis patribus accepimus? At horum quis vltra ſortem vulgi ſapuit? Denique quanto riſu digna ſunt omnia, quae de felicitate perenni; de beatitate futura dicuntur; quis quaeſo eorum vnquam, qui hac vita exceſſerunt, teſtis rediit? quis; ſitne quaedam & qualis illa poſt obitum ſuperſtes fauſta, ſeu funeſta conditio mirantibus auribus narrauit? Sinite hic commilitones! (eſt enim doloris mei infinita quaedam magnitudo) vt paululum indulgeam moerori meo: eſt ſcilicet quandoque etiam flere voluptas, & incluſus pectore dolor lachrymis egeritur; O tempora! quid iam ſeu ad infamiam veſtri apud eos, qui modo viuunt; ſeu ad memoriam apud poſteros factum eſt reliqui? quidquid ignorantia, quidquid libido poteſt, quidquid temeritas, tentauimus; non religio, non ſanctitas loci, non legum vis a turpitudine, a ſcelere poteſt reuocare; videmus proh dolor! atque vtinam quidem quam pauciſſimos videremus, qui de auita religione, pro qua maiores noſtri ſaepe grauiſſima bella geſſerunt, ita cogitant, vt de miniſtris eius non multo ſecus, ac de hoſtibus patriae acerbiſſimis ſentiant; ſacra ac profana iuxta aeſtimant: religioſos conuentus tabernarum inſtar habent; inſania, mentisque aberrationes iudicantur, quaecunque aut

emen-

emendandae vitae, aut consectandae virtutis consilia proponuntur; quo fit, vt vitam agant omnium scelerum sordibus inquinatissimam; ita viuant, quasi mortalem hanc conditionem nulla perperam actorum poena, aut recte factorum immortale praemium esset excepturum. Hanc igitur hominum colluuiem, hanc morum pestem, cui nihil est, praeter suas libidines iucundum, quae fluxis vitae bonis ita inhiat, vt futurae perennis felicitatis omnem curam videatur abieciſſe: hanc inquam hominum turpissimorum colluuiem, quid in disciplina hac delectare possit, nullo pacto inuenio: non, non potest fieri, vt, qui rationi, honesto, religioni nuntium misere, quibus, si voluptates turpissimas demas, omnia reliqua sordent, auctoritate, doctrina, virtute, moueantur; quemadmodum enim nullo etiam delicatissimorum ciborum adparatu tanguntur ii, quorum corpora graui quadam morbi contagine languent, ita iuris quoque nostri amoenitatem non sentiunt illi, qui criminum torpore adfecti ad ipsum sacrae iurisprudentiae nomen cohorrescunt.

Non ita commilitones, meminerimus nos esse reipublicae ciues, sit cara nobis patria, sint sancta principum iura, at sit non minor in ecclesiam reuerentia, inque religionem tot summorum virorum cultu illustrem pietas: pergite Christi vestigiis ad normam praescriptam nobis ab eo, eiusque in terra ministris fideliter insistere; perfruamini voluptate illius disciplinae, quae nos officia docet hominis, qui se Christi militiae addixit.

Ve-

Verum tamen videte commilitones, vt ne, dum Scyllam vitare contenditis, in Charybdim deuehamini: datur enim & aliud hominum genus, quod seu turpi excoecatum ignorantia, seu nimio quodam pietatis aestu abreptum, dum ecclesiam & religionem se defendere putat, in sacratissima principum iura inuolat: quod, licet tot tantisque summorum imperantium beneficentia priuilegiis munitum sit, in horum beneficiorum auctores ingratum existere non veretur: quod diuini illius praecepti immemor, quo Christum iussisse legimus, Caesari reddenda esse, quae Caesaris sunt, & Deo, quae Dei sunt, plurima religioni, quae illa sibi non vendicat, asserere, Caesari vero alia, quae ad eius maiestatem pertinent, detrahere non dubitat: quod denique diuersissima vtriusque potestatis iura ita confundit, vt aeterna veritas minus considerate pronuntiasse dicenda esset, dum regnum suum non esse de hoc mundo clarissimis verbis testaretur. Hos igitur ingratos prorsus in tam beneficos principes clientes, hos minus sinceros sanctissimae Christi doctrinae interpretes non minore solertia quam superiores illos fugiatis: fugite hoc hominum genus, quia sub specioso pietatis & religionis praetextu incauta credulorum ingenia fallit, & inducit: fugite, quia eam sibi auctoritatem arrogat, vt potestati ciuili se totum subtrahere iniustum haud esse arbitretur: fugite, quia dum in ecclesiam in religionem pium videri vult, in principem impium existit, fugite, inquam comilitones, turbam hanc periculosam, eosque vobis duces proponite, qui vtramque sacram & politicam potestatem ab eodem fonte, diuina scili-

cet

cet prouidentia deriuant; qui vtramque ſupremam & a ſe ſe inuicem diſtinctam adſerunt, qui in tradendo iure ita verſantur, vt neutram laedant, cuique tribuentes, quae aut recta ratio aut doctrina diuinitus reuelata eſſe tribuenda docet; non vana cogitandi libido, non artis ſophiſticae ludibria, non fucus aliquis religionis hoc loco valeant; verum ita verſandum eſſe in hoc iure boni omnes iudicant, vt quidquid dixeris in aliquo eorum, quos laudauimus, fontium euidenter comprehendatur.

Quod ſi ita comparatum eſt ius eccleſiaſticum commilitones, vt & fontes limpidiſſimos, & alia multa, quae ipſa non poſſunt non eſſe iucundiſſima, quibus muniatur, praeſidia habeat, vt amoenitate quadam legentes delectet, vt ſeu calumniatorum inuidia, ſeu ignorantium imperitia nequidquam dentes ſuos in illud acuat; quid dubitatis, omni opera, omni induſtria, tota animi viriumque contentione in hoc pulcherrimum ſtudium incumbere? Quod vtilius opus, quod aut dignius iuuentutis veſtrae flore, aut cum vtilitate cuiusque veſtrum coniunctius, aut cum reipublicae tum ſacrae tum profanae felicitate arctius connexum ſuſcipi queat, non video profecto; de officio Chriſtiani, eiusque ſapientis viri nihil dicam, cuius praecepta ſiqua alia, in hac ſane diſciplina iuris eccleſiaſtici, caſte atque integre tradita reperias, nihil adeo ad felicitatem veram conſequendam hoc ſtudio opportunius, cuius cauſa quidquid eſt, agendum nobis, ſuſcipiendumque eſſe inter omnes conuenit.

Ego vero, si quid est in me ingenii, aut si quid iudicii maturitatem assidua in hoc literarum genere exercitatio attulit, illud omne in id conferam potissimum, vt diuinae huic scientiae tam magis magisque perdiscendae, cum vberius etiam excolendae, in omne tempus me deuotum esse velim; qui meus ardor, qui ad hunc vsque diem priuatis maxime parietibus concludebatur, hodierna vero luce publicum quoddam tenuitatis meae specimen prodidit, si tam felix fuerit, vt vestra multo maiora aemulantium studia ad imitandos non dicam meos, qui exiles sunt, sed aliorum, quorum diligentia in euoluendo hoc iure integerrime versatur, labores accenderit, tum demum & huius diei & huius mei sermonis fructum mihi amplissimum videbor consecutus.

INNO-

INNOCENTII CIRONII

DEDICATIO.

IOAN. BAPT. CIRONIO,

EQVITI, IN SENATV TOLOSANO

PRAESIDI,

ET

COMITI CONSISTORIANO

INNOCENTIVS CIRONIVS

S.

SPicilegium quod tibi do (Frater colendiſſime) ex tenui meſſe prodit: agrum litterarium diutius tecum ſerui & excolui, atque ab incunabulis ad extremos vſque annos, quibus viuimus, id negotium perduximus. Lucubrationum noſtrarum argumenta ſemper communia fuere, & ſiquid dignum laude, id tuae operae, conſilio, & induſtriae debetur. Non equidem hanc σαχυολογίαν magni facio, quam potius καξφολογίαν appellare debeo, cum nihil ex aſſidua noſtrorum

ſtudio-

ſtudiorum cultura praeter leues ſtipulas, paleasque tibi reddam. Sed quoniam nihil indignum eſt tuo amore & beneuolentia, magni pendis, quidquid tibi grato animo offertur. Plures huiusce noſtri laboris fructus exhibuiſſem, niſi maturior aetas, in qua verſamur, immaturos foetus amplius proferre prohiberet. Addo aduerſae valetudinis incommoda, & temporis ipſius iacturam, quam a viuendi, quem profiteor, modo, & a ſacri cultus obſequio, cui me deuinctum adſtrictumque penitus agnoſco, alienam eſſe exiſtimaui. Vale, & me ama. Quarto Id. Febr. M. DC. XLV.

OBSERVATIONVM IVRIS CANONICI LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

CRIMEN FALSI QVOMODO SIT CAPITALE.

CAP. *AD AVDIENTIAM* EXPLICATVM, *EXTRA DE CRIMINE FALSI*, CAP. *NOVIMVS, DE VERBORVM SIGNIF.* ET CAP. 2. *DE CLERICO EXCOMMVN.*

I.

In *cap. ad audientiam 3. de crim. falsi* apud GREGORIVM, VRBANVS III. falsi crimen regradatione, praesertim in falsariis diplomatum regiorum puniri iubet. INNOCENTIVS III. praeter poenam regradationis, & καθαιρέσεως, eos iudici seculari puniendos tradi vult, *cap. 7. eod.* Falsum est autem, quod quidam ex his capitibus inferunt, grauius puniri falsatorem diplomatum pontificiorum, quam regiorum, quod nunquam venit in mentem INNOCENTIO III. qui cum esset summus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0247
DFG

iurisconsultus hoc crimen maiestatis crimini affine esse, & idcirco capitale non dubitauit in *l. 2. ff. ad l. Iul. maiest.* & haec est magnitudo commissi, quam intelligit CONSTANTINVS in *l. 22. C. ad l. Corn. de falsf.*

II. Quid ergo? mens fuit INNOCENTII III. falsatores litterarum non tantum pontificiarum, sed regiarum quoque praeter regradationem seueriori poena plectere, quod cum nullis canonibus aperte fuisset definitum, ipse primus statuit in dicto *cap. 7.* vt satis ipsemet indicat in *cap. nouimus. de verb. signif.* his verbis, *in nostro decreto contra falsarios edito.* Nostrum vocat, quod primus statuerit, vt crimen hoc ad iudicem secularem remitteretur, quod nec ALEXANDER III. in concilio Lateranensi, *parte 126. c. 3.* nec VRBANVS III. fecerant. Antea quidem id statutum fuerat a CAROLO M. in suis capitular: vt ex Triburiensi concilio *cap. 30.* refert BVRCHARDVS, & GRATIANVS in *can. in memoriam. dist. 19.* in quo imperator falsi poenam ad legis Romanae definitionem reducit, quoties interpellatus fuerit ab apostolicae sedis legatis.

III. Hanc constitutionem sine dubio minus obseruatam renouauit INNOCENTIVS III. qui licet falsarios a poena sanguinis exemerit in dicto *cap. nouimus;* non tamen capitalem poenam prohibuit, quippe tradendo curiae seculari satis innuit reos falsi, poenis legum submitti: sed quia ecclesia horret sanguinem, intercessione vtitur erga iudices seculares; non tamen inde concludendum est omnem poenam capitalem excludi, quae quidem duplex est; vna sanguinis, quae mortem ingerit, *l. 2. ff. de poenis;* altera sine sanguine, vt est deportatio, quae tamen capitalis habetur a CALLISTRATO in *l. capitalium. ff. de poen.* quae fuit proprie poena falsi, *l. 1. in fine. ff. ad l. Corn. de falsf.*

IV. Omnis corporalis poena redolet capitalem, vt est perpetua carceris mancipatio, in dicto *cap. nouimus & cap. vlt. tit. de crim. falsi in prima compilat.* vbi agit ALEXANDER III. de arctissima custodia; & exilium, in *cap. 2. de clerico excommun.* Ex quo cap. colligendum est, quoties reus iudici seculari traditur, statim seueritati legum & poenis subiici, sicut haec verba demonstrant: *Et episcopus minime emendare potuerit, regis iudicio ad requisitionem ecclesiae exilio damnetur;* quae quidem valde sunt notanda, vt agnoscamus exilium esse iurisdictionis secularis, quia est poena capitalis.

V. Hoc

V. Hoc autem caput vix putem esse desumtum ex synodo Antiochena, in qua non reperitur, quamuis hoc notet inscriptio; equidem propositum & sensus reperitur in can. 5. dictae synodi, cum ait reum per secularem magistratum puniendum, vbi recte BALSAMO addit episcopos poenitentiam dare posse delinquentibus, non vero eos torquere, cum id ad locales magistratus pertineat, βασανίζονλας ἀπὸ τῶν πολιτικῶν ἀρχόντων, ANTONIVS AVGVSTINVS hoc cap. 2. desumtum existimat ex concilio Vernensi *can. 9.* quod non facile crediderim, cum nihil fere simile reperiatur; agit enim hic canon non de episcopo vel presbytero, sed de parochiano, qui emendare se nolit, vt tunc ad iudicem secularem recurratur: *Necesse*, inquit, *habet episcopalis autoritas iudiciali potestate adiuuari, placuit nobis vt missi dominici fideliter adiuuent.* Coniectura verior erit hoc caput concinnatum fuisse ex capitulis CAROLI M. vt iam supra didicimus BVRCHARDVM hoc egisse, & GRATIANVM in *can. in memoriam. dist. 19.*

CAPVT II.

BVLLA DIMIDIA.

I. Quid sit *bulla dimidia* apud INNOCENTIVM III. *1. registri epist 83.* ipsemet pontifex monet.

II. Quoties enim pontifex creatur, non solet litteras suo nomine inscriptas, sed tantum apostolorum Petri & Pauli vultibus insculptas ex parte vna emittere, ex altera vero sine aliqua caelatura vel impressione signi, vel nominis; donec consecrationis solennia perfecta fuerint, quod etiam demonstrat idem INNOCENTIVS III. *epist. 233. lib. 1. registr.*

CAPVT III.

TALEAE, INTERTALEARE, TAILLE.

I. In *capite 1. de sortilegiis*, vulgo male legitur *in talibus vel codicibus:* nec melius antiqua compilatio *in tabulis.*

II. *Taleas* sectiones lignorum, vel praesegmina VARRO interpretatur *1. de re rust.* vnde dici ait NONIVS MARCELLVS *cap. 8.* rustico vocabulo *intertaleare*, id est diuidere, vel excidere ramum ex vtraque parte aequaliter praecisum; alii clabulas, alii taleas appellant, inde nos *la, taille*, pro vectigali, quod aequaliter, & pro qualitate, & modo iugerum terrae exigi solet a principe; quia per taleas, surculos, seu tesseras, vnusquisque debiti sui certior fiebat, ἀπὸ τῦ θαλλῦ id est, a ramo, seu surculo: ex quo etiam sortes peragebantur, vt in apostolatu Matthiae factum fuisse referunt quidam in Acta *cap. 1.* qui tamen modus vulgo reprobatur in electionibus, *cap. vlt. de electione, can. non statim. 26. q. 2.*

CAPVT IV.
DE
MALEDICIS.

I. In *capite 1. de maledicis*, agitur de clerico contumelioso, & detractore contra summum pontificem: his verbis: *Quaedam in depressionem officii, & beneficii nostri protulit;* contra fidem antiquae compilationis primae, vbi legitur, *quaedam in depressionem & contumeliam Rom. ecclesiae.*

II. Aliud est detrahere pontifici, aliud ecclesiae; licet enim vtrumque crimen sit graue, ex eo tamen vindictam non admittunt canones pro iniuria, nisi ecclesiae honor, & gradus laedatur. Sic etiam impp. *in l. vnica C. si quis imperatori maledixerit,* vindicare sibi detrahentes nolunt, ita nec episcopi querelam mouere debent, sed id puniendum moderatori prouinciae relinquere solent, *l. si quis. C. de episcop. & cleric. Nouell.* IVSTIN. *123.*

CA-

CAPVT V.

SPALLA, FRISCINGA.

I. In *cap. cum venerabilis. de censibus*, INNOCENTIVS III. loquitur de *spallis*, quas prior S. Stephani episcopo Fauentino soluere quotannis consueuerat.

II. Quid sit spalla nullus notauit: nihil facilius, nomen est familiare significans armum: saepius enim seruitii nomine armi & membra ferarum, vel aprorum aut ceruorum praestari solebant. Hoc aperte demonstrat idem INNOCENTIVS in *epist. ad abbatem S. Mariae rotundae, lib. 13. Registri*, dum refert exactam fuisse spallam porci ob licentiam venandi. *Et quod ad abbatis*, inquit, *& partium instantiam syluam bannierant Rauennates, & qui venabantur in ipsa reddebant eidem singulis annis spallam porci, & cultores agrorum decimas, & gregum pastores certos reditus exsoluebant.* In veteribus diplomatibus abbatiae S. Sauini in episcopatu Bigerritano, scriptura comitis Raymundi. *Concedimus*, inquit, *in ipsa valle vt si quis porcum singularem, siue ceruum venando, ceperit quartam, siue spadlarem S. Sauino persoluat.*

III. Vulgo non spallas, sed friscingas dicebant, vt in *cap. 73. lib. 4. Capitularium* friscinga sunt pernae recentiores: sumuntur etiam & pro porcis adhuc tenellis apud Germanos, qui nondum ad iustum modum creuerunt: & apud nostros Occitanos effoetam suem, seu porcam *fraysse* vocitamus. Ita procurationis nomine solitum archiepiscopum Remensem exigere ab abbate sancti Remigii frescengias, constat ex *epist. 29.* ALEX. III. edita a SIRMONDO post epistolas P. CELLENSIS, quas quidem archiepiscopus pro quinquaginta solidis remisit. Nec tantum frescengia seu friscinga pro perna, vel armo porci, vel apri, sed etiam cuiuscunque alterius ferae vel pecudis sumebatur; etenim friscingae ouinae dicuntur in veteribus diplomatibus: & ita tam armus, quam perna friscingae nomen assumit; quippe aliquando delicatior armus quam perna. HORAT. *sat. 4.*

Faecundi leporis sapiens sectabitur armos.

CA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0251
DFG

CAPVT VI.

POENITENTIVM POENA, ET LOCVS. ACROASIS. FERVLA. SCALAE.

I. Antiquitus in ecclesia, poenitentium tempus varium fuit: aliquo tempore extra fores ecclesiae sistebantur, vbi flagris & verberibus caedebantur, & in cinere & cilicio volutabantur, *can. poenitentes. 50. dist.* Hic locus dicebatur προσκλαυσις. Deinde in porticum cum cathecumenis introducebantur, vbi sacrae scripturae & fidei dogmata eis exponebantur, qui locus dictus ἀκρόασις, seu *ferula.*

II. In his tamen quidam haeserunt, cur locus auditionis ferula diceretur, cum potius flentibus conueniret, qui extra fores remanebant, eo quod ferulae nomen satis demonstret castigationem & poenam, qua poenitentes plectebantur, hinc *ferulae minaces* apud COLVMELLAM & alibi. Quae ratio est, cur in *can. vlt. epistolae canonicae* GREGORII THAVMATVRGI reiecta versione Herueti loco horum verborum ἡ ἀκρόασις ἔνδοθι τῆς πύλης ἐν τῷ νάρθηκι, id est, *Auditio est intra portam in ferula*, in versione vulgari scriptum est, *in porticu*, νάρθηξ est ferula, flagellum, bacillus, & ναρθηκοφόροι *feruligeri* ex PLATONE apud POLLVCEM *lib. 10. cap. 46.*

III. Et quidem certum est in auditione poenitentes nullis verberibus affectos fuisse: ita vt secundum hanc significationem, ferula melius sumatur pro loco extra fores ecclesiae: sed verum quoque est, ferulam sumi non tantum pro castigatione, aut instrumento, seu sceptro paedagogorum, sed etiam pro ipso gymnasio, pro auditorio, vbi pueri edocebantur, quia ibi etiam ferula caedebantur. Sic domus pauperum oratorum vocabantur *scalae*, non quod semper inessent scalae; sed quia saepius tanta erat eorum penuria, vt coenacula habitare cogerentur, quorum aditus per scalas patebat. IVVEN. *Satir. 7.*

- - Rumpe miser tensum iecur, vt tibi lasso
Figantur virides scalarum gloria palmae.

Eodem

Eodem quoque sensu tenuiores scholae dicebantur *scalae*, & *pergulae;* vnde non abs re auditorium poenitentium dictum fuit *ῥάϐδος*, non quod ferulae locus esset, sed ad similitudinem scholarum, in quibus magistri ferulis vtuntur.

IV. Est & alia ratio, cur *ἀκρόασις* dicatur ferula: quia vt plurimum poenitentes eodem fere tempore & ante fores stabant, & deinde ad auditionem admittebantur, ita vt ad haec duo explenda saepius vnum & idem tempus sufficeret, vt constat ex *can. 12.* synodi Nicaenae, & *can. 4.* synodi Ancyranae.

CAPVT VII.
DE
LEGATIS SEDIS APOSTOLICAE, ET PALLIO.

I. Legati sedis apostolicae alii sunt, qui suarum ecclesiarum ratione hoc ius obtinent, *cap. 1. & 9. de officio legati:* alii sunt qui mittuntur in prouincia, & dicuntur missi: alii dicuntur legati a latere, *laterales,* apud IVONEM. Obseruare licet, quomodo aliqui praetextu ecclesiarum dicantur legati sedis apostolicae, vt sunt archiepiscopi Cantuarienſis, & Eboracensis in Anglia, dicto *cap. 1. & cap. 6. de iudiciis, cap. 1. de appellationibus.*

II. Putant quidam illos dici legatos sedis Romanae, qui acceperunt pallii honorem; tunc enim vices agere summi pontificis dicuntur, sicut archiepiscopus Cantuarienſis in *d. cap. 1. de offic. legati,* & Lundensis in *epist. 23.* ALEXANDRI III. edita a SIRMONDO, post epistolas P. CELLENSIS *in epist. 50. lib. 4.* GREGORII M. *vsum pallii,* inquit, *ac vices sedis apostolicae postulasti &c.* pallii siquidem datione plenitudo potestatis confertur, sed quae plenitudo? alia scilicet, quam legationis, nisi tantum iis, quibus ex priuilegio indultum est.

III. Sic olim episcopus Arelatensis hoc habuit priuilegium, vt constat ex *d. epist.* GREGORII, in qua eum sedis apostolicae vicarium nominat. Ita etiam D. BONIFACIVS Moguntinus archiepiscopus legatus Germanicus apostolicae Rom. ecclesiae dicitur *epist. 105. &*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0253
DFG

141. eiusdem Gregorii : quod priuilegium licet quibusdam eccleſiis fuerit indultum, egebat tamen confirmatione : vnde idem Bonifacius a Stephano papa electo idem ius poſtulat in epiſt. ad eumdem, quam refert BARONIVS *ad annum 752. num. 16.*

CAPVT VIII.

PANIS INTINCTVS, EMBAMMA,

ὑγρὸν, ὀξυβάφιον, σκευασὸν.

I. Iudam Iſcariotem cum ceteris apoſtolis corpus Chriſti ſumſiſſe antequam Dominus bucellam intinctam ei porrexit, aſſerunt cum D. AVGVSTINO alii theologi. Vetus error fuit buccellam illam corpus Chriſti fuiſſe, vt deprehendere licet ex *can. cum omne crimen, de conſecratione, diſt. 2.* & inde conſequenter quidam non ſolum ſacerdotes, ſed etiam laicos ad communionem ſub vtraque ſpecie admittendos eſſe contendebant.

II. Panis ille intinctus datus Iudae illis anſam peccandi praebuit, quod IVLIVS PAPA I. damnauit, & hinc inde mos diffuſus eſt ſub vna ſpecie communicandi propter ſacramenti reuerentiam, & ſcandali metum, quod oriri poterat, ſi populus ſub alia quam panis ſpecie communicaſſet, quamuis idipſum fieri poſſe nemo catholicus vnquam dubitauerit. Et quia ſemper fuerunt ingenia ſibi male conſcia, concilio primum Conſtantienſi, dum deinde Baſileenſi, & poſtremo Tridentino huiusmodi laudabilis conſuetudo confirmata eſt.

III. Sed cur intinctum panem Iudae Dominus praebuit, non aliunde quaeri debet, quam vt proditorem ſuum demonſtraret : vſus tamen fuit antiquo conuiuiorum ritu, in quibus veteres menſas duas ſtatuebant: primam ex lautiſſimis cibis & dapibus oppiparis; alteram ex lactucis agreſtibus, vnde MARTIALIS:

Claudere quae coenas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes?

IV.

VI. Hae lactucae melle vt plurimum condiebantur, vel etiam aceto, quod condimentum vocabatur ἔμβαμμα apud POLLVCEM, vel etiam ὑγρὸν apud HIPPOCRATEM, & DIOSCORIDEM, & ex eo embammate fruſtula panis intingebant, quae dominus conuiuii in ſignum laetitiae porrigebat. Iudaei hunc ritum obſeruabant pro amicitiae cultu & gratiarum actione fruſtulum panis coniunctim edentes; tum deinde poculum odii ſumebant, quo more Dominus in vaſculum condimenti panem & buccellam intinxit, quam Iudae proditori tradidit, Graeci hoc vaſculum ὀξυβάριον, vel ὀξυτάριον dicebant. Poſtremo coena peracta, vt D. Lucas refert, omnibus corpus ſuum tradidit, etiam ipſi Iudae. Vnde apparet, quam ſtulte errorem ſuum confinxerant, qui intinctum corpus Chriſti exiſtimabant.

V. Eſt autem embamma, acetum, quo intingebatur panis, non quidem ex vino, quod coacuerat, ſed factitio, de quo VLP. *l. 9. de tritico, vino legat. l. 9. de contrahend. empt.* σκευασὸν vocant Baſilica, vt eſt annotatum a CVIACIO *obſeruat. 27. lib. 15.* & ad *d. l. 9. de contrahend. empt.* IVLIVS POLLVX ponit pro ſalſamento *cap. 38. lib. 6.* Porro panis *intinctus* dicitur, qui valde tinctus, vt *inuinctus* valde vinctus, *l. penult. ſſ. vlt. ff. de lege Fabia & plagiariis*, & *incanus*, valde canus, apud CATVLLVM in epithalamio Pelei:

Cum cineri incanos ſoluunt a vertice crines.

& *inſanus*, valde ſanus apud HORATIVM.

CAPVT IX.

SCOTATIO.

I. Quid ſit *ſcotatio* in *cap. 2. de conſuetudine*, nondum liquido conſtat, quocirca pluribus vtendum coniecturis. Certum eſt Scotorum gentem hoſpitalem maxime, & valde peregrinationibus aſſuetam olim fuiſſe, vt tradit VALAFRIDVS STRABO *lib. 11. vitae S. Galli, cap. 46.* quae in Galliae ampla hoſpitalia & monaſteria aedificauit in capitularibus CAROLI CALVI, *tit. 23. cap. 10.* & in *can. 40.* concilii Mel-

denſis anni 845. & alibi, & ita magnis donis res eccleſiae auxit, quae liberalitas ideo forſitan dicta eſt *ſcotatio*.

II. Cui tamen opinioni repugnare videtur textus *dicti capitis 2.* prout integer legitur in 3. compilatione, in quo INNOCENTIVS III. hanc vocem ex Dacia, ſiue Dania deſcendiſſe demonſtrat. In quibusdam codicibus manuſcriptis legitur *ſcatatio*, voce forſan deducta, a verbo Germanico, *ſcatz*, ſiue *ſcaz*, quod pretium, munus & donationem ſignificat apud HINCMARVM REMENSEM in *miſſatico: Quicquid de rebus eccleſiae ſuae fecit & ordinauit, non per ſcaz, vel per propinquitatem, aut amicitiam fecit. Scatz* tamen melius notat pacem, & inde pignora, quae dantur pacis cauſa, dici videntur *ſcatz*, in epiſt. HINCMARI LAVDVNENSIS ad HINCMARVM REMENSEM *de Griuone; Quod Romam ipſum non pro alia re ire rogabam, niſi vt inde ſcatz mihi daret.* Confirmat hoc *additio 4.* Capitularium Ludouici *cap. 81.* lingua Theudiſca *ſcatz legi, id eſt armorum depoſitio.* Suffraganei archiepiſcopi Senonenſis magnam cum Germanis communionem habebant, immo & tota Germania cum Francia; adeo vt linguarum idiomata hinc & inde ſibi communicarent: quin & Sernones a Sueuis Germaniae populis oriundi ſunt, teſte STRABONE.

III. Non ego velim probari ſententiam doctiſſimi olim anteceſſoris Toloſani, qui ſcotationem dictam putauit, quaſi *ſcultationem*, & ſcultationem pro cultatione, eo quod ſaepius donationes fierent per glebae iniectionem, quae cultello eruebatur; quia, vt notiſſimum eſt donationes piis locis variis modis fiebant per cultellum, feſtucam nodatam, guantonem, guarraſcionem terrae, ramum arboris, vt patet ex donatione Mathildis reginae GREGORIO VII. facta apud BARONIVM, *Anno 1102. cap. 20.* & Anonymum *lib. de miraculis S. Benedicti, cap. 4. Acceptis eius fideles huiusmodi praeceptis cum vuantis; guantis ipſius auro ornatis, per quos donationes memoratarum rerum ſacris imponerent altaribus, abſque dilatione adeunt coenobium.*

IV. Propius accedit, vt *ſcotatio* deducatur a voce Scotica, quaſi dicatur *ſcoticatio*: ſiquidem *ſcotica* foſſorium vocatur *in veteri Gloſſario Arabico-Latino*, eo quod circa codicem terram aperiat. Damnatur haec opinio maxime, quod *ſcotatio* ſit vox Danica, & conſequenter a cultro, vel cultello deduci non poſſit.

V. Ad-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0256
DFG

V. Addi etiam potest scotationem dictam, quasi *scultellationem*, quod in scutellis summa donationis scriptae reposita conferretur. ANASTASIVS in Bonifacio II. *Hic presbyteris, & diaconibus, & subdiaconibus, atque notariis scutellas de hereditatibus adeptis obtulit*, sed haec nihil faciunt pro rationibus iam adductis.

VI. Omissis igitur his & aliis omnibus, certius est, scotationem idem esse quod *scottum*, significans censum, tributum, pretium aliquod apud ROGERVM in *Wilelmo iuniore: Omne;* inquit *iniustum scottum interdixit*: Sumitur & pro collecta apud MATTH. PARIS in edicto Ioannis; *Nullus*, inquit, *forestarius, vel budellus faciat de cetero scotum interdixit*: Sumiiur & pro collecta apud MATTH. PARIS in edicto Ioaenis; *Nullus*, inquit, *forestarius, vel budellus faciat de cetero scotallum, vel colligat garbas, vel auenam, vel bladum aliud, vel agnos, vel porcellos, nec aliquam collectam faciat.* Eodem sensu MATTHAEVS WESTMONASTERIENSIS, *Scot*, ait, *illud dicitur* (nempe lingua septentrionali) *quod ex diuersis rebus in vnum aceruum aggregatur.* Inde etiam denarius Petri, qui colligebatur in Anglia dicebatur *romiscot* apud eundem ROGERVM in HENRICO II. A quibusdam quoque, accepi apud Scotos, *scot*, significare mendicum, qui eleemosynam quaerit; simili argumento *gabellae* nomen ducitur ab Hebraica voce *gab*, quae significat nummum, munus, stipem collatitiam, vel a nomine *gabe*, quod publicanum sonat.

CAPVT X.

PALLIVM. CIVITAS. PAROCHIA. DIOECESIS.

I. Pallium primatibus, archiepiscopis, metropolitanis, ac etiam aliquando episcopis conceditur, non tam ratione personarum, quam locorum, & propter prouinciarum & vrbium dignitatem & excellentiam, quae pro sua amplitudine his titulis decorari meruerunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0257
DFG

II. Triplicis generis fuerunt apud Romanos ciuitates, minores, maiores, & maximae : MODESTINVS *in l. 61. de excuſat. tutor.* minores, ἐλάττους ſiue communes vrbes dicit: μείζους maiores, aut mediocres metropoles, vt eſt metropolis Berytus in *l. 1. C. de metropoli Beryto:* μεγίσας vero, quae capita vrbium dicuntur apud LIVIVM *lib. 5. dec. 5.* & PLINIVM *lib. 3. cap. 3.* vel potius maximae erant, quibus diuerſae, & plures prouinciae ſubditae erant, quas ANTONINVS, *de vita ſua*, vocat μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν & ANACLETVS papa, *metropoles diuerſarum prouinciarum*, ad differentiam maiorum vrbium, quae ſingulis prouinciis erant ſubditae; & minorum, quae ſub ſe caſtella, pagos, & vicos habent apud ISIDORVM *lib. 15. c. 2.*

III. Hunc ordinem in conſtituendis principatibus eccleſiae ſeruauit princeps eccleſiarum D. Petrus, & poſt eum reliqui ſucceſſores, vt ex Clementis *epiſt. 1. ad Iacobum*, *ex epiſtolis* Anacleti, Aniceti, Stephani, Gregorii; & aliorum conſtat, qui iura primatus quibusdam tribuerunt, aliis metropoleos ſeu archiepiſcopatus, aliis epiſcopatus, *can. in illis, 80. diſt.* qui ordo licet poſitus fuerit, non tamen omnimode dioeceſeon & prouinciarum potuit fieri diſtinctio, ſed ſucceſſu temporis id factum fuit, ſicut parochiarum; *in can. 13. q. 1.* & hinc innumerae contentiones exortae fuerunt, quae hucusque durant, vt alibi tetigimus.

IV. Haec ita poſita noſtram coniecturam firmant, vt dicamus pallium arbitrum fuiſſe magnarum litium, cuius dono iurisdictio vniuscuiusque primatis, archiepiſcopi, & metropolitani firmabatur, cum prius epiſcopi ſaepius eorum iurisdictionem non agnoſcerent, ſed iudices vel arbitros peregrinos adirent, vt notat BALSAMO *ad can. 9.* ſynodi Chalcedon. & *can. 126.* ſynodi Carthagin. relatum *in can. placuit. 2. q. 6.* quo id prohibetur, & hi ſecure non niſi ad ſedem apoſtolicam recurrebant, *can. ſeq. ead.* quia ſcilicet omnes fere ciuitates celebres, ſibi primatus, aut patriarchatus, aut metropoleos iura arrogabant, quod repreſſit *can. 6.* ſynodi Nicaenae, & eas ad veterem ordinem ſupra dictum reduxit *can. 9.* ſynodi Chalcedon. *can. ſi clericus. 11. q. 1.* qui ordo vt firme ſtabiliretur, & quisque metropolitanus ſua frueretur prouincia; cuius ditioni ſubderentur epiſcopi ſuffraganei, datum eſt pallium, vt oſtendit ZACHARIAS *in epiſt. ad S. Bonifacium: De epiſcopis vero metropo-*

politanis quos per vnamquamque metropolim constituisti, eos per tuum testimonium confirmamus, & pallia dirigimus ad eorum firmissimam stabilitatem.

V. Hinc colligere licet primates & patriarchas ius accepisse a summo pontifice diuidendarum paroeciarum: sic enim vocabantur episcopatus, non dioceses: cum proprie dioecesis multarum prouinciarum diceretur, διοίκησις ἔστι ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ inquit BALSAMO ad *d. can. 9.* autoritate scilicet sedis apostolicae, quae ius hoc eis tribuit, & consequenter dandi pallii facultatem, *cap. antiqua de priuilegiis.*

CAPVT XI.

CRVCIS PRAELATIO. DE NOMINE PATRIARCHAE, ET APOSTOLICI.

I. Cruces anteferri archiepiscopis & metropolianis primitus non solebant, quia in his honorum apices constituuntur. Id ius peculiariter reseruatum primatibus, & patriarchis: vnde conqueritur Cantuariensis archiepiscopus aduersus Eboracensem in Anglia, quod is per totam Angliam ante se crucem deferri iuberet, in *cap. 1. vt lite pendente nihil innouetur.*

II. Nec mirum, si id archiepiscopi sibi deberi contenderint: tum quod fere omnino iura patriarcharum & primatum sint imminuta; ita vt solum summum pontificem archiepiscopi agnoscant: tum quod olim & hi patriarchae & primates vocarentur; vnde factum, vt, cum nomine non distinguerentur, nec re etiam differre visi sunt, ideo crucis delatio eis passim permissa est, *Clementina vlt. de priuilegiis*, gratia nempe summorum pontificum, vt ex *epistola* ALEXANDRI II. *ad archiepiscopum Dioclienſem* constat, quae refertur in fragmentis ANTONII AVGVSTINI.

III. Patet vero ex variis locis archiepiscopos dictos fuisse patriarchas, ex CASSIODORI *epistola 15. lib. 9. Quod etiam ad vniuersas patriarchales & metropolitanas ecclesias, volumus pertinere*, & post: *Alios vero patriarchas quando in comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur.* Immo & aequales patriarchis metropolitani se dicebant: Nicolaus enim papa pri-

primates & patriarchas nihil priuilegii prae ceteris habere episcopis ait, nisi quantum sacri canones concedunt, vt est apud IVONEM *epist. 65.*

IV. Quin etiam episcopi se patriarchas dixerunt, vt Aquileiensis apud PAVLVM DIACONVM *de gestis Longobard. cap. 12. lib. 2.* & Foroiulienſis apud VALAFRIDVM STRABONEM *cap. 25. de rebus ecclesiasticis*, sicut & Anicienſis in Gallia.

V. Solus vero summus pontifex dici potuit patriarcha oecumenicus, quod nomen Leo I. recusauit oblatum a synodo Chalcedonensi, vt patet *ex epist. 32. lib. 4.* GREGORII M. qui Constantinopolitanum hunc honorem ambientem reprehendit *epist. 38. lib. 4.*

VI. Crux igitur assumi coepit ab omnibus, quae proprie apostolicam sedem regenti debita fuit, & signum apostolatus dedit, quam ideo S. Stephano Vngarorum regi praeferri concessit SILVESTER II. quod gentem magnam ad fidem conuertisset, quem ideo apostolum vocauit, se ipsum vero apostolicum, vt est apud SVRIVM *in eius vita.* Summis vero pontificibus semper praeferri solitam crucem constat ex ANASTASIO *in Leone IV.*

CAPVT XII.

ORDINATIO QVIBVS COMPETAT.

I. Quod dicitur in canone 59. synodi Carthaginensis, episcopum Carthaginensem pro libito potuisse vndequaque aduenientes clericos ordinare, id non generaliter ex toto orbe intelligi certum est; sed de vniuersa prouincia, siue metropoli.

II. Nam hunc maximum Africae metropolitanum vocat LEO P. IX. *epist. 4.* habebat enim ius primatus, τὸ δίκαιον τῆς ἀρχιερωσύνης *in nouella* IVSTINIANI *131.* ipse quoque solennem paschatis diem omnibus Africae episcopis nuntiabat, scilicet ex praescripto seu praecepto summi pontificis, vt patet *ex epist. 77.* LEONIS MAGNI, in qua & Constantinopoli indictio paschatis susceptа est, non solum ab episcopo Constantinopolitano, verum etiam ab imperatore MARTIANO, quam ipse LEO transmiserat.

III.

III. Solus ſummus pontifex ex omnibus terrarum partibus clericos ordinare poteſt, & in quibusdam ordinibus promoti ab alio epiſcopo reliquos ordines recipere non poſſunt ſine ſpeciali licentia ſummi pontificis, vt eſt definitum ab INNOCENTIO III. *epiſt. 22. lib. 1.*

CAPVT XIII.

EPISCOPI SCOTI. VACANTES SINE SEDE. LOCALES. μονοικία. σκότιος. VACANTIVI. SCHOLASTICI. SARABAITAE. SYNEDRIA IVDAEORVM.

I. Cur in concilio Cabillonenſi II. *can. 43.* epiſcopi vagantes ſine titulo & ſede dicantur *Scoti*, compertum non habeo; niſi dixerim quod Scoti olim hoſpitales maxime fuerint, vt dixi ſupra *cap. 9.* & ſaepius pietatis ſtudio quaſi coadiutores aliorum epiſcoporum officio fungerentur, cum hi propter varia impedimenta omnino ſuarum eccleſiarum negotiis & neceſſitatibus ſupereſſe non poſſent: quae etiam cauſa fuit, cur in concilio Matiſconenſi II. plures huius generis ſubſcripſerint.

II. In plerisque locis non erant epiſcopi certi, & ſtabiles, ſed aduentitii & conductitii, vt in eccleſia Ratisbonenſi, in qua S. BONIFACIVS Moguntinus Gambaldum epiſcopum conſtituit, vt refertur *in Metropoli Salisburgenſi tom. 2.* anno Domini 732. & hoc ad differentiam eorum, qui dibebantur, *locales*, *can. 6.* concilii Valentini: *Nec*, inquit, *vllum ſanctorum ſacerdotum quispiam ordinet, qui localem ſe futurum primitus non ſpoponderit.* Sic etiam B. Virgilius ad epiſcopatum Iuuanienſem vocatus, diſſimulata ſua conſecratione pene duorum annorum ſpatio ſecum habuit quendam Dobdan nomine, Graecum, qui interim epiſcopali munere fungebatur, qui poſtea ad ſedem Chiemenſem fuit promotus, vt *ibidem* videre licet *Tom. 1. In traditionibus Frinſingenſibus: Soliti praeterea pontifices Rom. legare homines perſaepe exteros magna & excellenti virtute Corbinianos & Bonifacios puta, qui epiſcoporum munere vbique libere fungerentur.* Ita S. Bonifacius fuit incertae ſedis archiepiſcopus, donec per Zachariam papam fuit factus Moguntiae.

III. Hi autem episcopi vagantes & sine sede, inopia laborantes hoc munus conductitiorum suscipiebant. Id etiam reperio in Chronico archiepiscoporum Bremensium: *In concilio Laterani*, inquit, *erant a papa consecrati episcopi duo Anglici, & duo Scoti; vnus solo equo venerat, alter pedes; erat ibi etiam Hibernicus, qui Henrico scholastico retulit se non habere alios reditus praeter tres vaccas lactantes, quas in defectu lactis parochiani sui per alias innouabant.*

IV. Nec solum illis in regionibus id fiebat, sed etiam apud Graecos: nam refert BALSAMO *in can. 17.* synodi Chalcedon. quosdam episcopos vnam tantum domum habuisse in regionibus suis, quam ideo μονοικίαν vocabant, ad differentiam earum, quae ἐγχωρίας, multos habitatores habere dicebantur.

V. Non igitur immerito Scoti potuerunt dici tales episcopi pauperes vagantes, cum maxime ex Scotiae regno processerint: quibus idcirco pluribus in locis constructa fuisse monasteria AVENTINVS *lib. 6.* & *Metropolis Salisb. tom. 2.* & alii tradunt. Quod si longius Scotorum episcoporum nomen exquirere lubet, a Graeco vocabulo σκοτιος deducere possumus, quod incertum, vagum, fugitiuum, spurium significat.

VI. De his episcopis meminit SYNESIVS *epist. 67.* quos βαναυτίδας vocat, id est vacantes, sicut LAMPRIDIVS *in Seuero* milites desides *vacantiuos*: *Iureiurando*, inquit, *constrinxit, ne quem adscriptum, id est vacantiuum haberet.* Eodem sensu apud SVIDAM, & apud THEODORVM PRODROMVM βαλάντιος σχολάσικος dicitur homo imperitus, qui cum causis forensibus occupari non posset, circa fictas declamationes sese exercebat, vt scribit QVINTILLIANVS *lib. de causis corruptae eloquentiae.*

VII. Monachi quoque desides & vagantes suum nomen habebant, dicti enim Sarabaitae, & sarabati, id est vagantes, & mendici, CASSIANO *collat 18. cap. 7.* IVONI *epist. 192.* & in *Capitularibus* CAROLI M. *in regulis S. Benedicti*, & alibi passim. In itinerario BENIAMINI Hebraico, quod ARIAS MONTANVS in Latinum vertit, refertur in ampliſſima vrbe Bagoad, regni Caliphae, fuisse decem synedria Iudaeorum, quibus qui praeerant *vacantes* dicebantur, eo quod nulli alii rei operam darent praeterquam administrandae societati.

VIII.

VIII. Verum his omnibus omissis vera ratio petenda est ex eo, quod olim in Scotia episcopatus non essent distincti, sed quiuis episcopus pontificia munera passim obibat, nec propriam sedem habebat: quod vsque ad *Malcolmi III.* regis aetatem locum habuit, vt scribit HECTOR BOETHIVS, *lib. 10.*

CAPVT XIV.

RESCRIPTORVM HONOR. SACRAE LITTERAE. LABRATA. OSCVLVM. ADOR. ADORARE.

I. In *cap. 5. de rescriptis*, rescripta summi pontificis cum honore & reuerentia recipienda, & adimplenda sunt, quem honorem frequentius osculo decerni notum est: nam & litterae, vel epistolae principum pro salutatione & reuerentia labris admouebantur, non ob id tantum, quod nomen & subnotationem manu sacra exaratam, sed etiam quod sigillum & iconem praeferrent. PETRVS DIACONVS, *lib. 16. Cum autem*, inquit, *suscepisset imperatoris sacram, osculatus est signaculum, quod habebat pectusculum imperatoris.* TVLLIVS *epist. 2. lib. 3. ad Appium Pulchrum: Complexus sum cogitatione te absentem, epistolam vero osculatus etiam ipse mihi gratatus sum.* Inde, *labrata*, dicti sunt sacri vultus, quos populus salutare & osculari solebat *l. 1. C. publicae laetitiae, vel consulum.*

II. Similiter sacri vultus dicuntur icones SS. Petri & Pauli in rescriptis pontificum expressi, INNOCENTIVS III. *epist. 233. lib. 1. Registri*; quod sine adorationis ambitioso fastidio fieri THEODOSIVS, ARCADIVS, & VALENTINIANVS voluerunt in *l. 2. C. de statuis.* Idem in nummis & monetis seruabatur, ideoque summo crimini vertebatur, integritatem eorum minuere, vel corrodere apud CASSIODORVM *7. variarum: Quodnam erit tutum si in nostra peccetur effigie?*

III. Osculum autem adhibebatur religionis causa, quam inesse principum simulacris existimabant exemplo Deorum, vt est apud TVLLIVM de simulacro Herculis: *Diuinatione 9. Vsque adeo*, inquit, *vt rictus eius*

ac mentum paulo sit atritius, quod in precibus & gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent. Vnde D. AMBROSIVS *6. Hexameron, cap. 9. Osculum pietatis & charitatis pignus* vocat, & CEDRENVS amoris φίλτρον. Ideo ex traditionibus apostolorum salutare se osculo Christiani iubebantur, apud D. PAVLVM, ἀσπάσασθαι ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἀγάπης: *Salutate inuicem in osculo sancto.* Hoc praeceptum ecclesia retinuit: legimus enim *in canonibus de ord. conc. celebr. In fine concilii omnes illico pariter exsurgentes*, residente metropolitano ab ipso primum incipientes, osculum sibi inuicem omnes pariter dabant. Apud Graecos φίλημα osculum & amorem significat, qua de causa in ecclesia litterae osculo suscipiebantur, vt testatur THEOPHILVS ALEXANDRINVS *in epistolis paschalibus: Salutate inuicem osculo sancto, & iis scribite, & ab eis accipite pacificas iuxta morem ecclesiasticum litteras.*

IV. E contrario cum ad infideles, apostatas, criminum reos & excommunicatos scribebatur, nulla salutatio adhibebatur, immo potius haec verba inserebantur, *sine salutatione:* ita est concepta *epist.* INNOCENTII III. *28. lib. 2. Potestati, & populis Taruisinis, sine salutatione,* & aliis plerisque, innumeris locis. Nec communicatoriae litterae dabantur, sed priuatae, *qualibus nos vti etiam ad paganos licet,* inquit D. AVGVSTINVS *epist. 162.*

V. Ratio cur osculum ad litteras adhiberetur praeter iam allatam est, quod osculum non solum sit obsequii & honoris species, sed etiam adorationis: nam adorare dicuntur purpuram, qui osculantur, *l. fin. C. de principibus agentium, l. 2. C. de primipilo.* D. HIERONYMVS *in Rufinum.* Est autem adorare proprie ad oram terrae procedere, & osculo attingere προσκυνέειν, vel etiam in sacrificio offerre. *1. Georg.*

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.

Inde ador, & adorea, frumentum & far, quod in sacrificiis offerrebatur.

VI. Ceterum non solum imperatorum litterae & vultus osculo honorabantur, sed etiam ipsorum personae; a senatoribus, & patricii ordinis viris παρὰ μαζὸν τὸν δεξίον, *ad dexteram mammam,* illosque, *osculo caesar donabat in capite,* καταφιλήσας τὴν κεφαλὴν, vt notat PROCOPIVS *in anecdotis in fine;* vsque ad tempus IVSTINIANI, sub quo foeda nimis & propudiosa adulatione senatores & patricii in conspectu ipsius in faciem procumbebant, pedibusque ac manibus tensis vtrumque princi-

principis pedem osculabantur; non minus quam plebeiorum turba, de qua CORIPPVS:

- - - Et poplite flexo
Plurima diuinis supplex dabat oscula plantis.

Et quae ante IVSTINIANVM a salutatione imperatoris dextero tantum subnixa genu discedebat, γόνυ κλίναντες βασιλέι τὸ δεξίον ἀσπλάσσαντο, ait idem PROCOPIVS ibid.

CAPVT XV.

EPHESINVS LEGISLATOR. QVIS PRAESCRIPTIONVM AVCTOR.

I. In *cap. vigilanti*, *de praescriptionibus*, diu multumque quaesitum fuit, quis sit Ephesinus legislator, qui praescriptionem tricennii induxit; & huius quidem omnes asserunt Theodosium auctorem fuisse, sed qualem, lis est.

II. CVIACIVS *obseruat. 26. lib. 18.* MAGNVM THEODOSIVM hunc esse dicit, eo quod VALENTINIANVS *nouella de praescriptionibus 30. annorum*, vocet antecessorem suum patrem, qui non alius fuit quam magnus Theodosius; sed ipsum falli docuerunt iam pridem SAVARO, & SIRMONDVS ad SIDONII *epist. 16. lib. 8.* quos sequi iuuat; sic enim successores imperii suos antecessores vocant patres: & non abs re Valentinianus iuniorem Theodosium patrem vocare debuit, vtpote socerum suum, quem autorem praescriptionis fuisse satis iudicat constitutio vnica *C. Theodos. de actionib. certo tempore, & l. 3. C. de praescript. 30. annorum.*

III. Et quidem optima ratione vocauit eum patrem Valentinianus, quia eius filiam Eudoxiam vxorem duxerat, & eam petiturus ad Theodosium Constantinopolim profectus fuerat, vt CEDRENVS, & alii scribunt; & hunc Valentinianum viciſſim filium vocat Theodosius, *nou. 1. & 2.* Argumentum aliud sumitur ex verbis ipsis Valentiniani *in d. nouella; quod diuae memoriae patris nostri Theodosii lege concessum est;* nam cum hanc constitutionem edidit, iam Theodosius e viuis excesserat sub

consulatu Valentiniani & Auieni: biennio enim fere post sub consulatu Herculani edita fuit.

IV. Quinimo non male hunc Thedosium iuniorem Ephesinum legislatorem vocauit ALEXANDER III. propter celebritatem concilii Ephesini, cuius auspiciis conuocatum fuisse narrant omnes historici, CEDRENVS, SOZOMENVS, & alii: quod confirmatur ex eo, quod summum & singularem pietatis & obsequii affectum erga ecclesiam Ephesinam semper habuerit, ad quam saepius preces & vota facturus proficiscebatur: refert enim NICEPHORVS *l. 14. cap. 58.* Ephesum venisse, S. Ioannem illum virginem & euangelistam honoraturum, templumque ingressum illic preces fudisse, vbi per visum seu reuelationem, quis imperii Romani successor futurus esset, a DEO didicit, qui & paulo post obiit pendente concilio Ephesino, vt multae ad eum literae testantur apud BARONIVM ad annum 431.

V. Mitto, quae de Emphegio Origenis patre refert CVIACIVS, & quod alii addunt; probabilior foret sententia doctissimi SAVARONIS, qui loco *Emphegii* legendum *Eugenii*, qui Theodosii M. coaetaneus tyrannus rerum summam vsurparit, sed quam remotum a veritate, vt Theodosii nomen illustre, praesertim circa praescriptionem tricennii, ad inuasorem imperii deuenerit, quem nusquam leges sanciuisse constat; tum quod coaeuus Theodosii M. non potuit congrue iunioris Theodosii temporibus aptari.

VI. Propius accedit coniectura IO. COSTAE antecessoris nostrae academiae, qui legendum censet *Theodosianus legislator*, argumento desumto *ex can. quicunque. 11. q. 1.* vbi dicit *legem Constantini esse ex Theodosianis legibus*, licet sint ex sententiis Pauli ab Aniano in codice Theodosiano relatis. Sed & haec doctissimo viro parum roboris habere videntur; alienum enim existimat dicere Theodosianum, pro Theodosio legislatore & imperatore, sicut absurdum esset dicere Iustinianeum pro Iustiniano.

VII. Haec nomina sunt patronymica, quae filios & nepotes designare notat PRISCIANVS *lib. 2.* & quae a propriis nominibus deriuantur, sed nunquam primo autori, vnde veniunt, conueniunt; sic male in iure canonico diceremus Gregorianum pontificem, pro Gregorio, sed bene Raymundum compilatorem Gregorianum, quia iussu Gregorii decre-

decretales compilauit; sic enim officiales & ministri a principe suo nomen assumunt, vt officialis procuratoris caesaris, qui vocatur *caesarianus in l. 1. Cod. Theod. de caesarianis.* Similiter de vocibus possessiuis idem PRISCIANVS ait, quae nomen autoris sui assumunt, veluti leges, edicta, senatusconsulta, ita codex Theodosianus, Iustinianeus, Hermogenianus, Gregorianus.

CAPVT XVI.

BANNVS CHRISTIANITATIS. FRANCILIS.

I. De banno Christianitatis *in cap. 2. de purgatione canonica.* Bannus est edictum seu denuntiatio, citatio ad placitum & iudicium, passim *in legibus Salicis & Longobardicis*, ob cuius contemtum mulcta pecuniaria indicitur, *cap. 96. lib. 6. Capitularium Caroli M.* in eo cap. est poena interdicti, seu exilii, nam bannus pro exilio & eiectione sumitur, cum quis a consortio fidelium & liminibus ecclesiae remouetur: vnde dicitur *bannus DEI*, *in can. 6.* synodi Confluentinae: & *bannus episcopalis*, *in concilio Triburiensi*, *can. 8.* & *concilio apud Villam Theodonis* sub LVDOVICO PIO, vulgo, *bans episcopaux.* Hinc & *bannus Christianitatis*, *in Capitularibus Caroli Calui*, & in concilio Colon. *part. 14. can. 21. Ceteros omnes nobiles nobiles & ignobiles per bannum Christianitatis constringat.*

II. Non semper iste bannus est communionis ecclesiasticae interdictum, sed poenam aliam ingerit, veluti peregrinationis, eleemosynarum, & ieiuniorum; hinc *bannitum ieiunium* in synodo *Salegunstadiensi*, *can. 15.* Bannitum ieiunium dicebatur magnum & rigidum, quod praeter ordinem ecclesiasticum indicebatur, vt in dioecesi Moguntina contra plagam aboriendi, post dominicas, quibus canitur *Salus* & *Misericordia*, prima post *Quasimodo*, & XIX. post Trinitatem: vnde hic versus, *post salus & miseri tibi erunt ieiunia banni*, vt ex quodam MSS. refert SERRARIVS *lib. 1. cap. 33. Moguntiacorum.*

III Aliquando solum iuramentum solenne indicitur super quatuor DEI euangelia, crucem Domini & reliquias sanctorum, iuxta ritum,

&

& formam ecclesiae, vt est in *cap. quamuis. de sententia excomm.* vt plene refertur in *can. si duo*, *& can. episcopus. 35. q. 6.*

IV. Alias bannus est congregatio: *bannire* frequentius congregare significat in legibus Longobard. *lib. 2. tit. 52.* pro cuius contemtu mulcta exigitur: *sic bannus dominicus*, *seu regius*, qui erat olim sexaginta solidorum: & *bannus francilis*, multa est a franco & libero homine pendi solita *in Charisiaco*, qua soluta bannus rescissus dicitur *in additionib. Capitul. cap. 81.*

V. Christianitas est signum, non tantum nomen, quo Christi fideles agnoscimur, sed specialiter sacramentum baptismi: de hac Christianitate etiam mentionem facit, *can. III.* synodi Carthagin. τῆς χριστιανότητος τὴν ἄυξησιν. Christianitatis exercitationem dicit *l. 19. C. Theod. de Iudaeis. l. 7. de apostatis*, & alibi saepe.

CAPVT XVII.

QVI FRATRES, QVI FILII PAPAE, CHARISSIMI, CONSOBRINI IN LITTERIS.

I. In *cap. 1. de officio legati in Sexto* INNOCENTIVS IV. maiorem tribuit autoritatem fratribus legatione fungentibus, quam aliis, qui fratrum nomine intelligantur: quaerit glossa, & concludit intelligi debere cardinales episcopos; alios vero filios tantum dici, *ex cap. licet. 49. de testib.* INNOCENTIVS III. argumentum falsitatis in rescriptis summorum pontificum desumit ex eo; quod episcopus vocatus fuerit filius, cum frater nominari debuerit *cap. quam graue. de crimine falsi.* In hac regula non continentur cardinales, qui filii dicuntur, *cap. sane. de renunciatione*, *cap. coram. de officio & potestate iud. deleg.*

II. Alius scribendi modus animaduertitur, vt ad episcopos scribendo his verbis vti solitum sit; *fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus*, *cap. ad audientiam. de rescript.* & innumeris passim locis: ad cardinales vero, *discretioni vestrae &c.* & *cap. ad decorem. de institutionib. in 3. compilat. cap. quia diuersitatem. de conceff. praebend. cap. dilectus. de exceff.*

excess. praelat. ead. Electi similiter filii vocantur, *cap. nosti. de electione, in 1. compil. & cap. 12. de accusat. ead.*

III. Imperatores proprium loquendi vsum habebant, vt constat *ex l. 5. C. ad l. Cornel. de sicariis.* Praesidibus prouinciarum ita scribebant: *Aue, salue charissime nobis;* sicut *in l. dominus. C. de appellat.* & in *l. si quis C. de accusat.* & apud EVSEBIVM, vt notat CVIACIVS *obseru. lib. 1. cap. 15.* fratres etiam eos vocabant, apud CASSIODORVM, *nouella* THEODOSII *de princip. agent. nouella de lampadibus*, & *nouella de metatis.* In Gallia reges suos optimates *consobrinos* appellant. Capitulo vero cum scribitur haec loquendi forma vsurpatur: *Vobis filii capituli*, vt *in cap. constitutus. 11. de conces. praebend.* & *cap. 3. de testamentis, in 3. compil.*

CAPVT XVIII.

TESTES SYNODALES. SERVI PVBLICI. CLASSICI TESTES. SYNODI PVBLICAE, ET PRIVATAE.

I. Testes synodales sunt, qui publice recepti & probati in synodo, quasi custodes & speculatores eorum, quae fiunt in ecclesia, vel contra synodi decreta decernuntur, & geruntur: hos Graeci παραφυλακὰς vocant, vt notauit CVIACIVS *ad cap. 7. de testib. cogendis.*

II. Sed melius ii sunt, qui in quacunque paroecia, vel episcopatu eligebantur, adhibito super quatuor euangelia, vel martyrum reliquias iuramento, vt omnia, quae contra fidem & religionem fiebant, obseruarent, & inquirerent, vt dilucide patet *ex can. episcopus. 35. q. 6.* quod clarius videre est in concilio Colonienſi sub PAVLO III. *parte 14. cap. 21. In concilio publico ab episcopo habito iurare debent de villis singulis, fidelissimi quinque liberi, vel serui tres, vel quatuor, vt rei veritas omnino requiratur:* qui ordo seruatus est in concilio Lateran. sub INNOCENTIO III. *cap. 6.* Formulam iurisiurandi ab ipsis praestandi videre licet *in actis Mediolani concilio prouinciali IV.* quod maxime facit ad intellectum *cap. praeterea. de testibus cogend. Testes publicos quos ciuitas nuncupabat synodales*, &c. Publicum, idem est quod vulgatum & testatum;

πύβλικον γὰρ τὸ δεδημοσιευμένον καὶ πρόδηλον, inquit ZONARAS *ad can.* 47. synodi Carthaginensis.

III. Inde testes publici eodem sensu, quo notarii serui publici, *in l. 2. rem pupilli saluam fore*, quos vulgo in comitiis subscripsisse videmus. Publici ergo testes dicuntur, qui in synodo episcoporum eliguntur; ad eorum differentiam, qui in synodis priuatis, quae ab archidiaconis indicebantur, fiebant, vt ex dicta Colonienſi synodo probatur.

IV. Has synodos *locales* τὰς τοπικὰς συνόδες Graeci dixerunt, ad differentiam oecumenicarum, vt patet *ex can. 1.* synodi Nicanae, *ex can. 2.* synodi 6. in Trullo, & prouincialium, quas μείζονας, id est, *maiores* vocabant, quae ex omnibus dioecesibus, siue vnius prouinciae episcopis componuntur, vt docet idem ZONARAS ad *can. 6.* synodi Constantinop.

V. Porro hi testes maxime exquirebantur, qui probatae vitae, & morum integritate praestarent, quales sunt, quos classicos vocant Icti, qui testamentis signandis adhiberi solent, autore FESTO, qui nec domestici sunt, nec suspecti, *cap. in causis. de testibus;* dicti classici, quod per classes distribuerentur Romae, sicut omnes alii ciues Romani puberes, *l. hac consultissima.* & *l. 12. C. de testibus*, qui quidem primi ordinis & primi census, quem Graeci πρῶτον τίμημα, qui viginti quinque aeris millibus constabat. Ita quoque *milites classici* ex censitis eligebantur, *l. vn. C. de classicis lib. XI.*

CAPVT XIX.

MEMORIALIS CVCVLLA. MEMORIALE SABBATHVM. MEMORIALIS CORONA. MONACHORVM RASIO. CLERICORVM TONSVRA. παπαλήθρα, λίσρον, ῥάσος, ῥάκος. VESTIS MONASTICA.

I. Quid intelligat INNOCENTIVS III. in *epist. 12. lib. 2. Regiſtri*, per *memorialem cucullam* satis patet. Cucullam iubet deferri ab eo, qui ordinem regularem canonicorum sine abbatis sui licentia deseruerat & mona-

monasticum ordinem susceperat, erat enim hoc contra sanctiones ecclesiasticas, *can. 1. & seqq. 19. q. 3.* de quibus in *can. 125.* concilii Aquisgran. *Vt canonici cucullas monachorum non induant*, quod VRBANVS II. statuerat *in can. 2. 19. q. 3. Praecipimus vt redeat, & deinceps memorialem cucullam deferat, & vltimus in choro maneat.*

II. Poena desertionis est vltimum tenere locum in choro, & memorialem cucullam deferre: INNOCENTIVS *in cap. intelleximus. de aetate & qualitate ord. Vltimus in choro manendo cucullam ad memoriam delaturus.*

III. Memoriale dicitur, quod ad memoriam constitutum est: ita memoriale sabbathum *in cap. 23. Leuitici*, in memoriam liberationis Isaac ab immolatione, talis enim dies fuit sanctus & solennis, *cap. 29. Numerorum.*

IV. Sic enim dicitur *memorialis corona*, in veteribus donationibus ecclesiarum: qui enim se & sua monasteriis vouebant, ampliorem coronam gestabant, quam memorialem nuncupabant. De hac loquitur INNOCENTIVS *epist. 245. lib. 1. De manu cuiusdam fratris augmentationem coronae in signum illius oblationis accepit.* Hac enim tonsura & comae depositione res monasteriis donatae designabantur, *can. 7.* concilii Cabillon. II. quia vt ait D. HIERONYMVS, *rasio est temporalium rerum depositio.*

V. Et notandum solos monachos caput tonsum detulisse, quod praecipuum monasticae religionis signum: ait enim NICETAS, Manuelem Comnenum monachos statuisse, qui nihil vltra tonsum capillum & mutatum habitum, promissamque barbam exprimerent: τὸ δὲ μέχρι τριχῶν ἀναβολῆς καὶ τῆς τῶν ἐσθημάτων μεταβολῆς, καὶ τὲ ἀφειμένυ πώγωνος χαρακτηρίζον τὴν μοναχὴν. In legibus Wisigot. *lib. 3. tit. 6. Quicumque religionis habitum per honorabile tonsurae signum susceperint:* haec tonsura in monachis fiebat ad cutem; SALVIANVS *8. de prouidentia: Intra Carthaginis muros palliatum & pallidum, & resciss is comarum fluentium iubis ad cutem tonsum videre, tam infelix ille populus, quam infidelis sine conuitio atque execratione vix poterat.*

VI. Et quamuis saepius fiat tonsurae mentio, pro rasione sumenda est, quam Graeci ἀποξαρσιν, & ἀποξύρειν vocant vsque ad pellem, ἐν χρῷ κεκαρμένυς vocat S. DIONYSIVS *lib. 2. de coelesti hierarchia, cap. 6.* PAVLINVS *epist. 7. ad Seuerum: Casta informitate capillum ad cutem rasi.*

VII. Abrasionem hanc vocat BALSAMON ἐπιξυρίδα μοναχικὴν, quae maxime differt a communi tonsura clericorum, quam σφαγῖδα

ἐπισκοπικὴν, id est, *episcopalem tonsuram*, vel *characterem* vocat: qua tonsura clerici nomen imponebatur, & monachi eam susciptentes clericorum numero adscribebantur, vt idem scribit *ad. can. 77.* synodi 6. in Trullo.

VIII. Hic clericalis character etiam dicitur παπαλήθρα, id est, *tonsura, seu rasio in modum coronae;* ideoque corona distinguitur a papalitra a CONSTANTINO in donatione ὑπὲρ τὴν στέφανην, ἤτοι τὴν παπαλήθραν, id est, *supra coronam seu tonsuram*: παπαλήθρα verbum compositum a πάππας, id est, *pater*, quae vox communis non solum sacris ordinibus, sed etiam minoribus, vt notum est ex nou. IVSTINIANI 131. & nou. ISAACI COMNENI, & λήτρα, quae *circulum*, seu cinctorium notat apud quosdam, quod tonsura fiat in modum circuli, vel si placet, a voce Graeca veteribus vsurpata, λίτρα, quae minimum numisma, *obulum* nempe, significat apud POLLVCEM *lib. 4. c. 24. & lib. 9. cap. 6.* ARISTOTELEM, & alios: nam & corona clericalis in nummi, seu sphaerae modum & mensuram in apice capitis imprimitur, *can. probibere. 23. dist.* vel a vocabulo λίστρον, quod significat *ventilabrum ferreum*, quo raduntur areae, deducto a verbo λιστρόω, quod radere significat. Vtut sit, hinc & inde etiam circulus ille, quo circumdantur & pinguntur ecclesiae in decessu nobilium dictus est nostris, *litre*, non a litura, vt vulgo iactitatum est.

IX. Ex hac autem abrasione, quae fit non forcipibus, sed nouacula διὰ τὸ ξύρον, vt loquitur CLEMENS ALEXANDRINVS, *cap. 11. lib. 3.* paedagogi, monachi vocati fuerunt rasi. Quidam autumant BALSAMONEM in *can. 5.* concilii Chalcedon. vbi eos ῥασοφόρους, seu ῥασοφορησάντες vocat, hanc rasionem intelligere, sed falluntur, neque enim ita propter capitis rasionem, a Balsamone vocati, sed quia rasa erant induti, id est, *veste monastica.* Sic enim loquitur Balsamo, ὁ κάνων μοναχικὸν χῆμα καλεῖ τὴν ἀπόκαρσιν, id est, *canon monachalem habitum tonsuram vocat:* ῥάσος quippe apud Graecos significat vestem, vt est in Euchologio: ita etiam apud Italos hodie. Graeci antiquiores non ῥάσον, sed ῥάκος & ῥάκιον vocabant, id est *laceram vestem*, apud ARISTOPHANEM, & POLLVCEM *l. 7. cap. 12.* immo & apud recentiores, vt NICETAM in *Manuele Comneno lib. 7.* dum refert hunc imperatorem vestibus regiis detractis, asperum durioris vitae indumentum ῥάκον, siue *lacernam* assumsisse simul cum monastica disciplina.

OBSER-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0272
DFG

OBSERVATIONVM IVRIS CANONICI

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

AVTHENTICVM INSTRVMENTVM. EXEMPLAR.

I. Instrumentum authenticum est *in cap. 2. de fide instrumentorum*, quod est manu publica, testium numero, ecclesiae, ac principis sigillo roboratum. CVIACIVS originale illud esse contendit, ad differentiam exemplaris *ex l. 47. de leg. 2.* & *in cap. 1. eod.* sumto ex epistola GREGORII III. *lib. 2.* vbi legendum censet; *si scripturam authenticam non videmus, aut exemplaria, nihil facere possumus.*

II. Non negamus authentici nomine intelligi originale, sed originale, quod sit publice confectum & obsignatum, sine quo, quantumuis sit originale, non potest dici authenticum. Illud est authenticum, quod summam habet auctoritatem, & sic veteres glossae sumunt, & ipse TVLLIVS *9. ad Atticum, epist. 17. Atque eum loqui quidam* αὐθεντικῶς *narrant; & lib. 10. epist. 10. Id enim* αὐθεντικῶς *nuntiabatur.*

III. Sic in legibus Siculis libri Hippocratis & Galeni dicuntur authentici; non quod sint originales, vt libri mercatorum dicuntur authentici, in quibus rationes continentur, vnde & rationes authenticae in *l. Pomponius. ff. famil. erciſc.* Nec aduersatur *l. 4. ff. eod.* in qua VLPIANVS exemplum, vel exemplar distinguit ab authenticis tabulis, quae in aede sacra deponi debent: ibi authenticae tabulae sumuntur pro originalibus, quas tamen non esse authenticas, nisi testium & tabellionum subscriptionibus firmentur, & cetera necessaria insint, dicere debemus.

IV. Omne originale differt ab exemplari. PLINIVS *epist. 291. Exemplar testamenti misi tibi.* TVLLIVS *epist. 11. lib. 10. Exemplar eius chirographi misi tibi*, quod tamen originale, non dicitur proprie authenticum omissis solennibus, quae plenam tribuunt autoritatem.

CAPVT II.

IVDICES ELECTITII, EDITITII ORDINARII, QVOMODO AB HIS APPELLETVR.

I. Ab electitiis iudicibus, quos ordinarios, siue legitimos esse iudices dubium non est, appellari posse dicitur *in can. si autem. 39. 2. q. 6.* contra mentem synodi Carthaginensis *in can. 99.* vnde desumtus est, qui ab his electitiis appellare vetat, τῷ λοιπῷ ἀπὸ τούτων μηδενὶ ἐξέστω ἐκκαλεῖσθαι: id est, *ab his deinceps nulli appellare liceat*, GRATIANVS videns esse contra iuris ciuilis regulas sustulit negationem, quod tamen non sola synodus Carthaginensis statuit, sed etiam Mileuitana, *in can. a iudicibus. 33. ead.* quem locum glossa, vt se expediat ab hoc nodo, alio sensu explicat, vt nemini liceat a iudicibus electitiis prouocare, id est ab eorum persona, quod nos dicimus, *être appellant de la mine du iuge*, vt scilicet non eorum personas, sed sententias liceat arguere, *can. si testes, in fine 4. q. 3.* hoc nominatim esse contra iuris ciuilis regulas profitetur BALSAMO doctissimus iurisconsultus, & seruari in causis ecclesiae, εἰς τὰς ἐκκλησιαστικὰς ὑποθέσεις, cum in aliis lex ciuilis appellationem indulgeat.

II. In his notandum est, vulgo iuris canonici interpretes sese confundere, & electitios iudices sumere pro compromissariis arbitris, quos *edititios* vocat TVLLIVS, *orat. pro Planco*, & *pro Muraena*, quos nempe vna tantum vel vtraque pars eligit, quos recusari tantum potuisse docet CVIACIVS *ad tit. Cod. de sentent. & interlocutionib. omnium iud.* errant illi toto coelo: siquidem electitii sunt ordinarii, vt idem BALSAMON docet, & hoc procedit ex fonte iuris ciuilis, quo iudices erant ordinarii, qui a magistratibus dabantur, *l. cum praetor. ff. de iudiciis. nouella* IVSTINIANI *20.* & *102.* eorum iudici-

dicium vocat κύριον, id est ordinarium, & HARMENOPVLVS *lib. 1.* ἐνόρδινον δικαστήριον, sicut & BALSAMO *in d. can.*

III. Hi autem iudices notionem habebant iure ciuili, non vero iurisdictionem, sicut & iudices pedanei, qui vice sacra iudicabant, *l. omnes. C. de episcopis & clericis.* At iure canonico veri magistratus sunt, nec tantum notionem, sed etiam iurisdictionem habent, *cap. 1. de officio iud. deleg. in 6.* ab his, cum ex litigantium voluntate iudicant, non licuit olim appellare concilio Carthaginensi, & Mileuitano: ex quibus hoc peculiare in Africa fuisse dicendum est contra ius commune a Iulio constitutum, vt a quibuscumque iudicibus ad maiores ecclesiae iudices pro. uocare liceat, *can. placuit. 2. q. 6.* scimus enim in iudiciis & appellationibus valde difficiles fuisse Africanos, vt sequenti obseruatione dicetur.

CAPVT III.
DE
EPISCOPO CITATO AD SYNODVM, ET DE APPELLATIONIBVS TRANSMARINIS.
EXPLICATVR
caput 1. de iudiciis.

I. Cur in *cap. 1. de iudiciis*, QVODVVLTDEVS Centurienſis episcopus reus postulatus, & in concilium Africanum introductus, totius concilii nomine fuerit interrogatus, an vellet experiri coram synodo, merito quaeritur a doctis viris. CVIACIVS hanc interrogationem superuacaneam esse contendit, cum in inuitum sententiam synodus ferre non posset. Hoc curiosa disquisitione indiget, & variis rationibus eumdem episcopum apud synodum inuitum respondere non debuisse demonstrari potest.

II. Primo quod ante trinam in ius vocationem, licet praesens fuerit episcopus, non teneatur respondere. Probatur ex epistola DAMASI *ad Stephanum, & ad concilium Africanum*, quod maxime facit ad rem; *Vocatio* inquit, *ad synodum iuxta decreta patrum canonica, eius qui impetitur, rationabilibus scriptis per spatium debet fieri congruum atque canonicum;*

quia

quia nisi canonice vocatus fuerit suo tempore, licet venerit ad conuentum in quacumqae necessitate, nisi sponte voluerit, nullatenus suis respondebit insidiatoribus. Idem refert LVITPRANDVS *in eius Damasi vita*, & *in Felice.*

III. Secundo poterat QVODVVLTDEVS prima fronte ad episcopos comprouinciales, suos ordinarios iudices recurrere, cum non extra suam prouinciam trahi deberet, nec fas sit accusatoribus alibi suas accusationes proponere, *cap. 147. & 169. lib. 1. apud* BVRCHARDVM. Quod si euenerit, vt ipsi prouinciales obiecta crimina diluere non valeant, tunc ad maiorem synodum recurrendum est, *can. 6.* synodi Constantinopolitanae: *siquis ausus fuerit imperatoris aures molestia afficere, vel secularium principum iudicia, vel vniuersalem synodum perturbare, neglectis dioecesis episcopis, eum nullo modo esse ad accusationem admittendum, vt qui canonibus iniuriam fecerit, & ecclesiasticum ordinem euerterit;* ita est in *cap. 17. epistolae* IVLII, & *can. 12.* synodi Antiochenae, vbi fuse BALSAMO. Videndus etiam PETRVS BLESENSIS *epist. 58.*

IV. Synodus illa Carthaginensis erat generalis totius Africae, non solius prouinciae proconsularis, sed reliquarum prouinciarum. Africa quippe plures tunc habebat prouincias praeter iam dictam Carthaginensem, nempe Numidiam, in qua erat Centurionensis episcopatus, vt constat ex OPTATO *lib. 1.* & dicta collatione, Byzacenam, Tripolim, Mauritanias duas, Sitifensem, ac Caesarienſem apud PTOLOMEVM, SEXTVM RVFVM, & alios, vt etiam notant gesta collationis primae cum Donatistis, & BALSAMO *in praefatione ad synodum Carthaginensem, & can. 36.* Nec illam generalem tantum totius Africae fuisse constat; nam & alii quamplures episcopi Asiae & Europae ad eam conuenerunt, vt Aquensis & Gratianopolitanus ex Gallia. Non abs re igitur QVODVVLTDEVS coram synodo vniuersali respondere recusabat, qui propriae suae prouinciae iudicium expectabat, & licet accusatio contra eum in synodo facta fuerit, non tamen illuc aduenerat, vt obiectis criminibus responderet, sed vt actis eius interesset; nam & subscripsisse docet dicta prima collatio cum Donatistis.

V. Tertio alia ratio reddi potest, quae fortasse verior: olim totam Africam maximae sedi apostolicae deuotam, hanc habuisse facultatem, vt posset omissa synodo prouinciali, ac etiam vniuersali totius Africae, ad transmarinas partes & sedem Romanam confugere; *can. 109.* synodi

di Carthagin. quod confirmat D. AVGVSTINVS *epist. 162.* agens de Caeciliano, qui relicto Africanorum episcoporum concilio & iudicio, ad transmarinum tribunal recurrerat: *Si aliqui sint*, inquit, *qui certa crimina ita nouerint, vt ea facile valeant edocere, pergant ad fratres, & collegas nostros transmarinarum ecclesiarum episcopos, & ibi prius de istorum factis & contumacia conquerantur, quod ad collegarum Afrorum male sibi conscii concilium venire noluerint, vt inde illis denuntietur vt veniant, ibique obiectis respondeant.*

CAPVT IV.
FORVM ECCLESIAE. CAPELLA. CLAVSTRVM.

I. Ecclesiam forum non habuisse nisi postremis temporibus quidam asserunt, freti eo, quod BONIFACIVS *in cap. cum episcopus. de officio ordinarii in 6.* dicat episcopum vbicunque voluerit ius dicere posse, dummodo sit intra territorium, seu dioecesim, ad exemplum praetoris vrbani, qui vbicumque ius diceret, forum constituebat. *l. penult. ff. de iustitia & iure. l. vlt. ff. de iurisdict. omnium iud.* qui quidem erat iudex ordinarius ciuium Rom. & eorum causas definiebat, teste PLVTARCHO *in Sylla.*

II. Forum semper habuisse ecclesiam dubium non est; forum inquam competens τὸ πρόσφορον ἐκκλησιαστικὸν δικαστήριον vocat Balsamo. Licet autem fori vocabulum locum publicum designet tam rerum venalium, quam iudiciorum apud VARRONEM *lib. 4.* tamen & ad ecclesiae tribunal traductum est, ita vt inde forum dictum sit, quod erat in ecclesiis: DAMASVS *in Iulio: Nullus clericus in publico causam agat, nisi in ecclesia;* quae verba licet pro iudicio ecclesiastico sumi possint, pro ipsis tamen aedibus, pro foro etiam sumenda sunt: nam olim omnes fere controuersiae iureiurando finiebantur super altare, vel martyrum reliquias: GREGORIVS TVRON. *lib. 5. c. 32. Tunc inito placito ad basilicam martyris sancti conueniunt, eleuatisque super altarium manibus iurauit filiam non esse culpabilem.*

III. Reliquiae erant capsis inclusae, quas *capellas* dicebant, inde factum, vt locus iudiciorum in ecclesia diceretur capella: Sic apud nostrates Tolosanos *capella Tolosana* dicitur; quae ecclesiae matricis claustro adiuncta est, quia claustra non tantum ad iuuentutis institutionem & disciplinam, sed etiam iudiciorum sedem instituta fuerunt, vt LVITPRANDVS *in vita Leonis IV.* scribit; & hic ordo a gentilibus maxime probatus fuit, Romae in templo Concordiae, Athenis in templo Martis, vt satis notum est.

CAPVT V.
DE
CARCERIBVS ECCLESIAE.

I. Sicut forum suum ecclesia semper habuit, ita & carcerem. Sub Eugenio papa Constantis imperatoris tempore id primum fuisse somniat VOLATERRANVS; nam id antea fuisse probatur variis locis, & maxime synodo Matisconensi I. *can. 8. Clericus si iunior fuerit vno minus qnadraginta ictus accipiat, si honoratior triginta dierum inclusione multetur.* GREGORIVS *epist. 7. lib. 2.* Adrianum episcopum Thebanum apud Ioannem primae Iustinianae episcopum arctissima detentum custodia fuisse refert; verba enim τῆς φυλακῆς, *inclusionis & custodiae*, nihil aliud quam carcerem designant.

II. Locus ille custodiae destinatus, cancellis tantum & repagulis quibusdam distinctus erat, sicut locus iudiciorum: nam & *cancelli* sumuntur pro clathris, septis, lignisue reticulatis, quibus fenestrae & carceres vallantur apud TVLLIVM, vnde & BALSAMO apud PHOTIVM κιγκλίδες, pro carceribus sumit.

III. Claustra etiam ipsa pro carceribus fuisse dubium non est: vnde claustrum *canonicam custodiam* vocat capitulare CAROLI CALVI *in Spernaco: & in synodo Pontigonensi cap. 8.* sic etiam *decanica* dicuntur carceres *in l. 3. C. de haereticis*, & *in can. 23.* concilii Moguntini sub Carolo Magno: carceres autem vt plurimum subterranei fuerunt; vt ostenditur *lib. 1. leg. Longob. tit. 25.*

CA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0278
DFG

CAPVT VI.

LITTERAE FORMATAE. NOTAE. SYLLABAE. NOTARIAE. ELOGIA. RELATIONES CRIMINVM. SIGNA.

I. Formatarum litterarum variae ſunt ſpecies *in can. 17. ſynodi 6. in Trullo*, quas variis nominibus Graeci vocitant, pro ratione perſonarum & cauſarum, quod notiſſimum eſt, dictae formatae, quod certis formis, literis, notisque conficerentur, hae formae apud Romanos erant in fragm. legis agrariae ab ANTON. AVGVSTINO edito: *in terra Italia III. Vir dedit, aſſignauit, reliquit, inue formas, tabulasue retulit.* Formulae dicebantur, quibus omnes ſuas actiones intendebant apud TVLLIVM, *orat. pro Murena.* Modus hic antiquiſſimus fuit, cuius auctorem Appium Claudium poſt exactos reges facit POMPONIVS *in l. 2. de orig. iuris:* melius quam DIO CASSIVS, qui hoc tribuit Moecenati.

II. Nec ſolum notis illis & litteris ſingularibus vſum fuit, ſed etiam cum earum explicatio facilis, & peruia reddita eſſet, ſigna quaedam inuenta fuerunt, ſeu figurae quaſi aenigmata, quibus res omnes & acta expediri coeperunt; Tironem Ciceronis libertum autorem laudat EVSEBIVS *in Chronicis*, quae omnia LIPSIVS & GRVTERVS cum antiquis inſcriptionibes ſedulo collegerunt. A formulis igitur, vel formis illis, formatae noſtrae nomen acceperunt, quae in eccleſia frequentius Graecis litteris confici coeperunt; nempe Π. patrem, Υ. filium, A. Spiritum ſanctum: iterum Π. Petrum, Θ. Amen ſignificantibus. Quidam exiſtimarunt vltimum Π. ad ſpiritum ſanctum referri debere, ita vt, ΑΓ. vno ductu ſine diſpunctione ſcriberentur Ἁγίᾳ Πνεύματος. Erant & aliae litterae Graecae nomen eius qui ſcribebat, eius cui ſcribebatur denotantes: tum etiam indictionis nota X. adhibebatur *can. 1. & 2. 73. diſt.* videndus de his SIRMONDVS *ad Sidonium.*

III. Plura per litteras & ſyllabas ſcribi ſolita videmus in reſcriptis ſummorum pontificum, vt illae clauſulae; *diſcretioni veſtrae per apoſtolica ſcripta mandamus: fraternitati veſtrae: appellatione remota, per canonicam*

nicam censuram, & multae aliae, quae per prima verborum elementa eduntur. Modus ille scribendi per simplices literulas & syllabas ita inualuit, vt vulgo epistolae & litterae formatae dictae fuerint, quia literis singularibus scribebantur, vt de litteris caesaris scribit SVETON. *cap. 56.* GELLIVS *lib. 17. cap. 9. in epistolis caesaris inueniuntur litterae singulares sine coagmentis syllabarum.* Aliquando quibusdam syllabis tantum fiebant, & ideo *syllabae* dicebantur. ZACHARIAS in *epist. 5. ad Bonifacium: Repertae sunt dissonare a tuis syllabis*, & paulo post: *denuo tres suscipientes syllabas in epist. 130. & 138.* Sic in diplomate LEONIS papae ad Arnonem archiepiscopum Salisburgensem, in *chronico Salisburg.*

IV. Hi vero qui acta haec expediebant dicti ideo notarii ψηφισαὶ & σημειογράφοι a MODESTINO in *l. 13. de excusat. tutor.* sed & *tabularii*, singularii, siue *siglarii* in veteribus glossis, qui omnia negotia in actis publicis & priuatis compendio excipiebant, & deinde in mundum & vberiorem scripturam redigebant, quales erant notarii, qui gesta martyrum ob saeuitiam imperatorum clam & furtim notis tantum & signis excipere poterant; hoc primus CLEMENS papa statuit, tum deinde FABIANVS, vt refert ANASTASIVS, & probatur ex EPIPHANIO *lib. 3. contra haereses;* scribit enim libros suos ab Anatolio notis exceptos, ab Hypatio εἰς καλλὸς & in integram scripturam redactos fuisse. Testamenta etiam primitus ita fiebant, quod postea vetitum, & fieri coeperunt ὁλογράμματα, exceptis militibus, vt est *in l. Lucius. de militari testamento.* Ita quoque excipiebantur iurisconsultorum responsa, & imperatorum edicta, & rescripta, quod vetuit Iustinianus, vt annotauit CVIACIVS, *obseruat. vltima lib. 12.*

V. Signa illa notae dicebantur, etiam notariae, vel notoriae, vel elogia; maxime quoties ad iniuriam, vituperium, & poenam designandam fiebant, vt de exheredatione loquitur D. AVGVSTINVS, *lib. de vita & moribus clericorum: Ambos exheredauit, illos cum laude, istos cum elogio.* Ita quoque fiebant relationes, quae per epistolas ad iudices de criminibus commissis per breues notas & litteras singulares transmittebantur, & dicebantur elogia, veluti quaedam testimonia; Graeci enim elogium ἀνάκρισιν dicunt, de quibus *in l. 7. C. de accusationib. l. Diuus, & l. non dubium. de custodia reorum.*

CA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0280
DFG

CAPVT VII.

SYLLABARIVS. PHONASCVS. EDOMITOR VOCIS. TERTVLLIANI LOCVS ELVCIDATVS.

I. Notarii, vt iam diximus, singularii, & syllabistae dicebantur; quae vox aptior ludimagistris, qui pueros syllabarum prolationem edocebant, atque etiam syllabas συμπλέκειν, id est, *coniungere*, apud POLLVCEM *cap. 12. lib. 4.*

II. Quidam hunc syllabistam cum phonasco eumdem censent, *ad epist. 8. lib. 4.* SIDONII APOLLIN. quem GREGORIVS TVRONENSIS & *glossae vocalem* dicunt: TERTVLLIANVS edomitorem vocis, sed alium esse phonascum ab illo idem docet TERTVLLIANVS *lib. de pallio*: *primus informator litterarum & primus edomator vocis, & primus numerorum arenarius:* quibus verbis notat eos, qui pueris rudimenta praebent.

III. Ad hunc locum digladiantur viri docti, & quidam edomitorem vocis cum litterarum informatore confundunt, sed male. Nam is, quem vulgo in pergulis puerulos docere videmus; *abecedarius* & *elementarius* est, vt loquitur ARNOBIVS, *syllabarius* D. HIERONYMO; at vocis edomitor phonascus est, non syllabarius, vt voluit MERCERVS, nec praecentor chori, sed potius praeceptor, qui cantus rudimenta pueris demonstrat.

IV. Nec melius hac in parte SALMASIVS, qui incongruum existimat, vt pueri cantum ediscant & musicam, quasi aetate prouectioribus id tantum conueniat: imo id olim in mandatis fuit, vt pueruili in cantu & musica instruerentur & eorum vox cito formaretur, & ob id scholae adhibebantur, vt est in *cap. 72. lib. 1.* capitularium Caroli M. *scholae legentium puerorum fiant, psalmos, notas, cantus compotum, grammaticam per singula monasteria discant:* qui locus omnino cum TERTVLLIANO congruit.

V. Rite igitur edomator vocis ab ipso vocatur phonascus, domatur enim vox, compescitur, flectitur & temperatur. SVETONIVS *in Augusto, cap. 84. Pronuntiabat, & proprio quodam oris sono dabat assidue*

ſi due phonaſco operam, is enim vocem intorquere, remittere, lenire, exaſperare docebat. Inde optime TVLLIVS *libro de fato: Scribunt vitioſam naturam ab eo ſic edomitam & compreſſam eſſe doctrina.* Fruſtra itaque SALMASIVS in Tertulliano emendando laborat, vt pro *edomator vocis, inodator* legendum cenſeat; quaſi illa lectio non ſit elegantior, & Tertulliani locutioni accommodatior. Multo minus etiam cum aliis edomitorem vocis cum cantore, ſeu praecentore confundemus, quem TERTVLLIANVS diſtinguit, nec conſequenter cum iis magiſtris, qui adultae iuuentuti praeficiuntur, quod oſtendit SIDONIVS *epiſt. II. lib. 4. & grammaticus & rhetor, & ſophiſta, & medicus, & poëta, & qui muſicam pulſat cantor eſt, ſiue praecentor, qui*

Inſtructas docuit ſonare claſſes,

vt ait idem SIDONIVS, quem etiam phonaſcum vocat, qui quidem vulgo *chori magiſter* dicitur, de quo alibi diximus.

CAPVT VIII.

DE APPELLATIONIBVS OMISSO MEDIO AB ARCHIDIACONO. CAPVT ROMANA. DE APPELLAT. IN VI. EXPLICATVR.

I. In cauſis eccleſiaſticis omiſſo medio ad ſummum pontificem appellatio deuolui poteſt, *cap. antiquo. de priuilegiis. cap. vt debitus. de appelationib.* non quidem iure huius regni, conuentione inter LEONEM X. ſum. pont. & FRANCISCVM I. regem. Non ita in archiepiſcopo, quem adire omiſſo medio non licet, *cap. dilecti. 66. de appellationib.*

II. Inde CVIACIVS anſam arripit, carpendi INNOCENTIVM IV. & eum imperitiae calumniandi, quod *in cap. Romana. §. 1.* ab archidiaconis ad epiſcopos, non metropolitanos appellandum eſſe contendat, eo quod inter hos & illos (inquit CVIACIVS) epiſcopus non eſt medius, ſed epiſcopus cum archidiacono eandem perſonam ſuſtineat, & archidiaconus ſit per omnia, & in omnibus eius vicarius, *cap. 1. & 7. de officio archidiaconi. cap. 13. de reſtit. ſpoliat.* & ita ab eodem ad eundem appellaretur: ſed certe verum non eſt, quod ait doctiſſimus vir; duplici-

pliciter enim archidiaconus considerandus est, veluti officialis & vicarius episcopi, quod quidem habet ex consuetudine potius, quam mero iure; & tunc quidem idem forum & eamdem cum episcopo personam sortitur, & male appellatio ad episcopum deuoluitur.

III. At vero cum archidiaconus ex priuilegio sibi concesso propriam iurisdictionem habet & suum peculiarem officialem, tunc omisso episcopo, qui medius est, appellatio ad archiepiscopum deuolui non debet, vt ipse INNOCENTIVS disertis verbis profitetur, *in d. §. 1. nisi aliud de consuetudine competat*, inquit: quia scilicet videbat quosdam archidiaconos hanc habere praerogatiuam indulto vel consuetudine, quae quantum ad iurisdictionem vim habet maximam, *cap. cum contingat. de foro compet.* vt ab eorum sententiis appelletur ad archiepiscopum, vt nominatim refert de Remensi ecclesia, quod confirmat *cap. referente. de praebendis.* Idem de Senonensi archiepiscopo, ad quem appellatio ab officiali archidiaconi Parisiensis omisso episcopo deuoluitur, *cap. significantibus. de operis noui nunciatione:* & ita archidiaconus Senonensis *in cap. dilecto. de officio archidiaconi*, conqueritur coram HONORIO III. quod eo praetermisso lites exercerentur coram officiali archiepiscopi Senonensis in districtu sui archidiaconatus. Haec distinctio verissima est, & generali concilio Lugdunensi comprobata, ex quo desumtum est *d. cap. Romana.*

IV. Additur alia ratio, vt quoties ex priuilegio vel consuetudine archidiaconus propriam & separatam iurisdictionem habet, gradu episcopali non inferiorem dicamus, nec episcopus forsan sit superior, & ita cum eumdem iurisdictionis gradum teneant, nec inter eos sit medius, tunc archiepiscopus appellari debeat, vt aperte docet ALEXANDER III. *in cap. 23. & 24. de appellationib. in prima compilatione*, dum de Cantuariensi ecclesia loquitur, ad quam recta via, nullo medio, appellationes ab archidiaconorum sententiis, sicuti suffraganeorum tendunt. Immerito igitur vir doctissimus Innocentium arguit, qui in eo maxime laborauit, vt lites & controuersias iurisdictionis inter episcopos & archidiaconos sopiret.

CA-

CAPVT IX.

PORPRISVM. PORPRINDERE. PRISIVM. PRISIO. PRAESALIAE. ET REPRAESALIA. VESTITVRA.

I. Porprisum, nomen dedit Gallico vocabulo *pourpris*, *enceincte*, quod denotat possessionem, vel locum concluſum sepibus, muris, fossis, aut vallis; res *porprisa*, *in capitul. Caroli M. lib. 5. cap. 41.* ducta a verbo *porprindo*, quod est capio, inuado, vsurpo, atque etiam prendo. OVID.

\- - - *Prendique, & prendere tentans.*

II. Inde *interprisum*, seu *interprisia* & *reprisum*, seu *reprisio* in veteribus glossis, *praesaliae* & *represaliae* in constitutionibus Siculis *cap. 2. tit. 8.* & vulgo in libris feudorum. Hinc etiam *prisio*, *prisòn*, locus concluſus in glossis. *Praesalias*, siue *repraesalias* vocat *oppignorationes*, *caput vnic. de iniuriis in 6.* quod alii intelligunt clarigationem, vt quod vnus a me accepit, ego ab alio repetam principis permissu, vt notat CVIACIVS.

III. Quidam censent idem esse ἀνδρολη̃ψίαν apud POLLVCEM *lib. 8. cap. 1.* quando fugientem reum capere non datur, & in eius locum impedientium vnus capitur, apud DEMOSTHENEM *in Aristocrat.* & SVIDAS negat idem esse ac clarigationem. De his fuse GOTHOFREDVS ad *nou. 52.*

CAPVT X.

MANVS IN IVRAMENTIS. IVS MANVS MORTVAE. CONDITIONALES COLONI AGRORVM. CONDITORES.

I. Manus fidei symbolum apud veteres, quam attollere iurantes solebant *elatisque alte promisere manus*, inquit LVCANVS.

Exo-

Exodi 6. Leuaui manum vt darem eam Abraham: idem *Numerorum 14.* GREGORIVS TVRONENSIS *lib. 1. cap. 32. Eleuatisque super altarium manibus iurauit.* Nec satis manus eleuare, sed etiam super euangelia & martyrum reliquias apponere opus fuit; tum etiam ad ferrum & aes candens, ac feruidam aquam, *can. Mennam. 2. q. 5.* vt alibi annotauimus. Nec solum eius cuius fides requirebatur, sed testium coniuratorum manus exquirebantur, quibus inuicem complicatis reus suas supponebat, vt est in legibus Alamannorum *tit. 6. cap. vlt.*

II. Laicorum iuramenta & clericorum distincta fuerunt; illi diuersis modis iurare coguntur; hi vice iuramenti per sanctam consecrationem interrogandi sunt, *can. si quis presbyter. 2. q. 5.* illi adhibitis euangeliis, & martyrum capsis manus apponunt; hi tantum interrogantur, *can. quanto, & sequent. ead.* hodie laici manus eleuant, clerici pectori admouent. In sacramento fidelitatis principes non solum fidem, sed etiam manum exigunt, quod ordinis ecclesiastici regulis contrarium esse contendit IVO CARNOT. *epist. 182. & 190.* imo vetitum *can. 17.* concilii Claromontensis; nec tamen scrupulum facit in eo idem IVO; *Quod debetis*, inquit, *& corde tenetis, ore promittatis, & manu confirmetis, quia non maior mihi videtur obligatio manus, quam oris epist. 234.*

III. Per manum, omnes dexteram intellexerunt, non sinistram; quae signum non solum fidei erat, sed etiam promissionis, & compositionis cuiuslibet, *cap. 9. lib. 3. capitularium: Si per dexteram conspiratio firmata fuerit.* Deditionis quoque & obsequii signum erat apud LIVIVM *lib. 28.* praecipue in seruis, quibus fidem fallentibus dextera amputabaur: Aegidius aureae vallis *in legibus Henrici primi episcopi Leodiensis cap. 1. de treugis: Si hoc fecerit homo liber, hereditatem perdat, seruus autem amittat omne, quod habet, & dexteram perdat.* Idem refertur *in chronico Belgico* & in legibus Longobardorum *tit. 9. cap. 38.* Quae lex quoque contra omnes pacis infractores a FRIDERICO statuitur, quia manibus adhibitis pax fiebat, *tit. 27. lib. 2. feud.* Haec poena praecipue seruorum, propter fidem & obsequium, quod praestare dominis suis tenebantur.

IV. Inde fluxit *ius manus mortuae*, quod temporales domini exercebant in seruos suos, quo optimum pignus, vel iocale ex ipsorum morientium domibus exigebant; quod si nil tale inuenirent, manus abscissa eis offerebaur, quam legem Albero episcopus Leodiensis sustulit

vt est in *chronico Belgico*, & *in appendice ad Marianum*, *cap. 28.* id erat seruitutis praeteritae argumentum, & quod bonorum possessionem a dominis suis accepissent, de quo vestigium adhuc manet in Vasconia, vbi defuncti vasalli filius vel successor, in signum obedientiae & haereditatis ac possessionis adeptae ter fores baronum pulsat.

V. Rémansit tamen *manus mortuae* nuncupatio, quam seruos, & colonos, siue conditionales, siue adscriptitios habere dicimus, qui personam non habent: persona est nomen iuris, quod ex dominorum personis accipiunt: ideo THEOPHILVS *tit. de inutilib. stipulat.* ait dominum *personare* seruum, glossae προσωποποιεῖν dicunt, cum ei libertatem & bonorum possessionem permittit, qui alias nihil habere nec possidere posset, *l. 118. de regulis iuris.* Distinguuntur serui a colonis & conditionalibus, quia licet hi plenam libertatem & bonorum facultatem habeant, non tamen manum habent, eo quod per eam iureiurando ad obsequium, operas & census sese dominis obstrinxerunt, quam idcirco mortuam habere dicuntur.

VI. Sed saepe vt ab hoc manus mortuae onere soluantur, donis & remunerationibus redimunt, vnde toties in legibus Salicis & capitularibus *manus redimi pretio* dicitur. Elegans chartae redemptionalis formula est *in cap. 48.* veterum formularum: *Nec mihi, nec vlli haeredum meorum impendas seruitium, hominium, libertaticum, nec vllum obsequium, nec patronaticum, sed eas partem quam volueris.* Ita enim glebae erant adstricti, vt a locis sibi assignatis recedere non possent, perspicuum est in legibus Longobardorum *tit. 35. Ducant eum in quadriuium, & dicant sic: de quatuor viis, vbi volueris ambulare, liberam habeas potestatem.*

VII. Distinguuntur quoque serui a conditionalibus hominibus; nam aliud est esse in seruitute, aliud seruum esse; seruus naturalem defectum patitur; at qui est in seruitute, est liber, sed seruire cogitur. Conditionalis dictus est a conditionibus agrorum; nam qui primi agros constituerunt dicti sunt *conditores*, *l. 23. de aqua & aqua pluuia arcenda:* formae vero & culturae agrorum dictae sunt conditiones, & homines iis addicti conditionales in *l. 7. de iure fisci. C. lib. 10.* similiter feuda conditionalia sunt beneficia, *tit. 89. lib. 5. feudorum.* Dicti & illi *originarii*, *tit. de municipibus*, *eod. lib. C.* & *originales*, *l. 4. de incolis. eodem.*

in

in legibus Wisigothorum, & capitularibus & alibi saepe, vel etiam conditionales dicti a *condita*, quae vox significat pagum, vel territorium in veteribus formulis secundum legem Romanam *cap. 1. 4. & 5.*

CAPVT XI.

TRABALE IVDICIVM. CLAVVS. PAGINA DECRETALIS. EDICTVM PEREMPTORIVM. SYNODALE.

I. In concilio Toletano XIII. mentio fit iudicii trabalis, quod non aliud fuisse existimandum est, quam iudicium firmum, ratum & supremum; simili mente qua TVLLIVS dixit *trabali clauo figere*, quod fit summa auctoritate & consilio, act. 5. in Verrem. Clauus trabalis, est clauus imperii apud eundem, *orat. pro Sextio*; exemplo ducto a nautis, qui nauium clauum tenent, & vt ait idem *in Catone maiore: Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur; sed consilio, auctoritate, sententia.*

II. His dignitatum clauis, trabibus, vel parietibus impactis antiqui annos magistratuum notabant: TVLLIVS *5. ad Atticum, epist. 25.* & apud FESTVM. Igitur nec male iudicium trabale dicitur, quod est summum & praecipuum, eodem sensu, quo *trabalis iussio* dicitur. *Nouella* THEODOSII & VALENTINIANI *de Iudaeis*, quae cum summa seueritate exercetur: *Trabali iussione decernimus, vt quicunque pollutis, contaminatisque mentibus in sacrificio quolibet in loco fuerit deprehensus, in fortunas eius, in sanguinem ira nostra consurgat.*

III. Huic trabali iussioni affinia sunt, *pagina decretalis*, & quae *gesta decretalia* dicuntur a SIDONIO, *epist. 7. lib. 1.* & *concione post epist. 9. lib. 7.* vbi proponuntur notaria & elogia, quibus Arnaudus inter reos maiestatis delatus est ex decreto prouincialium, vt explicat SAVARO. Idem est de *epistola decretali*, quae vim legis habet, vt notat glossa *in can. si Romanorum & can. in canonicis. dist. 9.* & quae totam rem definit & terminat, sicut edictum peremptorium, *l. ad peremptorium. ff. de iudiciis, & edictum synodale*, quod συνοδικὸν σημειώμα

vocat BALSAMO, ad *can. 12.* synodi Antiochenae. Similiter apud GALENVM, & alios medicos *dies decretorii*, κριτικαὶ ἡμέραι, quibus summa vis morbi in peius vel melius resoluitur, & quasi praeiudicium totius aegritudinis fit, ita etiam apud eosdem κριτικὸς ἱδρως *sudor decretorius* accipitur.

CAPVT XII.

BREVIARIVM. CALENDARIVM. BREVE. LOGARIVM. OFFICIVM ECCLESIAE.

I. Quid intelligatur per dimidium breuiarii *in cap. 1. & 3. de pignorib.* plane non liquet. An ALEXANDER III. intelligat chartulas, seu breuia, quibus rationes & nomina ecclesiae inserta erant, *vt in l. 5. C. de conueniend. fisci debitorib.* ἀργυροπρακτικὰ βρεβία in Basilicis, *ecloga 7. Breuia*, idem sunt, quod *calendarium; codex rationum*, ἐπιτομὴ *in l. vlt. ff. de peculio. l. 3. C. de compensat.* VOPISCVS in *Aureliano: breue nominum conscripsit.* Dicitur & *logarium* Graecismo, λογάριον in *l. 3. §. Semius. de penu legata*, inde *logistae & logographi*, *l. 4. C. de tabulariis.* An vero enchiridion precum, quod in veteribus glossis dicitur βρεβίον, oratrix, vel *officium quotidianum*? id iudicandum relinquo.

II. Sed quaeri potest, num tanti pretii sit libellus, vt in pignus dari possit; id non est prorsus alienum. Breuiaria sunt volumina, quibus ceremoniarum ritus, officiorum ordo, & psalmorum cantus continebantur, quae κατάργυρα erant: laminis enim argenteis, vel aureis contegebantur; praesertim liber euangelii, qui in missa producebatur a diacono, vt videre est adhuc in plerisque ecclesiis. Sed cur Alexander de medietate breuiarii loquitur? an quod in duas partes pro ratione nempe officiorum diuisum erat?

III. Equidem olim variis voluminibus distinguebatur in *psalterium, hymnarium, legendarium, collectarium.* BONIFACIVS Moguntinus *epist. 114. Mittite mihi de pergameno bono ad vnum lectionarium perscri-*

ben-

bendum. Primis temporibus longissimum erat officium, vt ex antiquis liturgiis constat, quod GREGORIVS I. & VII. ac INNOCENTIVS III. contraxerunt in suis potissimum capellis, propter res summas, & reipublicae Christianae negotia, quae eos a tanta officiorum diuturnitate retrahebant: vnde dictum breuiarium, vt scribit RADVLPHVS TVNGRENSIS, *lib. de obseruantia canonum cap. 22.* quod postea in communem ecclesiae vsum transiit.

CAPVT XIII.

PRAEBENDA. PITTACIVM. SPORTVLA. ALBVM. EXHIBITIO. Ἀδέλφατα. σιτηρέσιον, χαρισικὴ. PLAGA. PLAGVLA MALTHA. CERVSA.

I. Quid sit praebenda, suse in paratitlis nostris. Hoc addo praebendam non solum dici beneficium, sed fructus beneficii *cap. inter cetera. de praebendis.* & *cap. cum in ecclesia, eod. in 6.* nam praebenda sumitur pro exhibitione, quae fit alimentorum, & victus, *l. 18. §. item. de instructo & instrument. leg.* ita exhibitio vxoris in *l. 69. §. in domum. de iure dot.* TERTVLLIANVS *lib. de corona militis, cap. 8.*

II. Portio frumenti, vel ciborum, quae datur clericis, dicitur *praebenda*, & qui eam accipiunt, *praebendarii*, qui fratres *sportulantes* apud D. CYPRIANVM *epist. 36.* exemplo militum & decurionum, qui sportulas sumebant, *l. 6. §. 1. de decurionib. l. vlt. C. de re militari*, & haec distributio, seu praebitio fiebat per pittacium: inde in regulis monachorum, *pitancia*; & nostris, *pitance.*

III. Haec pittacia, seu praebendae, quod ciborum portiones continerent, non solum militum, sed & clericorum, & monachorum dicta sunt ἀδέλφατα in nouella COMNENI: BALSAMO *ad can. 32.* synodi 6. in Trullo ea interpretatur ἀδέλφατα σιτηρέσια, *fraternas portiones, tit. de priuilegiis patriarcharum:* nam σιτηρέσιον apud PLVTARCHVM, & alios accipitur pro frumento, quod singulis mensibus praestatur: sumitur & pro ipso pane, vel cibo, qui quotidie penditur, apud eun-

dem PLVTARCHVM: *de fortudine Alexandri*: dicit enim Themistoclem a rege Persarum τρεῖς πόλεις λαβεῖν, τὴν μὲν εἰς σῖτον, τὴν δε εἰς οἶνον. Praebitionem hanc Achmes, *cap. 12.* vocat χαριστικὴν quam vocem *donatiuum*, quod praestari militibus solet, interpretatur.

IV. Porro *pittacii* vocabulum, antiquum est, quod in suo sensu & vera significatione modicum esse linteum seu pannum constat ex CELSO *lib. 3. cap. 10. deinde habere duo pittacia, quae latitudinem frontis, longitudinemque aequent.* Sic *cap. 9.* Iosue ex versione D. HIERONYMI vsurpatur: *Calceamenta quoque perantiqua, quae ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant*, Gallice *haillon*, & lingua Gothica *vn petas*; *plagam* vocat NONIVS; non quod illud linteum sit reticulatum & foraminibus veluti plagis distinctum, vt censuit HOTOMANVS, sed potius tritum & vsu pertusum. *Plagulam* vocat TERTVLLIANVS I. *de oratione*, *cap. 1. nouam plagulam, nouo assui vestimento.*

V. Pittacium deductum viri docti existimant ἀπὸ τῆς πίττας, vel πίσσας, i. ea *pice*, vel etiam a *maltha*, seu *calce*, *bitumine*, vel *glutine*, quibus panni & linteamina illiniebantur, PLINIO *lib. 36. cap. 24.* & *lib. 2. cap. 104.* Tales erant *libri lintei beneficiorum* apud HYGENVM *lib. 1.* quibus etiam veteres annales & magistratuum libri componebantur apud LIVIVM *decade 1. lib. 4.* SYMMACHVM *epist. 34. lib. 4.* & alibi saepe.

VI. Sed antequam libri illi conglutinarentur, pannis tantum veteres vtebantur, quibus breuis rationum memoria continebatur, qui & ideo *breues*, & *breuia* dicebantur veteribus glossis; quia commentarios breuibus & singularibus notis complectebantur, vt superiori obseruatione docuimus. Glutinandorum librorum artem primum docuisse Philtatium quemdam Atheni tradit Olympiodorus, apud PHOTIVM in *bibliotheca*, quare & illi statua erecta fuit.

VII. Eadem autem arte, qua panni illi, seu pittacia, pice & maltha, etiam tabellae ligneae & cortices arborum inficiebantur; hinc in *l. C. Theod. de alimentis: quae inopibus ab eis tabulis vel cerussatis mappis scripta per omnes ciuitates.* Inde etiam *tabellarii*, *tabelliones* & *notarii*: hae tabulae & programmata in publico exponebantur, dicta pittacia, ab HARMENOPVLO *lib. 1. tit. 4.* vulgo *album* in nostro iure, *tit. de albo scribendo. l. 1. C. de edendo l. si quis id quod de iurisdict. omnium iudic.*

ob

ob maltham nempe & ceruſſam, quae albedinem imprimebant, ceruſſam, pſynmithium vocat PLINIVS, quo vtuntur mulieres ad candorem comparandum: MARTIALIS *lib. 2. ceruſſata timet Sabella ſolem.*

VIII. In Baſilicis pittacia ideo dicuntur λευκώματα, πιτ̃ακώματα, & apud POLLVCEM. Denique omnes litterae, bullae & diplomata vocabulo generali *pittacia* dicta ſunt, BALSAMO *in ſupplementis canonum Graecorum*, lectores per archiepiſcopalia pittacia promoueri dicit: ſic etiam libelli, notaria, inſtrumenta, acta, dicuntur pittacia in Baſilicis, *ecloga 1. lib. 6. & in edicto* THEODORICI regis: *Nullus in eccleſia tabulariorum pittacia delegationis emittat.*

CAPVT XIV.

CANON VLTIMVS CONC. SARDIC. EXPLICATVS.

Epiſcopi ἐν καναλίῳ. Viae publicae, canales publici. Canalis ἁπλῶς. Canalis cum adiectione. Strata vetus. Stratae ſimpliciter. Ciuitates παρόδοι. Peruiae. Propontis canalis. Byzantinus. Aluei maris canales. Fori ſtationes. Lacus. Tines. Tine. Tertull. locus de pallio diſcuſſus. Ἀγορὰ duplex. Ἀγορὰ ἐλευθέρα. Canaille. Canis geſtatio. Sellae geſtatio. Oſtentatores meri.

I. CANON vltimus concilii Sardicenſis ſtatuit, vt epiſcopi ἐν ταῖς παρόδοις, ἤτοι καναλίῳ conſtituti quaerant ab epiſcopis tranſeuntibus, & ἐπὶ τὸ στρατόπεδον, id eſt, in caſtra proficiſcentibus, cauſam huius itineris: ZONARAS intelligit hunc canonem de praelatis ciuitatum, quae ſunt in viis publicis, ἐν ταῖς δημοσίαις κειμένων ὁδοῖς. Viae enim publicae dicuntur *canales publici*, *in l. 2. C. Theodoſ. de curios. & in l. 15. C. Theod. de curſu publico*; a media itineris regione, per quam aquae fluunt *in l. quaeſitum, de inſtructo & inſtrum. legato.*

II. Canalis enim aquaeductus dicitur, & eſt Romanum vocabulum καναλις γὰρ ἀγωγὸς ὕδατος λέγεται; ἡ δὲ λέξις Ρωμαϊκὴ, ait BALSAMO *ad dictum canon.* Proprie vero patres Sardicenſes vtuntur hac voce καναλίῳ, vt denotent viam militarem & regiam, quae ab Aquileia Byzan-

zantium ducebat, & traiecto Bosphoro Thracio, vsque ad Nicomediam Bithyniae pertingebat, vt videre est in itinerario Antonini, & Hierosolymitano a P. PITHOEO edito; & eam *canalem* vocant ἁπλῶς & κατ ἐξοχήν, tribus de causis: prima, quia omnium maxima & nobilissima, longitudinis enim erat milliarium M. CC. LVI. Secunda, quia antiquissima, ideo ab EVTROPIO *strata vetus* nuncupata, ad differentiam aliarum viarum, quae *stratae* simpliciter dicebantur, quia silice, vel glarea substructae. Huius, vt tempore suo celeberrimae, meminit M. TVLLIVS *de prouinc. consul. Via*, ait *illa nostra quae per Macedoniam est; vsque ad Hellespontum militaris.* Tertia, quod Sardica quasi in medio huius canalis sita esset.

III. Aliae vero viae militares dicebantur *canales* cum adiectione: D. ATHANASIVS *apolog. 2.* postquam enumerauit episcopos, qui ex Hispania, Gallia & aliis prouinciis Sardicam conuenerant, οἱ ἐν τῷ καναλίῳ Ἰταλίας, ait, Προβάτιος, Βιατὼρ &c. Id est, *hi qui venerunt ex canali Italiae erant Probatius, Viator &c.* Nec obstat, quod obiici posset, patres in hoc canone non de vna tantum, sed de diuersis viis loqui, ἐν ταῖς παρόδοις primo, quia παρόδοι dicuntur proprie DEMOSTHENI, ciuitates quae sunt iuxta viam publicam, peruias, vnico vocabulo eas vocat AMMIAN. MARCELL. *Villes de passage*: secundo, quia viae pleraque, de quibus loqui possunt patres, puta iter Thraciae a Cabyle Hadrianopolim, a Plotinopoli Heracleam, & per Ripam a Viminacio Nicomediam, appendices quaedam, compendia, & diuerticula erant maximae illius viae & canalis, vt constat ex dicto itinerario Antonini.

IV. Alteram canonis Sardicensis interpretationem affert vir doctus *in notis ad breuiar. canon. Cresconii*, dicens canalem hic significare ostium Propontidos, aluei nempe illius, in quo exspatiatur aequor inter angustias Hellesponti & Bosphori Thracii, & rursus in arctum coit, & ab Hellesponto ducit Byzantium situm in ostio dicti Bosphori: Haec quoque interpretatio amplectenda est; concilium enim Sardicense comprehendere voluit omnes aditus ad sacrum comitatum maritimos, nempe Propontidem, & mediterraneos, de quibus supra. Certe aluei & sinus maris *canales* dicti sunt, & SOLINVS hunc locum PLINII *lib. 5. cap. 31. Fallacibus vadis Alexandria tribus omnino aditur alueis maris,*

sic

sic exponit; *Alexandria insidioso accessu aditur, fallacibus vadis, caeco mari, tribusque tantum canalibus admittit nauigantes.*

V. Videtur tamen hic autor nimis stricte canalem sumere, pro ostio tantum Propontidos; nam hoc vocabulum vniuersum Propontidos alueum comprehendit, & canon Sardicensis intelligit sedes episcopales sitas vtrimque in ora Propontidos, ad quas nauigantes in sinu isto, vel alueo & Byzantium petentes appellere possunt pernoctandi gratia. Habuit & forum suos canales; apud FESTVM *canalicolae* vocantur, qui circa canales fori consistunt, in quibus plebeii homines & infimae sortis versabantur, ad differentiam aliorum, qui nobiliorem fori partem occupabant; nam, vt tritum est, diuersae fori erant stationes, quod satis innuit PLAVTVS *in Curculione, actu 4.*

In foro infimo boni homines atque dites ambulant,
In medio propter canalem ibi ostentatores meri,
Confidentes, garrulique & maleuoli supra lacum.

VI. Notandum obiter lacum, de quo hic PLAVTVS, esse in quem aquae per fistulas & canales deuoluebantur, apud Graecos δεξαμενη, *cisterna*, ab VLPIANO *lenis*, vel *lenes*, *in l. 15. de action. empt.* ALFENVS *in l. 17. si seruit. vindic.* vocat *tenem*, vel *tinem*; nec male, inde nos *tine* vocamus cupam illam grandem ad vinum conficiendum, in quam mustum infunditur. Nec existimes, cum Lambino, Plautum loqui de lacu Lucrino, ad quem laniones, haruspices, & alii lucri captandi causa confluebant, vt PLAVTVS paulo post subiungit, sed de canali in foro. De hoc TERTVLLIANVM, *lib. de pallio, cap. 5.* loqui censet vir magnus SALMASIVS, & vbi communis lectio habet *cancellos non adoro*, legit ex MS. *canales non odoro.*

VI. Sed haec correctio non conuenit sensui autoris; TERTVLLIANVS enim loquitur de illa fori parte, in qua ius dicebatur, non in qua pauperes & vilia capita consistebant, quales erant ostentatores meri: haec verba, *nulla praetoria obseruo, subsellia non contundo*, immediate antecedentia & subsequentia id manifeste demonstrant; & adoratio congruit omnino praetoriis & subselliis, in quibus iudices causas audiebant, quae cancellis & repagulis distinguebantur, vt liquet ex dicta *l. quaesitum*, & *l. lines. de action. empt.* in quibus VLPIANVS de cancellis, & de canalibus separatim loquitur. Canales illi deputabantur vilibus ne-

gotiis & mercibus vendendis, &, vt loquitur HORATIVS, *epistol. lib. 1. ep. 7.*

Vilia vendenti tunicato scruta popello.

Ita etiam ARISTOTELES ἀγορὰν in duas partes diuidit, *7. Politic. cap. 12.* ἐν χολάζειν μὲν γὰρ τὴν ἄνω τιθέμεν, ταυτῆς δὲ πρὸς τὰς ἀναγκαίας πράξεις. i. e. *superius enim forum vacare, hoc autem actionibus necessariis seruire censemus.* Superius forum vacare dixit, quod rebus venalibus inquinari, artificibus, agricolis, & ceteris vilibus personis patere non debeat; ideoque notat in Thessalia hoc forum ἀγορὰν ἐλευθέραν appellari.

VIII. Ab illis autem canalibus, seu canalicolis existimarem deductam vocem, qua nos hodie vtimur cum viles personas designamus, *la canaille.* Vir doctissimus putat hoc nomen *canaille*, a canibus deductum esse; quia canum gestatio ignominiae causa imperabatur. Vocare aliquem canem maximum est contemptu signum, ita vt nihil indignius obiici possit. Abner domui regiae praefectus, *cap. 3. lib. 2. Reg. Numquid caput canis ego sum aduersum Iudam hodie?* Canis nomen a militibus aduersus hostem vsurpabatur, vt notat DONATVS in illud TERENTII, *actu 4. scen. 7. Ain' tu canis?* quod confirmat ex Homero. Qui capite damnabantur apud veteres Francos & Sueuos, canem humeris deferre cogebantur GVNTHERVS *lib. 5.*

Impositum scapulis ad contigui comitatus,
Coguntur per rura canem confinia ferre,
Sin alios sellam. Et alibi:
Portauit scapulis passus plus mille latrantem.

IX. Sed haec non ad plebeiorum & vilium capitum dedecus inuenta fuerunt, imo potius nobilium, vt est apud OTHONEM *in histor. Friderici*, & RADEVICVM *lib. 3. cap. 18. Ad confusionis suae ignominiam nobilis canem, ministerialis sellam de comitatu in proximum comitatum gestare cogitur.* Idem refert DODECHINVS, qui & addit pro parte episcoporum aliquos comites, seu nobiles canes portasse, *Moguntiac. lib. 5. cap. 3.* vt refertur a CVIACIO *2. obseru.*

X. Porro ne quid intactum relinquamus, ostentatores meri, de quibus PLAVTVS, non intelligendi sunt, cum quibusdam, οἰνοπωλείται, aut ii qui ad tabernam vinariam sedent, quam BALSAMON οἰνάριον vocat, quos caupones & venditores vini esse patet ex LAMPRIDIO

in

in Alexandro, & SVETONIO, *in Claudio; cum de laniis, aut vinariis ageretur, exclamat in curia.* Hi ſuum forum habebant, ſicut alii huius generis miniſtri; ſed potius oſtentatores meri erant, qui in canalibus guſtandum populo vinum propinabant; qui locus vilioribus perſonis deputatus erat, vt dictum eſt, ſicut in velabro, ex eiusdem PLAVTI loco:

In velabro vel piſtorem, vel lanium, vel haruſpicem.

CAPVT XV.

DE BVLLIS, ANNOTATIONIBVS, SVBSCRIPTIONIBVS PONTIFICVM.

I. Differentia eſt inter annotationem, & ſubſcriptionem, & ſignum & ſigillum: ſignare & ſubſcribere maxime differunt. Signare eſt nomen ſuum ſimpliciter appingere, vel ſigillum apponere: at ſubſcribere eſt narrationem facti & decreti totius cauſam exponere.

II. Quandoque tota ſubſcriptio litteris ſolennibus adhibito encauto fiebat, alias vero ſolum nomen principis, vel ſigillum rubro murice adhibebatur, vel in cera imprimebatur; vel plumbo, aere, argento vel auro exprimebatur cauterio, i. e. ferro ignito, vel penicillo, *l. 17. ff. de fundo inſtructo*: pictoris enim inſtrumento ceram, colores, penicillos, cauteria & conchas cedere ait MARTIANVS.

III. Imo & neceſſum erat, vt vel tota ſcriptura, vel ſignum cocti muricis, vel triti conchylii ardore ſignaretur, alioquin fides non adhibebatur *l. 6. C. de diuerſ. reſcript.* Hoc enim colore maieſtas principum enitebat; ideo refert NICETAS *lib. 7.* Manuëlem Comnenum decretum aliquod contra fidem rubra ſcriptura, tanquam enſe flammeo muniuiſſe, ἀμέλει καὶ γραφεῖς ἐρυθραῖς ὡς φλογίνῃ ῥομφαίᾳ τὸ δόγμα &c. ſed & frequenter cum princeps ſua manu ſubnotabat, rubris litteris vtebatur: ideo ipſe NICETAS Alexium Conſtantino in purpura nato communicaſſe rubram ſubnotationem docet.

IV. Inde factum, vt diplomata, bullae aureae dicerentur in *can. 12.* ſynodi I. Conſtantin. quaſi dicas *aurea decreta*, χρυσοβύλλους λόγους,

orationes bullae aureae, non orationes aurei consilii; vt male vertit interpres HARMENOPVLI *lib. 1. tit. 1.* nec enim aureum erat consilium, sed decretum, quod bulla aurea erat insignitum, cui notae, insignia, & icones principum inserebantur, vt notum est ex Codino & Niceta: alias bulla argentea adhibebatur. PHRANZES *lib. 2. cap. 10.* LVITPRANDVS *in legatione.*

V. Tales autem bullae aureae vix priuatorum causas, sed publicas tantum & generales continebant, ideo BALSAMO *ad d. can. 12.* bullam auream imperatoris *medicatricem* vocat, quod medeatur titulis & iuribus ecclesiarum omnium, ὡς ἰωμένος τὰ χολεύοντα ἴσως δικαιώματα τῶν ἁπανταχῆ ἐκκλησιῶν.

VI. Nec absimili ratione constitutiones summorum pontificum dici debent *aureae bullae*, & *oracula*, quod per eos loquatur spiritus sanctus, & quae ab ipsis fiunt, vt ipso D. Petri ore pronunciata existimentur, *can. sic omnes. 19. dist.* Christus enim omnibus apostolis in persona Petri potestatis plenitudinem concessit, *Clement. 2. in fine de re iudicata.*

VII. Haec autem duo genera bullarum diplomatibus & rescriptis imprimebant, vel cum ad reges & toparchas scriberent imperatores; vel de re graui, vt dixi, & publica decernerent. Cereis vero vtebantur, cum ad augustam, vel filios, & alios regiae stirpis. Ad despotas vero, & magistratus digniores διὰ μολιβδίνης βέλλης, id est *plumbea bulla*, vt ex CODINO constat. Diuersitatem etiam colorum pro ratione causarum & prouinciarum in sigillis regum nostrorum aduertimus.

CAPVT XVI.

RELATIO. IVS RELATIONIS MVLTIPLEX.

I. In *toto titulo de appellationibus*, vnicum caput agit *de relationibus*; *caput* nempe *intimasti. 68.* quod congruit cum iure ciuili. Relatio est quoties iudex consulit principem de iure, de quo dubitatur, vel vt remittat omnem cognitionem vel appellationi satisfaciat, *l. 2. C. de officio vicarii.* Ita est in iure canonico, quo his tribus casibus relatio fit ad summum pontificem, qui quidem ius relationis habet ex plenitudine pote-

potestatis, quia sedes apostolica communis est mater & caput, *can. si quis, & seq. 2. q. 6.*

II. Sed quaeritur, an pluries relatio fieri debeat? Nam cum appellationem tertio in vna eademque causa non esse admittendam doceat *cap. sua nobis. eod. tit. de appellationibus*, & tertiae quoque sententiae standum sit iure nostri concordati, an idem de relationibus dicendum sit, merito quaeri potuit. Quod quidem non idem esse videtur, quia relatio saepius est consultatio, συνέλεξις, vt vocant Basilica, atque ideo cum in vna eademque causa plures incidentes quaestiones emergant, & de variis articulis fiat appellatio, saepius admitti relationem probat glossa in *cap. praeterea. 40. eod.* quod & optime confirmat lex *37. C. Theod. de appellat. ne in vno eodemque negotio per singulas praescriptiones necesse sit saepius prouocari, ad nos referri omnes peremptorias praescriptiones quisque cogatur expromere.*

III. Ad hunc relationis modum pertinere dicunt quidam, quod vulgo apud historiae Rom. scriptores legitur de iure secundae, tertiae, quartae & quintae relationis ab imperatoribus concesso, quod tamen longe diuersum est ab hoc referendi genere, quod fiebat a iudicibus vel inferioribus magistratibus ad principem, *l. 2. C. de officio vicarii, & l. praecipimus. C. de appellat.* ius enim illud relationis ad principem non fiebat, sed a principe ad senatum, quem princeps consulebat, transibat, vt postea fieret senatusconsultum.

IV. Soli primum consules ius ad senatum referendi habebant; TACITVS 15. *Annalium: Non tamen SCtum perfici potuit abnuentibus consulibus, ea de re relatum:* sed glisCente imperatorum autoritate sensim ipsi ius omne relationis vsurparunt, & imprimis vnica relatione de vnaquaque re singulis senatibus contenti fuerunt, vt de Augusto legitur *in fragmento legis regiae ex aere* Romae, quam refert ANT. AVGVSTINVS *lib. de legibus: Vtique ei senatum habere, relationem facere, remittere senatusconsultum per relationem, discessionemque facere liceat, ita vt licuit D. Augusto Ti. Iulio Caesari Aug. Ti. Claudio Caesari Aug. Germanico*, & refert DIO CASSIVS *lib. 53.* καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς ἑπεῖ ἀν ἐθελήσῃ κατ' ἐκάςην βελὴν. Non quidem vt de eadem re saepius relatio fieret, vt sentit CVIACIVS, quod non probat CASAVBONVS ex ipso DIONE.

V. Deinde ius secundae, tertiae, quartae & quintae relationis obtinuerunt imperatores in vnoquoque senatu, & ita intelligendus SVETONIVS in *Iulio*, IVLIVS CAPITOL. in *Pertinace*, & passim alii autores, quod tamen nominetenus fiebat ab imperatoribus, ne affectati imperii suspicione notarentur: quamuis vulgo nec tali relationis iure contenti essent, sed omnia suo arbitrio facerent, adhibitis pauciſſimis, aut fere nullis senatoribus contra leges Rom. quae βελὴν καθήσκεσαν exigebant, i. e. *legitimum senatum* apud SPARTIANVM in ADRIANO: qui quidem olim erat quadringentorum senatorum, deinde fuit ducentorum apud eundem DIONEM *lib. 54.* tum deinde multum diminutus vsque ad quinquaginta, saltem ex lege CONSTANTINI.

VI. Ac vice versa factum est, vt non princeps ad senatum, sed senatus ad principem decreta referret, apud TACITVM *14. Annal. Consules perficere senatus decretum non ausi, de consensu scripsere caesari.* Et ita apparet ius relationis, de quo in iure canonico & passim in *codice* Iustiniani & Theodos. aliud esse ab hoc secundae, tertiae, quartae, & quintae relationis iure.

OBSER-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0298
DFG

OBSERVATIONVM IVRIS CANONICI LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

CYLISTRAE. MORES GRAECORVM IN PROMOVENDIS CANDIDATIS. PALLIVM SOPHISTICVM IVRIS ANTISTITES.

I. In *can. 71.* syn. VI in Trullo, Graeci mores in iuris candidatis promouendis, & cyliſtrae prohibentur; qui quidem mores ab Athenis in alias vrbes exceſſere, praeſertim Conſtantinopolim, vt BALSAMON eo loco ſcribit.

II. Cyliſtras nihil aliud eſſe, quam agitationes & quaſi pugnas adinſtar equorum curulium & ludorum circenſium ſatis patet; κυλίσρας locum vbi equi volutantur, & agitantur, interpretatur IVLIVS POLLVX, *cap. 11. lib. 1.* Sed & ipſum agitationis & volutationis exercitium eſt, quod κύλισμα dicitur *in epiſt.* D. PETRI, *cap. 2. in fi.* Ritus illi & mores Graecorum inter ſcholaſticos & magiſtros contentiones excitabant, illis candidatum, ne promoueretur, impedire conantibus & vltro citroque eum vindicantibus; at contra magiſtris eum doctorum, vel ſophiſtarum numero adſcriberc volentibus.

III. Antequam vero quis promoueretur, in balneum deducebatur; vt non niſi lotus pallium aſſumeret, ideo ne lauaretur, clamitabant ſcholaſtici Στά, ϛὰ ὲ λυτή. *Sta, ſta non lauat*, vt apud OLYMPIODORVM refertur: Eodem fere ritu, quo olim libertatis aſſertio fiebat ter, vel quater aduerſus retrahentem, ſeu vindicantem in ſeruitutem illum, de cuius ſtatu quaeſtio habebatur, *l. 1. C. Theod. de liberali cauſa, l. 1. C. de*

C. de assertione toll. quam assertionem perfuforiam vocat SVETON. *in Domitiano. cap. 5.* quia dicis causa, sicut trina mancipatio fiebat.

IV. Contentione peracta candidatus ex balneo lotus exibat, & pallio induebatur, quod summo honoris titulo apud Graecos habebatur, eoque omnes philosophi, grammatici, & alii liberarum artium magistri insigniebantur, vt docet TERTVLL. *lib. de pallio cap. 7.* idque tanti habitum fuit, vt Graecum nomen Latinum factum fuisse dicat, *etsi Graecum magis, sed lingua iam penes Latium est.*

V. Non autem dictus canon hoc pallium condemnat, vt quidam existimant, quod semper laudatum, & vsque ad nostram aetatem in academiis summo in pretio fuit: licet pallium, quod a Cynicis ortum traxit, paludamentum admodum vile, attritum, & lacerum Graecis esset, τρίβων, vel πριβώνιον vocat D. CHRYSOSTOMVS *homil. 20. in cap. 4. Genes.* sed & πάλλιον vulgo dixerunt glossae, HESICHIVS, SVIDAS, & alii. Quamuis vile esset apud Cynicos, honestius & splendidius fuit apud sophistas, & alios, praesertim iuris antistites, quos ἀκρωμίτας vocat OLYMPIODORVS: vulgo ex serico & purpura compactum erat.

VI. Hoc quidem genus pallii nusquam vetitum, sed potius abusus ille, quo vestibus variegatis & valde pretiosis candidatus induebatur, & quod multa ridicule conficta exhiberentur, vt notat BALSAMON, μετὰ θεατρίζειν, καὶ διὰ τοῦτο οἱ πατέρες ἐθεσμοθέτησαν τὰ ἐν τῷ παρόντι κανόνι. Id est, *cum magna quidem pompa & sumptuosis vestibus in theatrum deducerent, & ideo statuisse patres ea, quae sunt in praesenti canone.* Tales autem candidatos OLYMPIODORVS νεηλυδες, quos BALSAMO τελειωθέντας, id est *iam perfectos* vocat.

CA-

CAPVT II.

CHARACTER. CHARAXATVRA. CANCIV. CRESCONII ELVCIDATVS. CRVCES FACERE. ALBVM.

I. Character a Graeco verbo χαράσσω, vel χαρατ⌉ω deductum esse nemo nescit, quod significat *imprimo*, *inscribo*, inde *charaxator* scriba, notarius, & *charaxatura*, scriptura in veteribus glossis, sed melius pro litura apud MARCVLPHVM *lib. 2. formula 17.* & hinc, ni fallor, desumendus est intellectus *can. 204.* in breuiario CRESCONII; ad quem vir doctus adducit interrogationem quintam ad NICETAM patriarcham in codice iuris Graeco Romani lib. I. ἐι τις ϛαυρὸς ἐν χάρτῃ οικειωχείρως ποιῶν, ἢ καὶ συσκευὰς καθ' ἀυτῶν, ἢ καὶ λαοσυναξίας ἐκμελετῶν: quod sic vertit interpres: *Si quis cruces in charta propria manu feciſſe, aut inſidias in ipſos, vel coetus populi meditatus.* Fatetur ille se ignorare quid sit cruces in charta facere.

II. Ego nihil aliud putaui, quam ex albo, seu matricula, ἐκ καταλόγε ἱερατικῆ *in can. 8. apostolorum* delere, vel aliquem expungere, vt in *can. 2.* concilii Agathensis, clericis, qui ad peregrinam communionem redacti sunt, vt post poenitentiam rescripti in matricula gradum suum recipiant. Hoc fiebat per cruces, inde *cruciatas facere*, nos, *croiser*. MODESTINVS vocat *albi proscriptionem in l. 10. de decurionibus*, & huic sensui optime quadrat, quod ait VLP. *in l. 7. ff. de iurisdict. omnium iud. Si quis id, quod in albo, vel in charta, vel in alia materia propositum erit, dolo malo corruperit, datur in eum quingentorum aureorum iudicium*, poena falsi; vel extra ordinem puniri ait PAVLVS *I. sentent. tit. de iudicato*, & *5. tit. ad l. Corneliam testamentariam.* Album FESTVS intelligit albas tabulas, albas chartas: THEOPHILVS interpretatur tabulam dealbatam.

III. In ecclesia vero erant sacrae tabulae δίπλυχα, καὶ πλύχα apud D. AVGVSTINVM *lib. 3. de communi vita cleric.* in quibus offerentium

& aliorum fidelium benemeritorum nomina scripta erant; tum etiam mortuorum, vt constat ex *epist.* INNOCENTII I. *ad Decentium*, Dionysio Areop. D. Chrysostomo, Theodorito, & aliis, vt docuit PAMELIVS ad *epist. 10. & 66. D. Cypriani*, BASILIVS *in epist. ad Nicopolitanos presbyteros*, ἔλειψεν εἷς ἐκ τοῦ πληρώματος ὑμῶν, id est, *vnus ex albo vestro defecit.* Ita apud Spartanos publicis tabulis nomina nobilium inscribi solebant, vt refert SYNESIVS *epist. 57.*

IV. Quod si ista sententia non placet, *cruces in charta facere*, interpretabimur contra veneficos & incantatores, qui ad aliquos defigendos, characteres in chartis faciunt, seu in membranis & pittaciolis, quae Graeci περιάμματα vocant, de quibus *can. 4.* Concil. Antissiodorensis & *can. 14.* conc. Narbon. *Si qui viri, aut mulieres diuinatores, quos dicunt esse caragios.* S. AVDOENVS *in vita S. Eligii.*

V. Alii vocant *caraxios*, aut *charaxarios*: ADHELMVS *de laudibus Virg. cap. 10. flexis literarum apicibus in quadrata parietis pagina charaxatis.* GREG. TVRON. *lib. 1. de miraculis, cap. 5. & lib. 7. cap. 37.* quem vide. Illae incantationes, seu characteres erant coniurationes, quas memorat *d. can. 204. & can. 18.* concil. Chalcedonensis.

CAPVT III.

DE

PRAESANCTIFICATIS. MISSA PERFECTA. COMMVNIO PERFECTA.

I. Canon 52. synodi in Trullo ait, προηγιασμένων, praesanctificatorum sacrificium fieri debere in tota quadragesima, praeter sabbathum, & dominicam diem, nec non festum annunciationis, qui dies sunt gaudii, vt notat BALSAMO, & ad quos solennitates martyrum in quadragesima occurrentium transferebant, iuxta *can. 51.* eiusdem synodi.

II. Hoc autem intelligendum, vt his diebus tantum liceret offerre missae sacrificium, & consecrare corpus Christi, quod erat sacrificium perfectum: ceteris diebus dicebatur missa, sed non fiebat oblatio, & communio sumebatur ex praesanctificatis προηγιασμένοις.

III.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0302
DFG

III. Hunc ritum idem BALSAMO describit apud LEVNCLAVIVM *in responsis ad interrogationes Marci patriarchae Alexandrini*; & id sacrificium minus perfectum dicebatur, ὅτε τελεία ἱεροτελεσία ἐ γίνεται. id est, *quando perfecta sanctificatio non fit*, quae omnia dilucide ZONARAS *ad eumdem can. & ad can. 49.* synodi Laodicenae. De iisdem liturgiis praesanctificatorum fasti Siculi, de quib. MAENARDVS vir doctissimus, in librum sacramentorum s. Gregorii.

IV. Sicut autem erat sacrificium perfectum, & minus perfectum, ita & communio vna erat perfecta, altera minus perfecta: τὸ τέλειον dicitur perfectio communionis *in can. 4.* synodi Ancyr. inter fideles scilicet, quando ad sacramentorum participationem cum aliis admittebantur, dicebatur communio perfecta; quia aliquando ad communionem simplicem, id est consociationem, sed non ad sacramenta patebat accessus, vt notaui *ad tit. de poenitentiis* apud GREGORIVM, & probatur *ex can. Engeltruda. 3. q. 4. & can. quisquis. 17. q. 4.*

CAPVT IV.

QVID SIT PERFECTA SENTENTIA, PERFECTA SYNODVS. DIFFERENTIA INTER PAPAE ET PATRIARCHAE NOMEN. QVIS PROPRIE PAPA DICATVR.

I. Cum de perfecto sacrificio, & perfecta communione dixerimus, merito & haec addi possunt de perfecta sententia & synodo. Perfectam condemnationem definit BALSAMO *ad can. 4.* synodi Antiochenae, contra quam iuste depositi non habent appellationis auxilium, ἤγουν μὴ ἔχοντας βοήθειαν ἐκκλήτε, idque probat *ex can. 28. apostol.* in quo iuste depositus, καθαιρεθεὶς δικαίως, sibi creditum ministerium attingere non debet.

II. Ex quibus BALSAMO non potest adstruere sententiam suam; quippe sententia perfecta legitima esse potest, licet appellatio subsequatur; nec enim ex subsequentibus vires capit, sed ex praecedentibus & circumstantibus *l. 37. & 39. ff. de re iudicata*: alioquin ex euentu sen-

tentiae vigor penderet, quod non est verum; effectus quidem & executio pendet ex euentu, si appellatio fiat, vel non fiat, *cap. cum inter. de sententia & re iud.* licet hoc innuere videatur *cap. 4. eod.* quod si integrum legatur apud LEONEM, *epist. 87. in fin.* aliud demonstrabitur, siquidem confirmationem exigi docet *in causis magni momenti, quae ad statum ecclesiae & ad concordiam pertinent*, inquit, & quae prius definitae sunt a synodo prouinciali, tunc enim summi pontificis confirmatio desideratur, vt recte annotauit CVIAC. *ad hoc cap.* Nec ideo tamen synodus prouincialis minus perfecta erit, non expectata confirmatione.

III. Perfecta dicitur synodus, sicut sententia, vocatis partibus per legitima temporum spatia; assistentibus episcopis, & aliis, quorum praesentia est necessaria, vt concors sententia proferatur, *cap. 3. eod.* quo requiritur, vt synodus speciatim ad rem, de qua quaestio est, agatur, & vt solennis conuentus adhibeatur, quod nominatim desiderat D. GREGORIVS *in ep. 8. lib. 2.* ex qua desumptum est *dictum cap. 3. Canonicis*, inquit, *probationibus exquisitis, & sacerdotalis consilii praeueniente iudicio;* ita tamen vt non omnium consensus desideretur, sed maioris partis, licet aliqui contradicant, vt docet *can. 6.* synodi Nicenae, vnde desumtus est *can. 1. 65. dist.* & tunc perfectum est iudicium, perfecta sententias, perfecta synodus. *Integrum est iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur*; *can. extra. 64. d. & in can. 16.* synodi Antiochenae τελεία δὲ ἔστιν, ὅταν καὶ ὁ μητροπολίτης παρῇ. Id est, *synodus integra est cum metropolitanus adest.* In causa tamen deponendorum episcoporum concordem omnium sententiam vnum consonumque iudicium desiderat *can. si quis criminaliter. 6. q. 4.* quod speciale esse in episcopis tantum, notat illic *gloss. & ad. d. can. 3.*

IV. Et tunc quidem ex sententia D. LEONIS confirmationem summi pontificis requiri dicendum est, imo & citra autoritatem summi pontificis, talem synodum prouincialem congregari non posse, nec causam definiri, sed tantum scrutari, quod est litem instruere ex decreto SIXTI II. & aliorum constat, *in can. accusatus. & seq. 3. q. 6.* Quo casu sententiam BALSAMONIS veram esse non inficiabimur. Id est τελείαν σύνοδον perfectam synodum, perfectam sententiam esse. Sed in eo peccat, quod tunc perfectam contendat, cum vel Romani pontificis, vel Constantinopolitani confirmatio ineat, *ad can. 3.* synodi Sardicen.

dicen. in quo fit tantum mentio Rom. pontificis, non Constantinopolitani, pro qua partes suas interponit; cum tamen non magis huic, quam ceteris primatibus, Alexandrino, Hierosolymitano, & Antiocheno hunc honorem deferri asserere deberet; quos aequales ipse agnoscit *ad d. can. 6.* synodi Nicaenae, & inde inuitus Romanum supremum omnium esse fatetur, *διὰ τιμὴν τῦ ἀποστολικῦ θρόνυ*, vt loquitur *ad d. can. 3.* synodi Sardicen. & *in praefatione synodi 6.* ad imp. IVSTINIANVM idem innuit, & aliis plerisque locis.

V. Ex quibus & hoc annotandum est, ipsum BALSAMONEM, licet Graecas partes amplecteretur, se ipsum proprio gladio confodisse: nam quoties aequare nititur Constantinopolitanum Romano pontifici, toties eos diuersis nominibus ornat, Romanum quidem fere semper nominat papam; Constantinopolitanum vero vel episcopum, vel primatem, vel patriarcham, etiam tunc, cum de his duobus solis loquitur, vt *ad cap. 5. tit. 1. de fide*, *ad nomocan.* PHOTII. Quae vox, *papa*, licet frequenter omnibus episcopis accomodata fuerit, vt ex epistolis D. Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Sidonii Apollinaris & aliorum constat, propria tamen & peculiaris facta fuit soli Rom. pontifici exclusis aliis, primum ab ipso imperatore Iustiniano, dum deinde ab aliis vsque ad nostra tempora.

VI. Ideo hanc differentiam supremae potestatis agnoscit BALSAMO *in praefatione ad synodum Carthaginensem*, vbi & apostolicam sedem *τὸν τῆς Ρώμης θρόνον* appellasse dicit, additque, tunc temporis Aurelium Carthaginensem episcopum papae nomine donatum fuisse, quam tamen appellationem non durasse ad sua vsque tempora docet, agens de Faustino in quibusdam quaestionibus tractandis, vt a papa illi mandatum fuerat: & subiungit, vt ostendat differentiam, *mandauit Aurelius episcopus hoc fieri.* Similiter Cyrillus Alexandrinus papae nomen meruit, vt vniuersi orbis iudex appellaretur, scilicet in Ephesina synodo tantum, vtpote mandatarius, & locum tenens Caelestini papae Roman. vt videmus apud NICEPHORVM *lib. 14. cap. 34.* Quidam vsque ad Gregorium septimum hoc papae nomen ab omnibus vsurpatum fuisse dicunt, qui primus alium, quam R. pontificem, hoc titulo, ornari noluit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0305
DFG

CAPVT V.

ROGA. CONGIARIVM. CANISCIA. SALARIA. BAIA. HYPATIA. BAIES.

I. Principales liberalitates, de quibus *in l. patronus. de legatis 3.* non tantum ab imperatoribus & principibus populo erogabantur; sed etiam a summis pontificibus & patriarchis clero, vt patet ex ANNASTASIO *in Deusdedit: Diuisit per obsequia sua ad omnem clerum rogam vnam integram*: Idem *in Bonifacio V. Seuerino, Leone III. & aliis.*

II. *Roga* etenim idem est, quod Graecis, ἐπίδοσις, donum quod, populo munificentissime distribuebatur, quae vox vsurpata mediis temporibus a Zonara, Cedreno, Harmenopulo, Phrantze, & aliis. Aliquando in auro, vel argento, alias in frumento, vel vino, & caeteris ad esum commodis exhibebatur. Idem erat *congiarium*, quod licet proprie mensura esset liquidorum, vtpote olei, apud LIVIVM *lib. 25. P. Scipio congium olei in viros singulos dedit*, postea traductum fuit ad frumentum, & quamlibet annonam, tum etiam ad nummos aureos, vel argenteos, vt notum est ex SVETONIO *in Augusto.*

III. Idem de *sportulis*, & *canisciis*, quae voces a Graecis vsurpatae: de σπορτέλλοις in Basilicis, *ecloga 6.* & *in constitutione* HERACLII; in glossariis vulgo καυίσκια, apud BALSAMONEM *ad can. 4. apostol.* Ita quoque *salaria* vulgo traducta ad omnia donaria, quae proprie in carnibus bubulis & suillis consistebant, *l. 1. 5. & 6. C. Th. de erogatione militi anno.* quae ideo dicebantur salaria LAMPRID. *in Heliogabalo*, eadem quoque *hypatia* dicebantur.

IV. Rogae igitur vox ad omnes liberalitates principium traducta fuit, non imperatorum tantum, sed etiam pontificum, non quod rogarentur a populo vel clero, quamuis SVETONIVS notet populum congiarium popoſciſſe, quam turpitudinem & insolentiam Augustus edicto exprobrauit: & TVLLIVS eum nunquam nisi impulsum & concitatum feciſſe ait, licet etiam & sponte popoſciſſe aliquid referat *1. officiorum*

nam

nam erant huic curae praepositi, qui largitionem populo proponerent apud SVETON. *in Galba*, verum tamen est, etsi non aperte, saltem tacite munera populum exegisse; siquidem in legibus & plebiscitis, & iis, quae ab imperatoribus desiderabantur, rogabatur populus, & ex ea rogatione sequebatur erogatio, seu largitio, quae dicta fuit *roga*, & *baium* apud CEDRENVM *in Iustiniano II.* ἄχρις ἀπολύσεως τῶ πρώτω βαΐω ἐπεβόα ὁ δήμος. Id est, *tantisper, dum primum baium mitteretur, acclamauit populus.*

V. Quid sit proprie baium, docet D. HIERONYM. *2. aduersus Iouinianum*: *Cubile eis de foliis palmarum, quas baias vocant*; *contextum erat*, & probatur ex *cap. 12.* IOANNIS patriarchae Constantinopolitani. Eas etiam rogas vsurpabant, in diebus catecheseos, & annuis rogis baia miscebant, argento vel auro ornata, ἐξ ἀργύρω τύχον, ἢ χρύσω καλυνέμενα, vt longo sermone enarrat BALASMO *lib. 7. meditationum.*

VI. Deinde loco auri & argenti coeperunt dari rami palmarum, ac myrtorum; ac postea omnibus cuiuscunque generis arborum ramis, baiorum nomen inditum fuit, vt ex *d. cap. 12. Ioan.* apparet: ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν φοινίκων: sic PAPIAS *in lexico*, *baias*, *ramos balaneos* interpretatur.

VII. BALSAMO tamen baium nunquam apud Latinos & Graecos ramum palmae, myrti, vel alterius arboris fuisse existimauit; sed esse animi humani ab vna sententia in aliam traductionem quandam bonam videlicet, vel prauam, quae dicitur ἀνθρωπίνης δὲ γνώμης, ἐκ τῆδε εἰς τόδε μετάβασις, ἀγαθὴ δηλόνοτι ἢ πονηρά. Et inde forsan quaecunque inconsulto & minus caute proferuntur, nos *bayes* appellamus: confirmatur id ex eo, quod ipse BALSAMO dicat, aurea vel argentea dona in ramos tenues & inutiles conuersa fuisse, ita vt ramorum loco tandem & suffitus dari populo coeperint, vt *sequenti obseruatione* dicetur.

CA-

CAPVT VI.

DE INCENSO, ET SVFFITV.

I. In locum baiorum & rogarum succeſſit ſuffitus & incenſum, iis potiſſimum diebus, quibus olim fiebant catecheſes, ἀντὶ ῥογῶν καὶ βάιων μόνα διδόασι τῷ λαῷ θυμιάματα, id eſt, *loco rogarum & baiorum ſola populo dant incenſa*, ait idem BALSAMO *loco citato*: ita tamen vt illud incenſum non tantum honoris cauſa datum fuerit, ſed etiam ad incitandum populum ad orationem: vnde *apocalypſis 8. incenſa ſunt orationes ſanctorum*: & apud D. HIERON. *in pſal. 140.* repraeſentat etenim effectum gratiae ſuffitus, *per quem veniam conſequimur, & mundamur, & ſanctificamur, & abluimur, & abſtergimur ab omni ſorde peccati*, ait S. SEVERVS patriarcha Alexandrinus *in deſcriptione & ordine oblationis.*

II. Nec ideo mirum, ſi DANIEL propheta paſſus eſt hoſtias & incenſum ſibi offerri, iuſſu regis Nabuchodonoſor, *cap. 2. Danielis*, quem idcirco calumniari voluit PORPHYRIVS, quaſi Daniel honores Deo debitos vſurparit, quam iniuriam diluunt doctores, quibus Dionyſius Carthuſianus addit, hoc factum fuiſſe in conſolationem populi captiui, vt Daniel a Deo miſſus, diuinae maieſtati, non ſibi honores tribueret.

III. Quamobrem thurificatio locum ſemper habuit in eccleſia, non ſolum in altaribus, iuxta veteris teſtamenti ordinem, quo erat altare thymiamatis in primo tabernaculo, & intra primum velum, quod D. LVCAS vocat, *altare incenſi cap. 1.* de quo PHILO IVDAEVS *lib. de victimis offerendis, & lib. de ſacerdotali honore;* ſed etiam incenſum dabatur pontificibus, ſacerdotibus, principibus, ac omni populo, vt eſt *in veteri rituali Romano: Diaconus poſtquam thuriſicauit pontificem, dat acolytho; qui primo ipſum diaconum, a quo recepit thuribulum, mox alios, ſi qui in clero ſuperſunt, & reliquum populum thuriſicat.* Idem apud PHILOTHEVM patriarcham, *in ordine miniſtrandi a diacono, cap. 1. & in liturgiis Graecorum*, ὁ δὲ ἱερεὺς, ἢ ὁ διάκονος θυμιᾷ πρῶτον μὲν τὴν πρόθεσιν, & paulo poſt, καὶ τὸν ναὸν σὺν παντὶ λαῷ. Id eſt, *Sacerdos vero,*

ro, vel diaconus thure perfundit primo protheſin, & poſt templum cum omni populo. In miſſa apoſtolica, καὶ θυμιᾷ τὸν λαόν, εἶτα ἐκφώνως ὁ διάκονος. Id eſt, *tum populo adſpergit thymiama, deinde clara voce diaconus* εὐλόγησον δέσποτα: *benedic Domine.* Et aſpergebatur thymiama, id eſt ſuffitus emittebatur per thuribulum, quod *ſuffitorium* vocat ANASTASIVS *in vitis pontificum.*

IV. Quibus locis libentius oſtendere volui, populo & laicis ſuffitum praeberi ſolitum, vt facilius apud multos inhaerens erroris naeuus diluatur, quo vulgo eum tribuunt honori & dignitati perſonarum, cum tantum ad orationem & Dei cultum pertineat, & gratiae effectum denotet, & ad templi illuminationem, & Deo gratiarum actionem, vt notat BALSAMO *ad can. 3.* apoſt. & ad expellendos etiam daemones & malignos ſpiritus, vt ex libris caeremoniarum conſtat, & ex ipſo *ordine Romano*, in quo in benedictione incenſi haec oratio dicitur: *Immitte in hanc creaturam incenſi vim odoris, vt omnes languorum, daemonumque inſidiae effugiant*, & alibi: *omnes immundorum ſpirituum phantasmaticos incurſus effugare poſſit.* Sicut enim daemones putoribus & ſordibus gaudent, ita & bonos odores fugiunt.

V. His addo hoc incenſum non ſolum ex thure & aliis odoramentorum generibus componi in eccleſia, ſed etiam ex agnis, qui conficiebantur ex cera & oleo in vigiliis paſchae, ex quibus etiam accendere incenſum in domibus priuatis pro quacumque neceſſitate populum ſolitum eſſe refert ALCVINVS *lib. de diuinis officiis, cap. 19.* Similiter in baptiſmo adhiberi ſolitum incenſum conſtat ex *caeremoniali Aethiopum; Cum mater*, inquit, *cum infante ingreſſa eſt eccleſiam, ſacerdos thus dat, & dicit orationem, in baptiſmo dicit miſerere, thus dat, & interrogat nomina eorum, qui baptizandi ſunt.*

VI. Idem quoque fit in omnibus benedictionibus, vt ramorum, dominica palmarum, candelarum in die purificationis, & mortuorum exequiis, non honoris & reuerentiae, ſed emundationis & ſanctificationis titulo, vt vulgatum eſt ex omnibus ritualibus eccleſiae.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0309
DFG

CAPVT VII.

DE AERA DIOCLETIANI, ANNO GRATIAE, ET QVANDO RESCRIPTIS ANNVS CHRISTI SVBSCRIBI COEPIT. ANNVS MISERICORDIAE. ANNVS MARTYRVM.

I. Diem & consulem adiici & omitti apud veteres *ad titulum de rescriptis* diximus: hic addendum, omissis die & consule, aera & indictione, annum Christi adhiberi coeptum autore DIONYSIO EXIGVO, testari BEDAM *cap. 45. lib. de ratione temporum*, qui annus, vulgo dictus est *annus gratiae*. Quibusdam tamen populis; vt Aegyptiis & Aethiopibus annus gratiae non censebatur idem cum anno Christi, sed potius is erat annus Diocletiani.

II. Quare annus Diocletiani dictus fuerit annus gratiae, aut annus misericordiae, IOSEPHVS SCALIGER *lib. 5. & 7. de emendatione temporum* concipere non potuit, & fatetur se ignorare; quippe certum est eo tempore ab aera Christi annos numerari in vsu non fuisse, cum Dionysius multo post tempore vixerit, nempe sub Iustiniano imp.

III. Ratio verissima, cur ab aera Diocletiani annus gratiae, seu miserationis dictus fuerit & numeratus, est in promptu, quia sub eius imperio anno decimo nono grauis & crudelis persecutionis aduersus Christianos initium fuit, vt patet ex EVSEBIO *in chronicis*, & *lib. 8. cap. 13.* historiae. Tanti odii causa fuit, quia Aegyptus praecipue, Achilla duce, Diocletiano rebellis fuit, vt docet chronicon Alexandrinum, ita vt centum quadraginta quatuor millia Christianorum martyrio coronati fuerint, & septingenti in exsilium missi, teste EGNATIO Antiocheno patriarcha, *in epistola ad Scaligerum.*

IV. Hoc autem tempus martyrii obseruasse Aethiopes, & Aegyptios fidem facit computum ecclesiae Aethiopicae apud eundem SCALIGERVM *lib. 7.* qui mos numerandi ad nostra vsque tempora peruenit, vt constat ex epistola AMERAE GABRIELIS, patriarchae Alexandrini, ad Clementem papam octauum: *Scripsimus*, inquit, *die decima sexta mensis Hatur* (id est, Martii) *benedicti*, *anno a SS. martyribus 1310.*

1310. id est, 22. Nouembris 1593. & ex epistola IOANNIS COMVS chorepiscopi Alexandrini constat, *datum die sabbathi; duodecimi mensis Chiach* (id est Aprilis) *benedicti Coptici anno 1310. a captiuitate martyrum mundorum*: id est, *die 18. Decembris 1592.* vt refertur a BARONIO *in appendice, seu legatione, tomo sexto annalium.* Passim quoque in *codicibus Coptarabicis*, in quibus libri Pentateuchi, & epistolae D. Pauli, & canonicae, & actus apostolorum continentur, reperiuntur haec verba: *Scripsit hoc in conuentu S. Mercurii in Aegypto, Gabriel pauper, & humilis, & custoditur in monasterio S. Antonii magni, in deserto Arabiae in tertio mensis Pharmuthi,* (hoc est, Augusti,) *anno 986. SS. Martyrum. In computo* vero *ecclesiae Aethiopicae* semper memoratur annus gratiae, nusquam annus martyrum, nihilominus certum est per illum hunc intelligi, quia nunquam Aethiopes annum Dionysianum, siue annum Christi numerarunt, sed semper martyrum, qui ob tam solenne martyrium dicebatur etiam *annus misericordiae*, cum nulla sit expiatio salubrior, quam quae fit martyrii beneficio.

V. Ex quibus, quam varia fuerit annorum computatio, constat, donec annus Dionysianus receptus est, ita vulgo appellatus a primo autore Dionysio illo exiguo, sicut alias Iulianus annus, a Iulio Caesare appellatus fuit, cui aeram suam Hispani attribuerunt, sicut Antiocheni aeram Alexandri vocarunt, quae Seleuci Nicanoris fuerat.

CAPVT VIII.

DE

COMPENSIS, ET COMPENSATIONIBVS.

I. Haec verba *can. 3.* concilii Altissiodorensis dubitationis ansam multis dederunt: *Non licet compensos in domibus propriis in festiuitatibus sanctorum facere;* nemo vero, quod sciam, attigit, quid sit *compensos facere.* Doctissimus SIRMONDVS ita legendum putat: ANTONIVS vero AVGVSTINVS legit *commeatus*, alias *mensas*, quidam legunt *componere mensas*; quia calendis Ianuariis mensas erigebant, vt testatur ALCVINVS, *cap. de calendis Ianuariis*: *Nec non*, inquit, *etiam*

mensulas, plenas ad manducandum tota nocte paratas habebant, credentes quod calendis Ianuarii per totum annum praestare possent. De his in concilio Arelatensi I. Idem obseruabant gentiles, vt est apud AMMIANVM MARCELLINVM *lib. 26.* qui loquitur *de mensis compositis*, & *de diuinatione per mensam.*

II. Ego quidem lectionem vulgarem retinendam puto, & legendum *compensos*; quod quidem nihil erat aliud, quam oblationes, quae in domibus priuatis fiebant, in quibus & vigilias quidam in festis sanctorum peragebant, derelictis ecclesiis: & hoc est, quod vult *canon 58.* synodi Laodicenae, ἐν τοῖς ἴδιοις προσφορὰν γένεσθαι: non licere *in domibus propriis oblationes facere;* Idem in *can. 5. & 6.* synodi Gangrensis: *can. 5.* synodi Antiochenae: *can. 2.* synodi Carthaginensis, *can. 1.* concilii Matisconensis. Ita quoque intelligendus TERTVLLIANVS, *lib. de spectaculis, cap. 8. prohiberi ceremonias & religionem Deorum domesticorum.*

III. Hic etenim abusus obrepserat, vt crebro ecclesiis derelictis plerique sibi oratoria in domibus suis constituerent: vnde concilii Altissiodorensis tempore, Adalbertus quidam Gallus errorem Eustathii renouarat, *cruces in campis statuens, & oratoriola ad seducendum populum instituens, publicas & antiquas ecclesias relinquens,* vt est in epist. BONIFACII Moguntini, & in can. 8. concilii Romani, sub Zacharia. Quo etiam referendi sunt canones 84. concilii Aquisgran. I. Wormacienſis, can. 65. Metensis can. 5. Ideoque concilio Sueſſionensi, can. 7. sub Pipino, cruces ab eodem Adalberto erectae comburi mandantur.

IV. Nec vero ad plenam intelligentiam huius loci sufficit dicere *compensum*, seu *compensam* fuisse oblationem; sed addendum oblationes dictas fuisse *compensas;* quia scilicet eo nomine nuncupabantur in votorum redemptionibus, quas equidem redemptiones in domibus priuatis fieri vetitum erat, sicut festiuitates & vigilias: locus est elegans in capitulis HERALDI *can. 58. Vt nullus poenitentes cogat manducare vel bibere, nisi redemptio permissa sit.* Idem in capitularib. ISAACI LINGONENSIS *can. 1.*

V. Et ideo votorum redemptiones dicebantur compensae, vel compensationes: veteribus glossis συσαθμία, συλλογισμὸς, *compensa*: & apud PAPIAM *in lexico*, *facere compensam*, interpretatur *vicem reddere*, ita METELLVS apud CANISIVM *tomo 2. de miracul. S. Quirini:*

Quod

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0312
DFG

Quod puerilia corpora morbida
Si fuerint, ibi cum prece ſedula
Penſa ſubſequitur deprecatio.

Offerebant enim tantundem auri, vel argenti, aut alterius rei pretium, quanti ponderis erat is, pro quo fiebat redemptio, vel compenſa. De his plene egimus *ad titulum de voto, & voti redemptione.*

CAPVT IX.

HORAE PRAETERITAE. SYNAXIS PRAETERITA. CONCIL. EPAON. CAN. XX. ELVCIDATVR. HORAE INDECENTES.

I. In *can. 20.* concilii Epaonenſis verba haec leguntur: *epiſcopo, presbytero, diacono, vel ceteris clericis, horis praeteritis, id eſt, meridianis, vel veſpertinis ad foeminas prohibemus acceſſum:* Quae ſint illae horae praeteritae, dubitatum fuit, & cur meridianae & veſpertinae vocentur: quidam dicunt eas eſſe, quas *indecentes* vocat concilium Aurelian. V. can. 3. vbi etiam propinquarum mulierum familiaritas *horis indecentibus* prohibetur.

II. Indecentes horae cenſentur non veſpertinae tantum, & nocturnae, ſed etiam meridianae, quibus ſolebant veteres poſt prandium accubare & ſomnum capere; inde *meridiare*, eſt ſomnum capere apud SVETON. *in Caligula cap. 38.* & alibi ſaepe, imo & iocis hiſtrionum, & gladiatorum, ac meretriciis amplexibus indulgebant. PERSIVS:

His mane edictum, poſt prandia Calliroën do.

Quidam vir doctus putauit legendum, *horis perterritis*, quaſi illis horis praecipue faceſſat negotium malus genius, adducto pſalmiſtae verſu: *A negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & daemonio meridiano:* ſed haec coniectura leuis eſt & ridicula.

III. Nec enim aliud vere exiſtimandum eſt, intelligi per *horas praeteritas*, quam illas, quibus ſolebant Chriſtiani orationi vacare, & ſynaxes habere, quibus praeteritis ſolebant prandium ſumere, ac poſtea ſomnum capere, vel animos recreare: quae cauſa eſt, cur concilium Epaonenſe

nense vetat post horas precum indulgere genio, vacare ludicris, & consortiis mulierum. Id apertissime demonstrat D. CHRYSOSTOMVS *orat. 12. ad populum Antiochenum in principio*, qui nominatim loquitur de synaxi praeterita, τῇ παρελθούσῃ συνάξει, quae nihil aliud quam *hora praeterita.*

IV. Commendat enim vir sanctissimus, vt praeterita synaxi & prandio sumpto, fideles non somnum capiant, vel ad ludrica diuertant, sed ad scripturae sacrae lectionem se accingant; locus dignus est, qui integer adscribatur: πότε γὰρ εἰπέ μοι βέλτιον τῇ παρελθούσῃ συνάξει, ὅτε μετὰ τὴν τράπεζαν πρὸς τὴν ἀκρόασιν θείων ἀπηντήκατε νόμων, id est, *quando vero quaeso vos, dilecti, melius feciſtis, an praeterita synaxi, quando post mensam ad somnum conuertebamini? an nunc cum post mensam ad diuinas leges audiendas conueniſtis?* De horis diurnis, & nocturnis, quae ad has horas praeteritas pertinebant, sequenti capite dicemus.

CAPVT X.

DE HORIS MERIDIANIS, ET VESPERTINIS. DE DIE NATVRALI ET CIVILI.

I. Quare concilium Epaonense horas praeteritas explicet meridianas & vespertinas, perspicuum est; quia fideles ad synaxim & liturgiam certas horas obseruabant, vt eodem tempore congregarentur ἐν ταῖς ἐννάταις, καὶ ἐν ταῖς ἑσπέραις, ait can. 18. synodi Laodic. id est, *ad horam nonam, & vespertinam*; quod confirmatur ex D. GREGORIO *in libro sacramentorum*: *Feria quarta post palmas, hora tertia*, inquit, *pontifex cum clero, & ordine suo procedit ad altare, & feria quinta inde hora tertia ingressi sacrarium*, loquitur iuxta vsum diei naturalis, qui constabat duodecim horis, & illa tertia, erat nona diei ciuilis, qui constat viginti quatuor horis, & incipit a media nocte, *vulgat. l. more. ff. de feriis*, hora nona solebant primis ecclesiae cunabulis fideles conuenire, inde *actuum 3. Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.*

II. Et hae preces vsque ad sextam fere protendebantur, quae est duodecima ciuilis diei, & meridies, vel potius vsque ad quintam, quae est

est vndecima exemplo forensium negotiorum quae etiam ab hora tertia, seu nona ad quintam perducebantur, vt ex MARTIALE *epigr. 8. lib. 4.* constat:

Exercet raucos tertia causidicos
In quintam varios extendit Romae labores.

Et ante sextam, seu meridiem silere debebant, ex *l. 12. tabb. ante meridiem causam consciscito*, id est contrahito seu definito, nam *conscisce-re*, est *decernere vsque ad extremum*: vel cum definiri non poterat, *diffin-debatur*, id est, differebatur, in *l. quaesitum. ff. de re iud. & l. 2. §. 3. si quis cautionib.* Basilica τὸ δικαστήριον ὑπερτίθεται ἑνὸς τῶν δικαζομένων, ἢ τῶ δικαστῶ νοσοῦντος, vt refert CVIAC. *cap. 18. lib. 12. obs.*

III. Ex quibus patet horas praeteritas esse sex illas, quae ante meridiem, & alias sex pomeridianas, quae ante vesperum, ita ICtus diuidit *in l. 3. de operis lib.* pomeridiana vero hora erat illa, quam vltimam vocat idem MARTIALIS:

Sexta dies lassis vltima finis erit.

Quam intelligit lex *12. tabb. Sol occasus suprema lex esto*, apud VARRONEM, post quam etiam apud Christianos orationes finiebantur, & tunc dicebatur: *Ite missa est*, quae est dimissio populi & absolutio, Graecis ἀπόλυσις, duplex enim erat missa olim, matutina & vespertina, vt ex *can. conuenit. dist. 5. de consecratione*, & D. CYPRIANO *epist. 63.* late docui ad *titulum de celebratione missarum*; & post quas concilium prohibet clericis foeminarum consortia, quae his horis sunt suspecta. Aliquando quidem stationibus tota, vel pars noctis impendebatur, apud TERTVL. *in apolog.*

OBSER-

OBSERVATIONVM IVRIS CANONICI LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

AD CAP. CVM SECVNDVM IX. ET CAP. XI. DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM.

I. Ex his duobus capitibus constat, quantum odium exarserit inter Latinos & Graecos, in Calabria potissimum & Apulia & in tota magna Graecia. Et quamuis expulsi fuerint ab his prouinciis Graeci a Nortmannis, vt refert LEO OSTIENSIS *lib. 2. cap. 68.* quantum ad dominationem, non tamen eas omnino expurgarunt, imo & suos ritus retinuerunt, praesertim in ordinationibus, quas passim fecerunt, non seruatis interstitiis quatuor temporum, iuxta ordinem ecclesiae Rom. sed pro libito: nec aliae induciae dabantur ad omnes ordines, quam septem dierum in vnoquoque gradu vsque ad sacerdotium, vt & D. GREG. NAZIANZ. vult probare BALSAMO *ad can. 17.* synodi Constant. Omne tempus eis erat opportunum praeter quadragesimam, & dies ieiunatorios, in quibus perfectum sacrificium non fiebat, vt definit idem BALSAMO ad *interrogationem Marci patriarchae 56.* Sed tantum praesanctificatorum obseruatio erat, vt est in can. 2. synodi 6. in Trullo, & supra *obseru. 3. lib. 3.* diximus.

II. Summa quaestionis est in his capitibus confusio Graecorum & Latinorum, quod Graeci Latinos, Latini Graecos ordinarent, non seruatis quatuor temporum interstitiis, contra primaeuam ecclesiae institutionem, quae episcopum taliter ordinantem, & ordinatos ab exe-

cutio-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0316
DFG

cutione ſuſpendit. Mos hic diu ſeruatus, aut potius corruptela, effecit, vt eccleſia eas ordinationes tolerauerit, vt ſcribunt Caeleſtinus III. & Innocentius III. hisce capitibus, qui mitius agunt cum Graecis, quam Graeci cum Latinis, qui ad tantam inſolentiam deuenerunt, vt Latinos inter haereticos adnumerauerint, & quaeſitum fuerit a Ioanne epiſcopo Citri, an ſacerdotum azymitarum, i. e. Latinorum, ordinatio a Graecis epiſcopis facta valeret, & reſpondet nullam diuturnam conſuetudinem valere, niſi quae contradictorio iudicio in magna ſynodo, id eſt Conſtantinopolitana, fuerit approbata. Azymitas & Latinos vocant, Romanos nusquam, cum ipſi ſoli hoc nomen Romanorum orthodoxorum ſibi temere arrógarint, & eccleſiam Romanam ſuam dixerint, vt eſt *in reſponſione 2.* DEMETRII CHOMATENI *ad Conſtantinum Cabaſilam.*

III. Tota quaeſtio de validitate ordinationum conſiſtit in duobus potiſſimum; primum, an Latini Graecos, & Graeci Latinos ſuis ritibus rite ordinent, alterum, an forma vtrorumque ſit vere approbata. Prius quidem dubium ſoluunt ſupradicti pontifices, ſi mos inueteratus talis fuerit, quod ingeſſit dubitationem Innocentio III. & ideo in *cap. 3. de temp. ordinat. in 3. compil.* ait, *diſpoſuiſſe opportuno tempore de conſilio fratrum noſtrorum, quod honeſtum viſum fuerit ordinare*; quod factum fuit in concilio generali, & refertur *in cap. quod in plerisque. de officio ordinar.* quo non amplius conceſſa eſt mixtura Graecorum, & Latinorum, ſed vt Latini Latinos ordinent, Graeci vero ſuo more, & hoc etiam idem reſcribit cuidam epiſcopo Latino, *in cap. 1. in ead. compil.* Nec ſolum Graeci id exercuerunt, ſed & Latinorum quidam, vt extra tempora ordinarent in dedicationibus eccleſiarum in Scotia, & Wallia, vt eſt *in cap. 2. de temp. ordin.* Quod tamen in Anglia non fuit receptum, vt conſtat ex *can. 57.* Egberti archiepiſcopi Eboracenſis.

III. Quod attinet ad formam & ritum ordinationum, vtramque tam Graecorum quam Latinorum inualuiſſe conſtat; ſiquidem nihil contrarium fidei deprehenditur, vt videre licet *in euchologio*, in quo ceremoniae & ritus ample deſcribuntur omnium ſacrorum & minorum ordinum: ideoque a Graecis ſuo more ordinationes fieri concedit INNOCENTIVS III. in dicto generali concilio, & hi, qui in Calabria & Apulia hunc ritum ſeruauerint, non reprobantur. Sed quid dicemus de his

Graecis, qui in proceſſionem ſancti Spiritus peccarunt; per manus impoſitionem reparatur talis defectus, quod locum habuit ſemper in eccleſia occidentali, non in orientali, in qua vice manus impoſitionis vnctio fieri ſolebat, vt idem GREG. refert *in can. ab antiqua. de conſecr. diſt. 4.*

IV. Haec autem haereſis contra proceſſionem ſpiritus ſancti non adeo vetus eſt, licet ex Arianorum haereſi fundamentum ceperit: ortum enim habuit ſub Conſtantino Copronymo, qui concilium Conſtantin. iuſſit promulgari anno 754. in quo Neſtoriani, Ariani, Dioſcoriani, Eutychiani, & Seueriani impudenter orthodoxi nominantur. Fuit acerrimus aſſertor Theophylactus Bulgariae archiepiſcopus contra ſacram ſ. ſpiritus proceſſionem, de quo gloriatur valde Demetrius Comathenus loco ſupradicto; & hi poſtremi receſſerunt a fide antiquorum patrum D. Baſilii, Iuſtini martyris in expoſitione fidei: *καὶ αὖθις διὰ τῆς τῦ ἐκπορευτῦ σημασίας τὸ ἰδιωτικὸν τῦ πνεύματος πρόσωπον παδευόμεθα*, id eſt: *Et itidem per procedentis ſignificationem de peculiari ſpiritus admonemur perſona.* Reformatio tamen ordinum per manus impoſitionem non habuit locum contra ſchiſmaticos, vt de Donatiſtis ſcribit D. AVGVSTINVS, *quia erant*, inquit, *in ſymbolo, & non cenſebantur inter haereticos, can. non in vobis. 43. diſt.*

V. Porro remedium, quod attulit Innocentius III. in ſynodo generali, vt hanc confuſionem tolleret inter Latinos & Graecos, ne in vna ciuitate vel dioeceſi diuerſi eſſent epiſcopi, vnus Graecorum, alter Latinorum, illud eſt; vt verus & legitimus antiſtes vnius ciuitatis, vel dioeceſis alium epiſcopum ſibi vicarium conſtituat, qui populi a moribus & ritu ſuo alieni curam gerat; ita vt in Calabria epiſcopus Latinus conſtituat Graecum epiſcopum, qui praeſit Graecis: & quod notandum eſt, Innocentius III. loquitur de Graecis, qui ſub vna fide varios ritus & mores habent, & de epiſcopis catholicis *dictum cap. quoniam.* Quod quidem ius eſt omnino ſingulare, vt vnus epiſcopus ſit alterius vicarius, & eidem ſubditus; vnde optime quaerit gloſſa, a quo debeat conſecrari talis epiſcopus vicarius, reſpondet a tribus epiſcopis ſuae gentis. Confirmat hoc dilucide hiſtoria Cypri, in qua iuxta conſtitutiones Alexandri III. electus epiſcopus Graecorum ab epiſcopo loci confirmatus, a tribus deinde epiſcopis conſecrabatur, aſſumpto nomine alterius loci; vt videlicet epiſcopus Graecus Ni-

co-

cosiae vocaretur episcopus & administrator Solia; episcopus Paphi diceretur episcopus Arzes; episcopus Nemosiae Amathensis, episcopus Famagostae episcopus Carpacensis; & ita duo reperiuntur episcopi in vna eademque dioeceſi, quod locum quoque habuit in regionibus, in quibus Donatistarum haeresis inualuerat, ipsi enim suum proprium episcopum habebant, licet verus ibi esset antistes, vt constat ex canone 103. synodi Carthagin. Hi vicarii episcopi non multum absimiles erant a chorepiscopis, qui non ordinabant presbyteros & diaconos cum licentia τῆ ἐγχωρίᾳ ἐπισκόπῳ, i. e. *episcopi proprii, in can. 13.* synod. Ancyr. quod & aliquando iis denegatum fuit. BALSAMO *ad can. 14.* synod. Neocaesar.

VI. Hic addenda est alia differentia inter Graecos & Latinos, Graeci ordinabant lectorem, subdiaconum, diaconum & presbyterum: non vero ceteros minores ordines. Id discere possumus ex euchologio Graecorum, in quo nulla mentio acoluthi, exorcistae & ostiarii, qui vt plurimum a subdiacono, diacono & presbytero exercebantur: solus lector agnoscebatur, qui quidem fiebat per manus impositionem, καὶ τρίτον τὴν τῆ κεφαλὴν σφραγίζων ἐπίτιθησιν αὐτῷ τὴν χεῖρα, καὶ ἔυχεται οὕτως, id est, *& ter eius caput cruce signans imponit ei manum, & sic orat.* Lectoris munus valde commendatum fuit, id probatur ex *can. 4.* synod. 7. nam & lector per electionem fiebat *in cap. 22. lib. 8.* const. apostol. sicut & apud Latinos, vt constat ex *lib. sacramentorum* S. GREGORII: reliqui non proprie ordinari dicebantur, sed potius promoueri, προαχθέντας, i. e. *promotos* vocat *can. 26.* synodi Laodic. agens de exorcistis, quos per ordinationem non fieri dicunt *const. apostol. cap. 27. eiusdem libri*, ἐξορκιςῆς οὐ χειροτονεῖται, i. e. *exorcista non fit ordinatione.* Idem censendum de reliquis, praeter psalmistam, qui quidem saepius idem erat cum lectore, in cuius promotione recitatio tantum psalterii requirebatur, εἰ δὲ ψάλτης ἐςὶ, λέγει ἀπὸ τῆ ψαλτηρίᾳ προκείμενον, id est, *si vero cantor est, qui ordinatur, recitat aliquid ex psalterio* in euchologio, qui quidem non censetur distinctus apud nos, licet ISIDORVS *in can. perlectis*, psalmistam separet.

VII. Hi minores ordines non proprie fiunt per ordinationem & manus impositionem, sed per promotionem, *can. 5.* concil. Arelat. V. *Vt nullus alienum clericum, seu lectorem sine cessione sui pontificis vel promo-*

uere, vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vindicare. Licet & ordinari improprie dicantur, *can. 17. 23. dist.* Aliquando apud Graecos hi minores ordines non a maioribus exercebantur, sed per aliquos ad id deputatos, prout commodius existimabatur, vt patet ex *epistol.* IGNATII *ad Antiochenos*, ex Simeone Thessalonicensi, Epiphanio, & aliis; & quamuis ordinari non solerent, tamen aliqua honoris praerogatiua decorabantur, & a laicis distinguebantur, & ab iis strictius viuendi genus exigebatur, *can. 24.* synod. Laodicenae.

CAPVT II.

PVLSATORES. PVLSATORIVM. EXEQVIALES.

I. De pulsatoribus & exequialibus meminit INNOCENTIVS III. *in epist. 7. lib. 15. reg.* Qui sint illi quaerendum est. Vulgo per *pulsatores* intelligi viatores & apparitores norunt omnes, *ex l. 2. C. Theod. de episc. & clericis. l. de interrogat. in iure fac.* quibus locis, & aliis plerisque pulsatores dicuntur, qui in iudicium vocare solent; ita pulsatus, dicitur vocatus in iudicium *in cap. 283. lib. 7. Capitul.*

II. Qui modus loquendi originem habuit ex *l. 12. tabul.* qua vocatio in ius non fiebat sola voce praeconis, & per monitionem tantum, sed per vim, & manuum iniectionem, *obtorto collo, manus iniectio est, in ius ducito*: quaeuis denuo cessauit adhibita satisdatione sistendi in iudicio, *l. 1. si quis in ius vocatus non ierit.* Hanc vocationem vocat synodus Vernensis, *can. 6. monitionem ad emendationem: mittat, strenuum ac prudentem presbyterum, qui sua voce rationabiliter illos ad emendationem vocet.* In dicta vero epist. Innocentii *pulsatores*, & *exequiales* coniungi putem, quia sunt pulsatores campanarum: pulsare campanas est vulgatior loquendi modus, *cap. petentibus. de priuileg. cap. quod in te. de poenitent.* Ita pulsatores lignorum sacrorum dicuntur apud DVRANTVM *lib. de ritibus eccles.* Hi dicebantur & exequiales, quod monitores essent & mandatores funerum, quos nos vocamus *semoneurs.* Apud Romanos per praeconem indicebantur exequiae apud FESTVM, & TERENTIVM

in

in Phormione, actus 5. sc. vlt. exequias Chremeti quibus est commodum, iam ire iempus est.

III. Est & alia significatio pulsantium, seu pulsatorum, de quibus *lib. 1. Capitul. cap. 114. & 115.* Loquuntur haec capitula de his, qui non sunt pulsati secundum regulam, vt iterum pulsentur & emendentur. Ordo hic erat, vt quicumque ad religiosam vitam vocarentur, primo *pulsarentur*, id est examinarentur ante receptionem, & aliquandiu in loco monasterii, quem *pulsatorium* vocabant, in eorum vitam & mores inquireretur, *cap. 73. eiusd. lib. vt ad monasteria venientes secundum regularem ordinem primo in pulsatorio probentur, & sic recipiantur.*

IV. Pulsatorium autem locus fuit, in quo constituebantur ad nouitiatum admittendi, *cap. 31. in statutis Benedictinorum, & in regula S. Benedicti: Per tres menses retinebuntur, interim visitabitur praesentatus habito medici & chirurgi consilio.* Ita quoque in *can. 73.* synod. Aquisgran. *& ad monasteria venientes primo in pulsatorio probentur, & sic recipiantur.* Pulsantium quoque nomine intellectos fuisse lapsos & poenitentes reperio. Qui ad ecclesiae gremium redire volebant, dicebantur *pulsare ad ianuam ecclesiae, in epist. 171. & seq.* apud INNOCENTIVM III. *lib. 16. Reg.* vbi agitur de comitibus Conuenarum & Fuxi, ac de Tolosanis ciuibus, qui ab ecclesia defecerant; *Humiliter pulsantibus,* inquit, *non est ecclesiae aditus praecludendus.*

CAPVT III.

FRVMENTVM. AENEVM LEX VNICA C. THEODOS. DE FRVMENTO CARTHAGINENSI EXPLICATA. AEREAE TABVLAE. MILITES AEREI.

I. *Observatione 13. lib. 2.* egi de praebendis & panibus praebendiariis & de portionibus fraternis, quas ἀδέλφατα σιτηρέσια vocat BALSAMO *ad can. 32.* synod. 6. σιτηρέσιον pro frumento singulis mensibus praestari solito, vel etiam pro pane & cibo intelligi, ibidem do-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0321
DFG

cui, quod genus praestationis sportula, & qui accipiebant, fratres sportulantes dicebantur apud CYPRIANVM *epistola 34. & 66.*

II. Hic modus in ecclesiis originem sumpsit a frumentaria tessera, quae erat signum, quo exhibito a principe frumentum dabatur *in l. fin. & fi. 52. §. 1. d. iudic. l. mortuo. 49. §. 1. l. Titia. 87. de legatis. 1.* de quo CVIACIVS *lib. 6. obser. cap. 33.* Huic tesserae pittacium simile erat: de quo iam dixi.

III. Ad id non immerito referri debet, quod de frumento aeneo dicitur *in l. vnica C. Theod. de frumento Carthagin.* quod quidem vir doctus ad *canones Cresconii*, aeneum dici autumat a modis aeneis in *l. modios aeneos. 9. C. d. susceptor. lib. 10. quos* χαλκᾶς καὶ λιθίνας vocant Basilica, & SVIDAS, & *l. 1. C. de condition.* Erant enim vt plurimum in publicis horreis aenei, vel lapidei. Ego mallem frumentum aeneum dictum fuisse a tabulis aeneis, in quibus descriptum erat, quantum quisque percepturus esset, docet *lex 5. C. Theodos. de annonis ciuicis: Quibus*, inquit, *titulus figendus est aeneus, in quem & panis modus & nomen percipientis debet incidi*, & post; *si ius panis istius, atque aereae tabulae suum voluerit nomen inserere: & lex 10. C. eodem, pro vnius cuiusque merito, quae sunt concessa, seruentur.* Nam vt plurimum tabulas aeneas fuisse notum est, in quibus stipendia militum, stipes mendicantium, & frumentum populo diuidendum continebatur, *l. 1. C. Theodos. de alimentis quae inopes.* De hoc titulo aeneo intelligenda est etiam *l. 1. eod.*

IV. Potest addi alia coniectura, cur frumentum dicatur aeneum; quia olim omnes illationes & tributa aere expendebantur, & vulgo in *aere esse* dictum a TVLLIO, quod ICti *in bonis habere* dicunt. Ita Cyprus dicta est *aerosa*, apud FESTVM, & prouinciae *aerosae*, propter aes, quod fisco inferre tenebantur in *l. 1. C. d. argenti pretio.* Sic & milites dicti *aerarii* apud VARRONEM *lib. 4.* quibus loco aeris soluebatur stipendium in frumento vel pane, vnde panes militares, palatini & populares, *in l. 7. C. Theodos. de annonis ciuicis*, qui cocti erant *l. 1. C. de frument. vrb. Constantinopol. dabantur* κατ' ἕκαστον viritim, pro meritis singulorum, *dicta l. 1. C. de frum. vrb. Constant.* Et hi panes valgo apud Romanos erant quadrati, vnde in veteribus glossis, *frustum panis* τόμος, vocatur *quadra.*

CA-

CAPVT IV.

PANIS MVNDVS. ARCTVS. PESSIMVS. SORDIDVS. AQVA MVNDA.

I. Apostatis, lapsis, & poenitentibus victus tenuis & asper iniungebantur, vt iam notaui ad *cap. 2. de apost. in 5. compil. ex epist. 116. lib. 15.* INNOCENTII III. vbi *panem doloris & aquam angustiae* iniungit: *panem arctum & aquam breuem* vocat ESAIAS *cap. 30. panem exiguum* regula S. Fructuosi, *cap. 16.* Nec tantum exiguus panis dabatur, sed etiam hordeaceus, vt ex GREGORIO TVRON. annotaui: vel etiam vilissimus, qui est furfuraceus, de quo POLLVX *lib. 6. c. 1.* οἱ δὲ εἰσὶ φαυλότεροι πιτυρίας, i. e. *panes, qui viliores sunt furfuracei.* Hos panes *sordidos* vocat *l. 5. C. Theodos. de annon. ciuicis*, pessimos *l. 1. C. Theodos. de canone frumentario vrb. Romae.*

II. His panibus opponuntur panes mundi, qui sunt lautiores & puriores, de quibus THEODORETVS *in Abrahamo*, καὶ ἄρτος καὶ οἶνος ἀνθοσμίας, καὶ ἰχθύες, καὶ λάχανα, καὶ ἀλλὰ ὅσα τετοῖς συνέζευκται, i. e. *Et panes mundi selectique offerebantur, & vinum odoriferum & pisces & olera, & quaecumque his adiungi solent: annonam mundam* dixit LAMPRIDIVS *in Alexandro*, i. e. *puram & lautam*, vt interpretatur FESTVS, & dixi ad *titulum de decimis in 5. compil.* Poenitentibus quidem & carceri mancipatis dabatur aqua munda, non quasi purior & iucundior, sed sine aliquo additamento vini, vel alterius potionis, sicut dicitur *pura vestis*, nullo fuco tincta, apud VOPISCVM *in Probo.*

III. Fiebat enim mixtura ex tritico, hordeo, panico, seu milio, vel etiam ex pomis & pyris, vel aliis frugibus, vt erat *pyragium*, de quo D. HIERONYMVS *aduersus Iouinian.* Zythum VLPIANVS vocat, alias *camum in l. si quis vinum. ff. de tritico, vino, & ol.* inde apud nos vocem *citre*, manasse coniiciendum est.

CA-

CAPVT V.

DE LIBRA OCCIDVA.

I. In tractatu noſtro iuris canonici, *ad titul. de accuſ.* quaedam de numero teſtium in accuſatione & condemnatione epiſcoporum praelibauimus; ſed quia haec egent maiori indagatione, ad peculiarem obſeruationem remiſimus. Quaeſtio ſane eſt non parui momenti, nec parum negotii nobis ingerit concilium Sinueſſanum in cauſa Marcellini papae accuſati, quod coram Diocletiano imperatore falſis Diis thus adoleuiſſet.

II. Teſtium numerus receptus fuit ad exemplum librae occiduae, quae ſeptuaginta duos ſolidos continebat: libram occiduam intellexerunt viri docti occidentalem, inter quos CVIACIVS *lib. 17. obſeru. cap. 9.* & ampliſſimus cardinalis BARONIVS ad annum 302. ita *occiduam domum* dixit STATIVS 1. *Thebaid.* Poſuerunt illi differentiam inter libram orientis & occidentis, quod illa contineret octuaginta ſolidos, iuxta legem Conſtantini *primam C. Theodoſ. de ponderatoribus*; haec ſeptuaginta duos ex conſtitutione Valentiniani & Valentis, in vexata illa *lege, quotiescumque, de ſuſceptoribus in vtroque cod. Iuſtinianeo & Theodoſ.* Quae duae leges litis anſam praebuerunt, quam nos ſopire tentabimus; ſed antequam ad Sinueſſani concilii, & iuris, quod obſeruari potuit, aut debuit in condemnatione epiſcoporum diſquiſitionem veniamus, de libra prius diſſerendum.

III. Inprimis ſciendum, apud Romanos numerum centenarium maximo in vſu fuiſſe, ita vt omnia negotia & numeri per centurias expedirentur, vt docet fuſe BVDAEVS *lib. 1. de aſſe*, & ANTONIVS AVGVSTINVS *lib. 2. emend.* ἔτω τοῖς παλαιοῖς αἱ ἑκατοντάδες, ait HARMENOPVLVS, *lib. 3. tit. 7.* i. e. *Ita priſci habuere centurias.* Sic comitia populi Romani fiebant, centenarii ſerui dicebantur, quia centum millibus ſeſtertiorum cenſebantur, & poſtea a centum aureis dicti fuerunt a IVSTINIANO *in §. poſtea. Inſt. de ſucceſſ. libert.* Idem de vſura centeſima, quae ita dicta eſt, quod ſingulis menſibus ſolidum exigerent,

ZONA-

ZONARAS *ad can. 17.* synod. Nicaenae, & idem Harmenopulus, quod duodecim aurei post annum darentur, quam summam legitimam vocat *lex 8. C. Theod. de vsuris* & quam excedere lex Gabinia non permittebat, vt docet TVLLIVS *5. ad Atticum epist. vlt. & lex 2. C. Theodos. de vsuris.* Quae ratio fuit, cur libra anni mensibus comparetur. FANNIVS *lib. 1. de ponderibus*:

Vnciaque in libris pars est, quae mensis in anno
Haec magno Latio libra est, gentique togatae.

IV. Hic numerus duodecim propter perfectionem in ponderibus institutus fuit, vt scribit ISIDORVS *lib. 14. origin. c. 25.* Ita intelligit VLPIANVS agens de asse *in l. seruum. ff. de hered. institut.* & idcirco vocat *solennem in l. interdum. §. 1. eod.* sicut vsura centesima dicitur legitima propter eundem numerum in *d. l. 8. Cod. Theod. de vsuris*, argumento sumpto a libra Romana, quam dicit HARMENOPVLVS centenariam, licet centum solidos non contineat, sed septuaginta duos: & cum loquimur de libra, idem dicendum de asse & pondo, quae idem efficiebant, & duodecim vncias continebant, vt notat CVIACIVS, *obseru. lib. 7. cap. 23.* Libra igitur erat centum solidorum ad exemplum fere minae Atticae, quae constabat centum drachmis. FANNIVS *ibid.*

Centum hae sunt drachmae, quod si decerpseris illis
Quattuor, efficies hanc nostram denique libram.

Hoc BALSAMO perspicue docet ad interrogationem quartam Marci patriarchae Alexandrini, cum docet libram non peruenire ad centum solidos, sed ad septuaginta duos, τῆς λίτρας μὴ συμπεσουμένης εἰς νομίσματα ρ ἀλλ' εἰς οβ i. e. *cum librae quantitas non perueniat ad solidos centum, sed ad septuaginta duos.*

V. Primis quidem temporibus post signatum aurum Romae, aurei triginta, deinde quadraginta, tum quadraginta quinque, & post quadraginta octo, & postmodum ab Heliogabalo quinquaginta ex singulis libris signati fuerunt, qui aurei singuli duas drachmas Atticas exaequabant, vt constat ex IVLIO POLLVCE *lib. 4. cap. 25.* quod confirmant BVDAEVS, GEORGIVS AGRICOLA & alii. Denarius etiam exaequatus fuit drachmae, eo tempore, quo non solum argenteus, sed etiam aureus signatus fuit, ex senatusconsulto temporibus triumuiratus, vt notat Agricola.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0325
DFG

VI. Vnde colligendum, ſicut mina continebat centum drachmas, ita & libra centum denarios aureos, ac etiam centum ſolidos. Certum quidem eſt minae variam fuiſſe rationem, aliam ſeptuaginta quinque drachmarum, aliam octoginta quatuor, aliam centum; nam numerus frequenter diuerſam habuit apud omnes populos rationem & quidem illam, quae fuit octoginta quatuor drachmarum, Romae magis inualuiſſe cenſendum eſt ex SCRIBONIO LARGO, qui ſub Tiberio vixit: *Erit*, inquit, *nota denarii vnius pro Graeca drachma; aeque enim in libra denarii octoginta quatuor apud nos, quot drachmae apud Graecos incurrunt.* PLINIO *lib. 21. cap. vlt.* & CORNELIO CELSO *lib. 5. c. 17.*

VII. Sed id de libra argentea potius quam aurea exiſtimandum eſt, ita vt in pondere auri ratio ſolidorum non eadem fuerit, niſi temporibus Conſtantini, qui primus in octoginta quatuor ſolidos diuidendum eſſe ſtatuit, *in dicta l. 1. C. de ponderatorib.* Et vt coniecturae locus eſt, primus pro ſingulis vnciis auri cocti ſeptem ſolidos appendi voluit; ponderandi etiam modum propoſuit, ne fraus fieret: *Aequa*, inquit, *lance & libramentis paribus, vt duobus digitis ſummitas lini retineatur, nec pondera deprimant, nullo examinis libramento ſeruato, ſed aequis ac paribus ſuſpenſo ſtatere momentis:* legendum *ſed*, pro *nec*: alias non conſtaret ſenſus.

VIII. Et vt obiter moneam, CVIACIVS hanc legem ſentit eſſe intelligendam de ſtatera, quae vnam tantum lancem habebat, cum tamen Conſtantinum de libra, quae duas habet lances, cogitaſſe notent verba *dictae legis: vt & lex 2. C. eodem:* de qua Cornutus in Perſium, qui ait *trutinam eſſe foramen, intra quod eſt lingua bilancis, ad quod eſt examinatio, & aequilibrium.* Quidam cenſent ſtateram vtraque lance caruiſſe, ſed pondus tantum habuiſſe, *le contrepoids*, quod genus libramenti antiquiſſimum fuit apud Romanos, & nos adhuc nomen reti nemus, *la Romaine*, quae certe locum habuit maxime, ſicut hodie, in rebus mercalibus, quae non ad lancem, ſed ad pondus explorabantur.

IX. Ita fiebat primis temporibus in aere graui, quod non numerabatur, ſed ponderebatur, idque obſeruatum fuiſſe vsque ad Seruium primum refert PLINIVS *l. 35. c. 3.* Inde dicebant *pendere* & *expendere* i. e. ſoluere *l. poene. ff. de cond. indeb.* & *penſatores* vocabantur *libripendes* apud FESTVM, qui adhibebantur in manumiſſionibus, emancipationibus, adoptionibus & teſta-

ſtamentis, vt notum eſt ex *l. 12. tabb.* IVSTINIAN. *tit. de teſtamentis* & VLPIANO *lib. regul.* Et quod notatu dignum eſt, etiam in criminibus penſum aes adhibebatur, quo ipſa diluebantur; ſic *pendere poenas*, apud VIRGIL. Indeque factum eſt, vt apud plerasque gentes non corporali poena ſed pecunia numerata expiarentur, vt in legibus Salicis, & aliis antiquis.

X. Libra igitur Conſtantini octoginta quatuor fuit ſolidorum, non quidem in oriente tantum, nec enim id colligi poteſt ex *dicta l. 1.* quae licet Antiochiae lata fuerit, ad vtrumque tamen orientis & occidentis imperium pertinuit, quo ſcil. tempore, Paulino & Iuliano coſſ. illud poſſidebat. Fruſtra etiam contendunt viri docti libram occiduam fuiſſe tantum ſeptuaginta duorum ſolidorum in occidente ex eo quod *dicta lex*, *quotiescunquae*, lata fuerit Romae ab imperatoribus Valentiniano & Valente; quaſi vero & hi imperatores non tam orientis quam occidentis imperium tenuerint: quod & peruenit vsque ad filios Theod. Arcadium & Honorium, inter quos diuiſum fuit, & Arcadio ceſſit oriens, Honorio occidens, qui tamen vtrumque diu ſimul poſſederunt, & coniunctim legem Valentiniani & Valentis approbarunt in *l. vnica C. Theod. de oblat. votorum*, agnoſcentes libram auri ſeptuaginta duorum ſolidorum.

XI. Igitur vt ſcopum noſtrum attingamus, in cauſa Marcellini libra occidua ſeptuaginta duorum ſolidorum locum habuit, aduerſus quem propoſiti ſunt teſtes ad librae occiduae exemplum, id eſt, ad ſtateram & paria libramenta expenſa fuerunt dicta teſtium, accurato examine, prout requirit CALLISTRATVS in *l. 3. ff. de teſtibus*: ſiquidem libra typus eſt iuſtitiae. *Nou.* LEONIS *66.* PERSIVS *ſatyra 4.*

Scis etenim iuſtum gemina ſuſpendere lance.

& APVLEIVS, *priusquam aliquid ſtatuas, omnia libranda ſunt.*

Hoc librale iudicium contra Marcellinum ad ſeptuaginta duos teſtes redactum fuit, licet plures numero exhibiti fuerint, octoginta quinque nimirum ad librae occiduae modum, i. e. examinati librali iudicio, non ſeruato numero ſeptuaginta duorum, qui in accuſatione epiſcoporum exigi ſolet, quia in accuſatione ſummi pontificis numerus augeri debuit.

XII. Nec ideo minus constare debet sententia BARONII, quam vir doctus titubare dixit, quod modo octoginta quinque testes, modo septuaginta duo adhibiti sunt, quia si recte expendantur acta concilii, numerus non reperietur septuaginta duorum: & quod inueniantur vno loco octoginta quinque testes, non est referendum ad libram Constantini octogesimam quartam, sed ad confusum numerum, qui adhibebatur, nam neque septuaginta duo testes numerantur & nominantur.

XIII. Multo minus assentior eiusdem opinioni, libram occiduam de occidentali non esse intelligendam; sed potius occiduam dici, quasi vergentem & inclinantem ad vnam partem, quam nos vocamus, *liure trebuchante.* Conuincitur haec opinio satis ex supradictis, & ex sententia clarissimorum virorum, atque etiam quod acta concilii euidenter denotent statum librae Romanae, quam occiduam vocant, quae vox alibi non reperitur & conficta fuit a scriptore illius temporis.

XIV. Sed quid dicemus ad hanc obiectionem; quod ante reductionem Constantini ad octoginta quatuor & Valentiniani atque Valentis ad septuaginta duos solidos, hic numerus septuaginta duorum testium obseruabatur in condemnatione episcoporum, vt probatur ex synodo Romana, *can. 3. relato in can. praesul. 2. q. 5.* sub Syluestro tempore Constantini; ergo exemplum non sumebatur ex libra Romana, nisi dicamus cum BARONIO, illum qui acta Sinuessani concilii conscripsit, multis annis post obitum Marcellini id fecisse, eo nempe tempore, quo reductio librae ad septuaginta duo solidos facta fuerat, loquitur enim secundum sui temporis vsum: quod manifeste coniicitur ex eo, quod in actis concilii inserta sint verba, quae non solum Arcadii & Honorii tempus redolent; imo etiam probant; *quoniam in septuaginta duorum libra occidua in reparationem resurgit annus,* quae verba magnam habent affinitatem cum his, quae proferunt imperatores in *dicta l. vnic. C. Theod. de oblat. votorum: Quoniam votis communibus felix annus aperitur, in vna libra auri, solidi septuaginta duo principibus offerendi, deuotionem animo libenti suscipimus.* CVIACIVS in dicto concilio legendum censet loco vocis (annus) *aureus,* quod non admittendum esse indicat dicta lex vnica.

XV. Restat adhuc dubitatio, quomodo septuaginta duo testes ante Constantinum desiderabantur, cum nondum libra reducta esset ad septuaginta

ginta duos solidos? Puto non hoc fuisse factum ratione librae occiduae, sed quia numerus ille magno in pretio in ecclesia habebatur: nam & septuaginta duo discipuli a Domino electi sunt ad praedicandum euangelium, & vt essent testes veritatis, LVCAE *c. 10.* ad quorum exemplum testes adhuc coepere eiusdem numeri, ait ZEPHERINVS in epist. relata ab IVONE *part. 5. cap. 245.* Fuerunt quoque septuaginta duo interpretes s. scripturae, vt docet Epiphanius, licet vulgo numerentur tantum septuaginta, quod CVIACIVS factum fuisse dicit, vt rotundaretur numerus, *pour faire le compte rond*; sic in condemnatione Chronopii facta a septuaginta episcopis in *l. 19. C. Theod. quorum appellat. non recipi.* Vbi dicendum fuisse adhibitos septuaginta duos episcopos, quae lex est Valentiniani & Valentis.

XVI. Et hanc regulam septuaginta duorum testium, ex decreto ZEPHERINI processisse scribit etiam LVITPRANDVS in eius vita, quod LEO IV. confirmauit in *can. nullum. 2. q. 5.* Certe canon apostolorum septuaginta duos tantum, vel tres testes exigit, quem numerum non sufficere, sed ad minus quinque adhibendos esse contendunt ZONARAS & BALSAMO.

XVII. Quod si verum amamus, quaecunque de libra occidua dicuntur, vt & ipsa acta concilii Sinuessani suspecta sunt & commenta Donatistarum fuisse indicat BARONIVS ex D. AVGVSTINO, ita vt accusatio contra MARCELLINVM vera nunquam fuerit.

OBSERVATIONVM IVRIS CANONICI LIBER QVINTVS.

CONTINENS TRACTATVM DE LEGE ROMANA IN GALLIA.

CAPVT I.

DE CODICE THEODOSIANO.

I. Hunc tractatum legis Romanae adiicere volui obseruationibus meis: cum enim collectioni quintae Honorii III. operam nauarem, incidi in *cap. super speculа. de priuilegiis*, in quo quaedam discutienda plenius existimaui, siquidem pontifex constitutiones imperatorum in Gallia obseruari negauerit, quod peperit magnam contentionem inter doctissimos viros, quorum opinionibus aliquid de meo addere non ingratum fore reor.

II. Et vt seriem temporum ordine perstringam, initium sumendum est a Theodosio iuniore, qui primus omnes constitutiones principum a Constantino Christianissimo principe vsque ad aeuum suum colligi curauit, vt ex his componeretur codex, quem Theodosianum vocari & inconcusse seruari voluit, vt constat ex nouellis ipsius Theodosii & Valentiniani, & eum promulgauit anno Chr. 435. Quem quidem codicem Gothorum reges primi agnoscere vix voluerunt, & primus Euridicus, vel Euricus siue Euarix, Eorix, Eoricus, & tandem Theodoricus (totidem enim nominibus indigitatur apud scriptores) qui aera 504. anno Christi 468. fratri Theuderico successit: Gothis iura scripta dedit,

dedit, vt refert ISIDORVS in chronico: *Sub hoc rege*, inquit, *Gothi legum instituta scriptis habere coeperunt, nam antea tantum moribus & consuetudine tenebantur.*

III. Nec tribuenda est haec institutio cum BARONIO, Theodorico antecessori Euarici, summum virum decepit locus hic SIDONII APOLLIN. *epist. 1. lib. 2.* vbi de Seronato loquens: *Leges Theodosianas calcat*, inquit, *Theodoricianasque proponit*, i. e. ius Romanum atterens, Gothicum introducit: non aduertens per Theodoricianas leges intelligi ab Euarico introductas, qui Theodoricus quoque dicebatur, vt satis superque probat doctissimus SAVARO ad illum locum, ex aliis Sidonii locis, ex Freculpho & ex Hugone Floriacensi. Equidem assentior cultissimo SIRMONDO, Sidonium paronomastice locutum, sed paronomasia insulsa foret, si Euarix Theodoricus quoque appellatus non fuisset.

IV. Et ita prima legum Gothorum collectio debetur Eurico, vocato quoque Theodorico, non vero Theodorico regi Italiae, vt existimauit CVIACIVS, qui quidem longe post vixit, nempe circa Anastasii imperatoris tempora ad annum 493. vel, vt alii volunt, ad annum 500. quo demum tempore, vel paulo post, nempe anno 506. Alaricus Euarici filius codicem Theodosianum ex nimia prolixitate contractum, & partim ex Theodosiano, Gregoriano & Hermogeniano codicibus conflatum, per Anianum edi curauit anno 22. regni sui Aduris, vt patet ex rescripto ad Timotheum. Probatur quoque SIDONIVM APOLLINAREM loquutum non fuisse de Theodorico Italiae rege, quia multo ante ipsum mortuus erat, vt videre est apud GREGORIVM TVRONENSEM *lib. 2. cap. 23. historiae Francorum.*

CAPVT II.

DE CODICE THEODOSIANO SVB REGNO GOTHORVM, ET DE LEGIBVS GOTHORVM.

I. Illas autem leges Eorici, vel Theodorici Leuuigildus correxit, & plurimas adiecit, plerasque superfluas abstulit, vt refert ISIDORVS in chronico, aera 608. Hae leges eo regnante in lucem prodie-

dierunt, & obseruatae fuerunt in omnibus prouinciis, quae Gothis parebant sine distinctione subditorum, sub titulo legis Gothicae, & earum vsus adhuc erat in Galiia Narbonensi sub Ioanne VIII. vt infra dicetur. In Hispaniis quoque locum habuerunt, quarum regnum Liuua frater rex Gothorum ei cessit, contentus regno Galliae Narbonensis.

II. Erat Leuuigildus religioni catholicae valde infensus, Arianas partes sequutus, idcirco eius leges vt plurimum impiae a Recaredo piissimo principe reuocatae fuerunt, vt coniicere licet ex *can. 16. consil. Tolet. VI.* quas ob eandem causam alii reges Gothorum Chindasuindus, Recessuindus, & Flauius Egica codici suo legum VVisigothorum, quem postea recensuerunt, inserere noluerunt, vt patet ex *tit. 2. l. 12.* His etiam legibus VVamba, Gundemarus, & alii reges varia sua decreta addiderunt, vt constat ex conciliis Toletanis. Eruigius etiam in concilio Toletano XII. & ipse Flauius Egica vltimam manum apponens, cuncta, quae in canonibus, vel legum edictis deprauata erant, in melius reduci iussit, patribus in concilio Toletano XVI. residentibus, vt ex eius decreto patet.

III. Hic autem codex tantae fuit auctoritatis, vt non solum in Hispaniis obseruatus fuerit, sed & ab aliis populis, qui ex eo multa capitula, mutuarunt, & legum suarum voluminibus inseri curarunt, vt ex capitularibus Caroli M. & ex legibus Burgundionum, Salicis, & aliis liquido constat; & ita demum vt saepius in rebus dubiis codex legum Gothicarum consultus fuerit, vt patet ex epistola Ioannis VIII. papae apud IVONEM, *part. 3. cap. 98.* Gothorum regibus valde addicti fuere alii populi, & maxime Burgundiones temporibus Gundebaldi, vt apud Cassiodorum videre licet, quamuis antea a Gothis male habiti fuissent, quos Euarix subegit, vt testatur IORNANDES, & SIGEBERTVS ad annum 471. *Eoricus Burgundiones sibi subegit*, & *ipsos vicissim bello lacessitos* docet SIDONIVS *epist. 10. l. 7.* Idem Gundebaldus Ariana haeresi infectus Alarici partes sequutus, vt GREGOR. TVRON. scribit *l. 2. c. 33. Francos apprehensos apud Godesigilum Tolosae in exsilium ad Alaricum regem transmisit*, & ex praefatione ad leges Burgundionum maximam cum Gothis amicitiam contraxisse apparet: nihilominus, quantum ad legum disciplinam & causarum, litiumque iudicium, omnia fere negotia inter Burgundiones & Romanos a comitibus & iudicibus expediri voluit dictus

Gun-

Gundebaldus in legibus, quas genti suae constituit, nomine suo notatis (& editis Auieni consulatu anno 501. vel sequenti) vt ostendit *tit. 6. de fugitiuis cap. 3. & tit. 15. cap. 1. Quod inter Romanos & Burgundiones aequali conditione volumus obseruari.* Imo & omnes lites barbarorum & Romanorum, legibus Romanis decidebantur, *tit. 55. cap. 2. legum Burgund.*

IV. Haec commixtio populorum cum Gothis effecit, vt Romana lingua valde corrupta fuerit, praesertim sub Tiberio II. puritatem linguae Latinae Gothorum barbaries ab Italia eliminauit anno 570. Ceterum licet Gothi valde fuerint aemuli nominis & imperii Romani, nihilominus (vt supra diximus) Alaricus suorum praedecessorum legibus, Gothis subditis suis relictis, in fauorem Romanorum, i. e. Aquitanorum, Nouempopulanorum, & aliarum prouinciarum regni sui, codicem Theodosianum exscribi iussit, vt illo vterentur, quod Anianus cancellarius eius Aduris promulgauit, cum interpretationibus suis, sub titulo legis Romanae.

V. Ab eo tempore, quo codex Theodosianus in lucem prodiit, tanto in pretio habitus fuit, vt passim omnes principes a suis populis obseruari voluerint. Ita Edilbertus rex Cantii Romanas leges suas fecit, vt testatur BEDA *lib. 2. c. 5. histor. Anglor. Inter cetera bona*, inquit, *quae genti suae consulendo conferebat, etiam decreta iudiciorum iuxta exempla Romanorum cum consilio sapientum constituit: quae conscripta Anglorum sermone hactenus habentur, & obseruantur ab ea.*

VI. Imo & in conciliis & in decretis ecclesiasticis passim codex ille auctoritatem habuit, & praecipue liber decimus sextus codicis Theodosiani, ex obseruatione HINCMARI *in opusculis capitul. 50.* citaturque a concilio Aurelianensi V. *can. 7.* sub nomine *legum κατ' ἐξοχὴν* & *venerandarum legum* a Nicolao I. *in resp. ad consulta Bulgaror.* Haec est lex Romana, quam *omnium humanarum legum matrem* vocat *Additio 4.* capitularium LVDOVICI *c. 102.* GRATIANVS quoque leges Theodosianas decreto suo inseruit, *can. propter & sequent. 2. q. 6. can. quicumque. 11. q. 1.* quas desumptas ex Pauli sententiis Anianus in codicem Theodosianum retulerat.

VII. Inde etiam coniicere possumus eo seculo non solum constitutiones imperatorum receptas fuisse, sed etiam veterum ICtorum respon-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0333
DFG

sa : cum & ipse Anianus in dictas Pauli sententias notas composuerit, & Papinianus sua responsa ediderit pro Burgundionibus, atque etiam collatio legum Romanarum cum Mosaica facta fuerit.

CAPVT III.

DE MVTATIONE REGNI, ET LEGVM GOTHORVM.

I. Fvso & interfecto Alarico a Clodoueo, ad Francos regnum Tolosae peruenit, a finibus Gothorum vsque ad Burgundionum terminos, vt scribit GREGORIVS TVRONENSIS *lib. 2. cap. 37.* & ISIDORVS *in chronico*, vel potius ab Aquitania vsque ad Narbonensem primam autoribus IORNANDE & PROCOPIO *l. 1. de bell. Gothor.* fugam capessente in Hispanias Amalarico Alarici filio, Gesilini filii quoque Alarici ex concubina, in conseruando regno paterno conatibus cassis, vt constat ex actis SVRII *die 19. Octobris.* Amalarico vero adhuc rerum potito in prima Narbonensi (quae inde Gothia dicta) sub tutela aui sui materni Theodorici ostro Gothorum regis Narbonae a suis in foro caeso, vt refert ISIDORVS *in chronico*, Atalaricus nepos dicti Theodorici ex filia Amalasuntha, & Eutharico summam habuit rerum Gothicarum sub tutela matris, sed per Theodati ignauiam & auaritiam (in quem Amalasuntha post obitum filii sceptrum transtulerat) res omnes Gothorum pessum ierunt in Gallia, quem ea Galliae parte, quam Gothi tenuerant, Francis cessisse scribit PROCOPIVS *lib. 1. de bello Goth.* & Vitigem sequenti anno confirmasse, deductis inde Gothorum praesidiis, idem autor est *lib. 3. de bello Goth.*

II. Eorum in locum successit in Italia gens effera & crudelis Longobardorum, quam inter Germaniae populos recenset TACITVS *lib. 2. annal. & de morib. German.* & Scandinauiam, vnde egressi, postea occupasse verisimilius est, quam quod ait PAVLVS VVARNEFRIDVS *lib. 1. c. 8. de gest. Longobard.* eos dictos Longobardos a barbae longitudine. Hi populi Italiam dire vastarunt, & aliquando etiam in Galliam irruperunt, sed acriter exagitati a Childeberto Francorum rege,

per

per legatos ab Autharico missos pacem obtinuerunt, vt scripsit dictus PAVLVS VVARNEFRIDVS *l. 3. c. 36.* & post a Carolo magno Desiderio deuicto ipsorum regnum Francico adiectum fuit.

III. Hi Longobardi leges quoque edidere, quas cum sola memoria & vsu retinerent, scriptis mandari iussit primus Rotharis rex, anno 644. & teste eodem *lib. 4. cap. 44.* ipsarum codicem appellari voluit *edictum*, *anclabeonem*, seu *auricabeonem* (voce Longobardica) *in glossario* ISIDORI. Ita & a Gothis conscriptas leges *hellagines* dictas scribit IORNANDES *cap. 11.* i. e. *placita principum*, vocabulo corrupto ex Gothico *vvel-hagen* breuitatis caussa ita contracto a *vuelbehagen*, quod significat beneplacitum, vt obseruat BONAVENTVRA VVLCANIVS *in notis ad Iornandem.*

IV. Hic codex, de quo loquitur Warnefridus, intertextus postea fuit variis constitutionibus Caroli M. Ludouici, Lotharii, & aliorum imperatorum, qui regno Longobardico praefuere, vsque ad Conradum imperatorem, qui *Francus* dictus est, qui & leges quasdam Salicis & Francicis addidit, quae quidem magni fuerunt momenti, & autoritatis, vt constat ex LVITPRANDO, SIGEBERTO, OTHONE FRISINGENSI, & aliis.

CAPVT IV.

DE CAVSA NAVFRAGII ET INTERITVS LEGVM ROMANARVM.

I. Caussam huius ruinae nullam aliam fuisse, quam principum ambitionem existimandum est, qui fere omnes ditionibus suis & regnis leges proprias dare conati sunt, vt patrio iure potius, quam extero regi viderentur, ac etiam nominis sui commendandi causa.

II. Quod primi tentarunt Wisigothi, qui codicem Theodosianum, legemque Romanam abolere in animo habuerunt, vt docent constitutiones CHINDASVINDI regis in *l. 9. & 10. tit. 1. l. 2.* in quibus valde legum suarum codicem commendat, & obseruari mulcta pecuniaria adiecta iubet: *Alienis*, inquit, *legibus ad exercitium vtilitatis imbui & permitti-*

mittimus & optamus: ad negotiorum vero discussionem & resultamus & prohibemus, quamuis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus haerent, nolumus siue Romanis legibus, siue aliis constitutionibus amodo amplius connexari. Imo & legum aliarum libros disrumpere iudicibus imperat. Hic princeps Gothis dominabatur in Hispania, & innatum genti suae odium in Romanos fouebat, quorum auaritiam & ambitionem solum nomen Hispaniis reliquisse scribit SALVIANVS *l. 4. de prouident.*

III. Longobardi parcius egerunt, iuris Romani libertatem conseruantes iu Italia, vsque ad Carolum magnum, qui Desiderio victo & regno Italiae Francico adiecto, eam magna ex parte conseruauit, & imprimis codicem Theodosianum confirmauit, vt patet ex *commonitorio & praefatione* ipsius. In Italia siquidem & Longobardorum regno quamplurimas legum Romanarum sine piaculo conuelli non potuisse agnouit, praesertim in successionibus, contractibus & iureiurando, in reliquis vero leges suas, & capitula obseruari decreuit, vt declarat CAROLVS CALVVS *lib. 2. legum Longob. tit. 56. De ceteris vero causis*, ait, *communi lege viuamus, quam Domnus Carolus excellentissimus Francorum & Longobardorum rex in edictum adiunxit.*

IV. Tria hoc loco sub nomine edicti intelligi possunt: primo codex legum Longobardorum, quem Rotharim regem edictum vocasse obseruauimus superiori capite ex Warnefrido. Secundo Theodorici regis edictum, per quod derogauerat in aliquo legi Romanae, vt videre est in praefato edicto. Tertio capitula Caroli magni, edictorum nomine nuncupata, apud SIGEBERTVM *ad annum 827.* Constitutionem hanc Caroli calui accipiendam esse de codice legis Longobardorum conuincit & locus, in quo posita est, scil. in dicto codice legis Longobardum & constitutiones Caroli magni ad dictum codicem additae.

V. Et ita derogatum fuit in quibusdam legi Romanae; in quibusdam aliis lex Romana constanter seruata fuit, & libertas relicta, qua lege viuere mallent, sicut antea per legem Salicam licuerat Francis, & per proprias Longobardis, Burgundionibus, Ripuariis, Saxonibus, & Frisionibus. Hoc quoque expresse sanxit Ludouicus Pius constitutione sua anni 825. *Vt cunctus populus Romanus interrogaretur, qua lege vellet viuere, vt ea qua professus esset viuere velle, vteretur.* Quod & obseruatum fuit sub CAROLO CALVO *cap. 28.* synodi apud Pistas.

Pistas: *De illis, qui secundum legem Romanam viuunt, nihil aliud quam quod in eisdem legibus continetur, definimus;* & *c. 34. salua constitutione legis Romanae in eis, qui secundum illam viuunt.*

VI. Quae quidem intelligenda sunt de populis, qui partim Romani, partim alterius gentis fuere; nam in regionibus, in quibus tota lex Rom. viguit, Carolum M. in nullo derogasse censendum est: sicut CAROLVS CALVVS, *in edicto apud Pistas* nominatim profitetur, *cap. 20. In illis autem regionibus,* inquit, *in quibus secundum legem Rom. iudicantur iudicia, iuxta legem illam talia committentes iudicentur, quia super illam legem nec contra ipsam legem nec antecessores nostri quodcumque capitulum statuerunt, nec nos aliquid constituimus.* De his me monuit doctissimus vir & carissimus, PETRVS CASANOVA, inter primos huius seculi scriptores merito reponendus. Loquitur autem ibidem Carolus Caluus de his, qui mensuras adulterant, quo casu crimen secundum legem Romanam puniendum ait, iuxta capitulum CAROLI M. *cap. 47. l. 4. de illis autem, qui secundum legem Romanam viuunt, nihil aliud nisi quod in eisdem legibus continetur, definimus,* prout citatur in dicta synodo *cap. 28.* nam in capitularium libris non reperitur.

VII. Haec libertas viuendi qua lege mallent, diu inualuit; nam tempore D. Ludouici inconcussa fuit, vt constat ex instrumento anni 1254. desumpto ex chartulario s. Dionysii relato in tractatu contra francum allodium. Immo & quod magis mirum videri debet, huius consuetudinis vsus adhuc erat in Italia (in qua ius Romanum solum seruatum volunt) regnante ipso D. Ludouico eodem anno 1254. centum triginta nouem annis post Lotharium II. (quem ius ciuile Romanum restituisse & decreuisse, vt ex illo iudicia fierent, vulgo creditur) vt manifestum est ex dicto chartulario.

VIII. Hoc etiam obseruandum est, cum aliquid ex lege Romana proferebant, lingua Latina vtebantur, alias vulgari, veluti Thiotisca, *cap. 7. Adnuntiationis apud Confluentes.* Faurabiliores autem erant in talibus iudiciis personae Francorum, quam Romanorum & aliorum: mitior enim poena decernebatur aduersus Francos, aduersus Romanos & alios grauior: in legibus Salicis *tit. 34. Si Romanus Francum ligauerit, solidis triginta; sin autem Francus Romanum quindecim plectebatur.* Idem statuitur *tit. 15.* & alibi saepe, vt de Saxonibus & Frisionibus statuit

CAROLVS M. *cap. 75. lib. 4. Capitular. Vt omnis solutio & compositio inter Francos per duodecim denarios solidus componatur; inter Saxones & Frisiones per quadraginta denarios, quem solidum Saxo vel Frisio ad partem Salici Franci cum eo litigante soluere debet.*

IX. Sed restat adhuc dubitatio, an omnino verum sit, Carolum magnum in animo non habuisse tollere ius Romanum. Facit negotium, quod inter eius capitula recensetur *lib. 6. c. 269.* Vbi iisdem verbis, quibus vsus fuit Chindasuindus, repetit eius constitutionem: *Prohibemus ad negotiorum discussionem vsum legum Romanorum, quae quamuis eloquiis polleant, tamen difficultatibus haerent.* Hanc legem repetitam a Carolo magno non in Gallia, sed in Germania promulgatam fuisse scribit LINDEBROGIVS in praefatione codicis legum antiquarum, & Germanos per alienam gentem intelligi existimat.

X. Sed si verum amamus, nusquam a Carolo eam legem receptam fuisse probabile est, quae nec inter vera, & legitima eius vel successorum capitula reperitur. Haec capitula quatuor prioribus libris continentur, & fuere olim ab ANSEGISO abbate collecta, reliqua, quae tribus posterioribus libris quinto, sexto, & septimo inserta sunt, pauca sunt Caroli, sed potius confuse & sine delectu congesta a BENEDICTO LEVITA (vt ipsemet fatetur) tum ex Gallicanis canonibus, poenitentialibus libellis, sanctorum patrum sententiis, Iuliani antecessoris nouellis, Alarici codice & Aniani interpretationibus; tum etiam ex Wisigothorum legibus, vt doctissimus FRANC. PITHOEVS animaduertit; ita vt haec lex, de qua agimus, ex codice Wisigothorum excerpta, falso capitulis Caroli magni attributa fuerit, & illam Benedictum Leuitam inuenisse in scrinio ecclesiae Moguntinae verisimile est, ex quo plura se compilasse fatetur: ibi a Riculfo archiepiscopo Moguntino recondita: quem in huiusmodi, sicut & in capitulis regiis curiosum fuisse, & libros ex Hispania attulisse refert HINCMARVS *aduersus Hincmarum Laudunensem*, inter quos sine dubio erat codex Wisigothorum & forsan ab eodem Riculfo quaedam huius codicis capitula, regiis capitulis inserta fuerant.

XI. Carolus enim magnus legum Romanarum autoritatem fouit, etsi non integram, magna ex parte illaesam conseruauit: imo & ab omnibus populis suo imperio subditis aliquando seruari praecepit, vt notum

tum est *de l. prima C. Theod. de episcopali iudicio*, quae est Constantini ad Ablauium, circa iudicia episcoporum, quam suis capitulis inseri voluit *c. 28 1. l. 6. & in can. in memoriam. 19. distinct.* iniungit, vt poene falsi infligatur secundum legis Romanae definitionem, vt supra diximus *obserու. 1. l. 1.* ita in *cap. nouit. de iudiciis*, vbi agitur de iudicio episcopali, ex quibus tamen locis non colligitur Carolum totam legem Romanam confirmasse, imo ex his contrarium colligitur, licet vir doctus, libello hoc anno de alode edito, ex eis suam sententiam confirmet; cum tamen nullus alius locus suppetat, praeter verba in fine commonitorii nescio a quo adiecta.

CAPVT V.
DE
RESTITVTIONE LEGVM ROMANARVM.

I. Non igitur omnino legibus Romanis, i. e. codici Theodosiano derogatum fuit a Carolo M. nec iis quoque, quas Iustinianus per Tribonianum edi curauerat, & promulgauerat, codicem nempe, anno Christi 529. & digestum anno 533. quamuis eius & sequentium imperatorum temporibus delituerint, vsque ad Lotharium Saxonem, sub quo (vt notat ABBAS VRSPERGENSIS) *Wernerius dictas leges renouauit.* In hoc tamen fallitur, dum ait id Wernerium fecisse ad petitionem Mathildis comitissae, quae antea vita functa erat, anno nempe 1115. cum Lotharius imperare coeperit anno tantum 1133.

II. Falluntur quoque viri docti, (vt hoc obiter dicam) qui Sigonium sequuti, asseuerant Mathildem professam fuisse legem Salicam, Bonifacium vero patrem suum, Longobardam. Falsi conuincit charta donationis loci, in quo fundata fuit abbatia montis S. Petri, in dioecesi Metensi per dictam Mathildem anno 1096. apud RICHARDVM WASSEBVRGIVM in haec verba: *Ego Mathildis, comitissa Dei gratia filia Bonifacii marchionis & ducis, quae professa sum ex natione nostra lege viuere Longobardorum.*

III.

III. Memorandum tamen est, quod refert Sigonius, Pisanos post expugnationem Amalphitanae ciuitatis anno 1137. nihil sibi ex omni praeda vrbis a Lothario imperatore reseruasse, nisi pandectarum iuris ciuilis volumen, priscis admodum litteris exaratum, quod in hunc vsque diem Pisis Florentiam translatum ibi magna, vt ita dicam, religione seruatur.

IV. Sed ad rem, restitutio haec sexcentis annis ab earum promulgatione facta fuit, regnante in Francia Ludouico grosso: nouellas quidem ipsius Iustiniani simul delituisse verum non est, quae antea passim vsu receptae erant, vt constat ex IVONE, qui vixit ante Lotharium, *epist. 134.* Immo quod maius est, vix mihi persuadeam ius ciuile tamdiu latuisse; nam & ipse IVO libros pandectarum citat, *ep. 99.* & ipsas leges Romanas Iustiniani *dicta epist. 134.* sed & alii plerique qui floruerunt ante Lotharium & Wernerium, ita vt facile existimarim, tamdiu delituisse ius Romanum, i. e. ab vsu recessisse in Italia, quamdiu Gothi & Longobardi & Franci eam occuparunt, vel vt Genebrardus loquitur, dilacerarunt: non vero vt dicamus illud ius in sola Apulia reconditum, ac in aliis terris & prouinciis deperditum fuisse: immo probabilius est Wernerium pene extinctum excitasse, (*quod dudum neglectum fuerat nec quisquam in eo studuerat*, inquit conceptis verbis dictus abbas Vrspergensis) & a Lothario obtinuisse, vt legendum publice in scholis edicto sanciret, quod strenue exequutus est, & lites post hac ex legibus Romanis iudicari, & per ICtos interpretes in academiis Romae & Bononiae legi iussit. Cui fauit constitutio Innocentii II. & hinc mauauit iuris exponendi modus in Gallia nostra.

V. Wernerius iurisprudentiam Constantinopoli didicerat, in qua tunc, sicut & fere in tota Graecia ius ciuile vetus summo studio colebatur, sed praecipue constitutiones imperatoriae in pretio habebantur, quas in libros basilicorum redigi fecerat Leo philosophus, vt BALSAMO & HARMENOPVLVS scribunt.

IV. Quare mirum non est; compilationes iuris ciuilis, Constantinopoli a Iustiniano editas, ita exsulasse e tota Graecia, vt in sola Apulia Wernerius delitescentes, & cum blattis & tineis luctantes, repererit. Caussam non aliam fuisse constat, quam ambitionem Leonis sapientis, qui vt autoritatem libris basilicorum a se editis & promulga-

tis

tis conciliaret, illas ſupprimere conatus eſt; quod & illi facillimum fuit, euaneſcente iam Latinae linguae dignitate apud Graecos. Tanta nimirum in Italia & tota fere Europa barbaries irrepſerat, vt legum ſcientia & litterarum cognitio penes nullos, aut ſaltim paucos exſtaret.

VII. Ex ſchola Wernerii prodierunt multi gloſſatores, qui palam ius docere coeperunt, vt Azo Bononiae, Placentinus apud Montem Peſſulanum, vt ipſe etiam Azo fatetur, tum deinde Accurſius Bononiae ac Toloſae, nec non & Iacobus de Arenis, Guillielmus de Montelauduno, Gencelinus, Lucas de Penna, Guillielmus de Cuneo, & alii plerique, qui ſtudia Toloſana illuſtrarunt.

VIII. Caſus tantae cladis circa leges Iuſtiniani proceſſit ab ipſo Iuſtiniano, qui veterum ICtorum reſponſa reſtrinxit ſub praetextu tollendi varietatem incredibilem *ex denſiſſima legum ſilua*, vt loquitur TERTVLLIANVS, ſicut ante ipſum alii imperatores fecerant, teſte eodem TERTVLLIANO *apologet. cap. 4.* dum ait: *Nonne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & ſqualentem legum ſiluam, nouis principalium reſcriptorum & edictorum ſecuribus truncatis & caeditis?* ſed reuera vt nomen ſuum poſteris famoſum redderet, ea ad quinquaginta libros redegit, quos a Triboniano confici iuſſit, ſimul etiam duodecim libros codicis ex aliis codicibus, Gregoriano, Hermogeniano, & Theodoſiano compactos, ac demum quatuor inſtitutionum libros erudiendae iuuentutis gratia, vt notum eſt ex edictis ipſius Iuſtiniani. Poſtremo etiam nouellas edidit, quas non omnes nouiter compoſuit, ſed ex legibus veteribus conflatas in vnum volumen coëgit, quod *nouellas conſtitutiones* inſcripſit, ὁ καὶ Νεαρὰς διατάξεις ἐκάλεσε inquit CEDRENVS *in Iuſtiniano*. Non omnes vero ab ipſo Iuſtiniano compoſitas fuiſſe probatur ex eparchicis libris, qui continent generales formas & edicta praefectorum praetorio, qualem fuiſſe nouellam περὶ ἐπιβολῶν 166. & 167. docet CVIACIVS *lib. 6. obſeru. cap. 10.* Igitur minime mirum videri debet, ſi Iuſtinianus tunc poena talionis plecteba-tur, eadem patiens a poſteris, quae antiquis irrogauerat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0341
DFG

CAPVT VI.
DE
LEGE SALICA.

I. Restat agendum de lege Salica, cuius nomen vnde fluxerit, nondum docti viri consentiunt: a flumine Sala, quod est trans Rhenum, plurimi deducere malunt, quidam a Salagasto vno ex quatuor auctoribus legis Salicae, de quo SIGEBERTVS & OTHO FRISINGENSIS.

II. Alii & quidem viri doctissimi, vt FRANC. PITHOEVS & SAVARO, a saliendo, eo quod Franci pedum acumine pollerent, argumento ducto ex panegyrico AVITI, *carmine 7.* SIDONII:

Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

Vtut sit, in comitiis Salizensibus (a quibus probabilius deducerem nomen legis Salicae) per Francos & eorum proceres lex Salica decreta fuit anno 422. & per regem Faramundum postea, anno nempe 424. cum eisdem Francis, & toto populi coetu, confirmata & sancita. SIGEBERTVS *in chronico* & GOLDASTVS *de lege Salica*; qui autor quoque est, Clodoueum anno 490. imperii sui 5. suos articulos Faramundi articulis addendos promulgasse in comitiis Aquisgranensibus & postea in Theodonis villae comitiis confirmatos, & pro lege haberi iussos: de quibus, & de additis a Childeberto *in fine legis Salicae* tractatur.

III. Hanc legem primo a solis Francis obseruatam constat, sed paulo post regnantibus Chilperico & Clodoueo, prolato per Francos tota fere Gallia imperio, Romanorum iam viribus attritis ac deficientibus ob Aetii mortem, Galli & Franci non tantum leges, sed omnia inuicem communia fecerunt, & maxime sub Clodoueo, cum deuicto ab eo Alarico regnum Tolosanum imperio suo adiecisset: a populo enim illo codicis Theodosiani, quem interpolatum ab Alarico receperat, reliqui Galli & Franci vsum mutuauere.

IV. Multa huius communicationis exempla congessit doctissimus antecessor Tolosanus IO. COSTA *tractatu de origine iuris in Gallia*, qui lucem

lucem exspectat, quae non repeto, vnum tantum addo ab eo praetermissum, quia maxime notandum est; *legem scil. tertiam, de incest. nupt. Cod. Theod.* quae prima vetuit consobrinarum coniugia, non tantum in concilio Agathensi celebrato sub ditione Alarici, eodem anno, quo codex Theodosianus per eum promulgatus est, anno nempe 502. sed etiam in concilio Turonensi II. *canon. 21. anno Christi 567.* sub Chariberto, receptam, & iuxta dictae legis sanctionem prohibita deinceps fuisse ea matrimonia in Gallia vniuersa.

V. Plures huius mixturae causas reperio. Prima est magnanimitas, & humanitas gentis Francorum, quae cogi nescia, populos sibi subditos cogere quoque nolebat. Huius Francorum indolis in re maioris momenti, testimonium praebet ipse rex CLODOVEVS *in magnis chronicis*, dum vrgentibus D. Remigio, & religiosissima vxore Clotilde, vt proceres suos & milites Christianos faceret, sibi nota eorum ingenia esse dixit, & omnia se ab eis sperare, modo liberaliter, & ingenue cum illis ageretur. Illustrius huius virtutis documentum nobis dat finis *tractatus praefixi libro legis Salicae*, cuius haec sunt verba: *Post agnitionem baptismi, sanctorum martyrum corpora, quae Romani vel igni concremauerunt, vel ferro truncauerunt; vel bestiis laceranda proiecerunt, Franci reperta auro & lapidibus pretiosis ornauerunt;* nec vllum ab eis ante conuersionem ad fidem catholicam martyrio affectum legimus.

VI. Secunda causa fuit, mens & scopus Francorum qui *libertatis autores* non tam celebrari, quam esse cupiebant, pro qua toties tam gloriose decertarunt ab anno 260. sub Gallieno, vsque ad internecionem Romanorum, & aliarum gentium in Gallia, vt sibi in omne aeuum mansurum nomen *Francorum* pepererint. Ideo ne libertatem, cuius vere & nomine, & re vindices erant, opprimere viderentur, intactas victis leges reliquerunt, vniuersis Gallis Cisalpinis Romanas, Burgundionibus Gundobaldas, & Galliae transalpinae Longobardas & Romanas. Insigne huius libertatis monumentum exstat apud HINCMARVM, *in libello contra Thietburgam: sciant se*, inquit, *nec Romanis in die iudicii nec Salicis, nec Gundobaldis, sed diuinis iudicandos.* Vbi obiter aduertendum est: Hincmarum non loqui de legibus Longobardis, quia illae tantum trans alpes locum habuere, in prouinciis olim possessis a Longobar-

bardis, nec de Gothicis, quia iam Pyreneos montes transcenderant & cum regibus suis in Hispaniam migrauerant.

VII. Ceterum Romanae legi ita addicti fuere Galliae populi, vt etiam eo tempore, quo sub imperio Francorum Germani & Galli erant, & vnico nomine Franci vocabantur; ad distinguendam Franciam occidentalem, id est Galliam, a Francia orientali, hoc est Germania, illa dicta fuerit Francia Romana apud LVITPRANDVM *lib. 1. cap. 6.* & Gallia Romana a REGINONE *lib. 2.* Ita enim haec nomina *Francorum & Gallorum* confundebantur, vt PAVLVS WARNEFRIDVS *lib. 3. de gest. Longobard. cap. 13.* quos *Gallos* appellauerat, vna eademque periodo *Francos* nominet.

VIII. Putarem hoc cognomen, *Romanae*, datum Franciae ab exteris, vt significarent eam olim sub dominio Romanorum fuisse, nisi inuenirem *in formula 46.* incerti autoris, Francos origine, nobiles Romanos vocatos, vt infra dicemus. Equidem legimus quasdam vrbes & prouincias fugientem Romani nominis vmbram intra moenia & terminos suos retinere conatas fuisse, vt est in Gallia Arelas dicta Galli-Roma; Heduorum ciuitas Celtica Roma, in Apulia, Capua, in Africa Carthago, in Italia Rauennatum regio Romandiola, Aquileia, Roma secunda, ita & episcopus Aquileiensis episcopus Romanus vocatus fuit; quod & annotauit doctissimus SAVARO *ad epist. 11. L. 1. Sidonii.* Sed quid hoc prae potentia Francorum, qui prostratum ab eis tanti imperii corpus ita perhonorifice habuerunt, vt nomini suo principatum aliquatenus detulerint. Certe quid magis mirandum sit nescio, an modestia & humanitas Francorum, qui victos reuerebantur, & attoniti suspiciebant tam ingentem molem etiam ruina sua formidabilem; an fortuna & maiestas Romanorum, qui casu suo Francis illudebant, & victi victoribus leges, quodammodo dabant.

IX. Obseruandum tamen est, etsi lege Salica Gallia vniuersa vteretur, vtpote lege dominorum; in quibusdam tamen prouinciis legem Romanam praeualuisse, in aliis Salicam, inde factum est, vt in quibus minus vterentur lege Romana, ea sensim in desuetudinem abierit; in aliis vero constanter retenta sit, vt de Gallia Narbonensi & Aquitania certum est. Istae enim prouinciae, vt magis assuetae legibus Romanis, eas impensius coluere.

Et

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0344
DFG

X. Et haec est vera, (ni fallor) ratio differentiae prouinciarum, quae iure scripto vtuntur, quales sunt eae, quas diximus, & aliarum, quae moribus reguntur, quae sunt caeterae Galliae prouinciae. Nam locus iste (quem dictus nunquam satis laudatus professor IO. COSTA & clarissimum Galliae lumen GVILLIELMVS CATEL adducunt ex MSS. chronico V. C. praecentoris Narbonensis) *anno D. 759. Franci Narbonam obsident, datoque sacramento Gothis, qui ibi erant, vt si ciuitatem traderent partibus regis Pipini, permitterent eos legem suam habere*, quamuis concederetur accipiendum esse de lege Romana, i. e. codice Theodosiano a Gothis obseruato (quod tamen incertum est, immo probabilius est legem Wisigothorum designare) certe nullo modo intelligi potest de Aquitania, sed tantum de Gallia Narbonensi.

XI. Tertia communionis istius causa fuit, promiscua Francorum & Gallorum connubia: Franci enim Gallis commixti de ipsorum filiabus sibi vxores accipiebant, generabant filios & filias, qui omnes discebant linguam eorum simul & mores, vt refert Hunibaldus.

XII. Quarta causa fuit, sterilitas legis Salicae, quae nec cum adiectionibus suis poterat rebus omnibus & negotiorum difficultatibus prouidere. Quae ratio quoque fuit, cur Raimundus Berengarius XIII. comes Barcinonae & Almodis eius vxor, vsatica & consuetudines condiderunt anno 1060. experimento cognoscentes (*ait constitutio 2. tit. 6. d. proemiis lib. 1. constitutionum Cathaloniae superfluarum*) quod leges Gothicae, quibus vtebantur, in pluribus deficiebant, ita vt iustitia congrue & sufficienter administrari non posset. Non tamen dicendum est cum BERTRANDO de la CVEVA, patrono regio *in tractatu edito Madriti anno 1625. contra Ruscinonenses*, leges Gothicas reiectas fuisse a Berengario.

XIII. Contrarium ostendit autoritas praefixa dictis vsaticis, nempe, illa tantum supplere sterilitatem legum Gothicarum in casibus, in quibus commode obseruari non poterant, aut qui ab illis decisi non erant; autoritatem dictarum legum Gothicarum in sequendo, quae expresse decernunt, solum principem posse addere codici dictarum legum decisionem causarum de nouo emergentium; quod & feciisse Adelfonsum regem Legionis anno 1012. refert RODERICVS *lib. 5. cap. 19. Rex Adelfonsus leges Gothicas reparauit, & alias addidit*, inquit, *quae in regno Leonis hodie obseruantur*. Imo manifestum est, leges Gothicas obseruatas ad-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0345
DFG

huc fuisse in regno Aragoniae (cui Barcinona subiecta erat) anno 1333. ex constitutione regis Aragoniae Alfonsi; quam refert HIERONYMVS BLANCA *in commentar.* In regno quoque Castellae autoritatem habuerunt ex decreto concilii Coyacensis *tit. 9. & 12. Faciat, quod lex Gothica iubet*, vsque ad annum 1241. quo Alphonsus sapiens ius Romanum introduxit, vt optime, more suo, obseruat ill. praeses de MARCA *lib. 5. cap. 2. histor. Benearni.*

XIV. Partim ergo lege Romana, partim Salica, partim legibus Gundobaldis, partim Longobardis vsi sunt Franci & Galli, sed praecipua Romanis, quae, quamuis in codicem digestae non essent, tamen, vt facultas exposcebat, earum vsus requirebatur, vt de nouella Theodosii iunioris circa praescriptionem tricennii compertum est, quam Nicetius praefecturae Gallicanae consiliarius, primus in Gallias inuexit, vt refert SIDONIVS *epist. 6. l. 8.* posterioribus annis Merouei, regnante magno Theodorico Gothorum rege. In formulis veteribus secund. leg. Rom. *formula 11.* fit mentio legis Romanae *de infantibus expositis ex corporis Theodosiani libro*, inquiunt. In formula 24. agit de lege Romana, qua qui pupilli tutelam recusant, hereditatis successione priuantur, *lex Romana constringit*, inquit; lex etiam Constantini locum habuit, qua manumissus in ecclesia defensatur, *Formula 56.*

CAPVT VII.
DE
PRAESVMTA DIVERSITATE LEGIS SALICAE.

I. Duo viri magni nominis, FRANC. HOTOMANNVS & IO. COSTA supra laudatus, non videntur attigisse genuinum sensum huius difficilis loci EGINHARTI, *in vita Caroli magni: Franci duas leges habent: pluribus in locis valde diuersas.* Primus putat duas sedes Francorum, duoque regna fuisse; in Gallia vnum, alterum vltra Rhenum ad flumen Salam: *Quemadmodum ergo*, inquit, *duo Francorum regna fuerunt, & duae sedes, ita duae Francorum leges, Salica, quae ad Salicos vltra Rhenum, Francica, quae ad Franco-Gallos pertineat.*

II.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0346
DFG

II. Sed quod iſte autor ait de duabus ſedibus Francorum in Germania & Gallia poſt legem Salicam, incertum eſt, ne dicam falſum: quia tamen res eſt longioris diſquiſitionis, demus illi hoc verum eſſe; num propterea, quia in prima regum noſtrorum dynaſtia quatuor fuere ſedes regni Francici in Gallia, nimirum Lutetia, Metae vel Auſtraſia, Aurelia & Sueſſio, ideo dicendum eſt, fuiſſe quatuor leges Salicas vel Francicas? Opinio vero haec legem Francicam ad Franco-Gallos, Salicam ad Francos Salios in Germania pertinere, non firmiori fundamento nititur, ſed ab omnibus hiſtoricis contradicitur, qui vnanimiter conſentiunt legem Salicam in Germania conſtitutam, & per Faramundum confirmatam, & Clodoueum (quem nemo verum Franco-Gallorum regem, vt ille noſtros reges vocat, negare poteſt) additiones ad legem Salicam in ead. Germania promulgaſſe, vt ſupra dictum eſt, pro ſucceſſoribus ſuis in Gallia & in Germania; & contra HOTOMANNI diuiſionem, dum hiſtorici de lege Salica loquuntur modo Salicam, modo Francicam, eam vocánt, vno contenti erimus. Is eſt SIGONIVS *lib. 4. de reg. Ital. Carolus M.* ait, *in Italiam intulit legem Salicam. Erat autem Salica idem quod Francica.*

III. Exploſa HOTOMANNI opinione, videamus, an doctiſſimi anteceſſoris ſententia admittenda ſit. Is vult Eginhartum per duas leges Francorum intelligere duplicem legem Salicam, vnam, quae fuit condita in Germania anno 422. alteram a regibus noſtris in Gallia emendatam & temperatam ex ipſo iure Romano. Non diffiteor legem Salicam varias emendationes, additiones, & interpretationes recepiſſe a regibus noſtris: ſed illis nihil obſtantibus vnicam fuiſſe contendo; ſicut poſteriora regum noſtrorum edicta, quae priora ieiuna, & ſterilia ampliant, corrigunt, emendant, interpretantur; licet quaedam ex iure Romano, alia ex ſacris conciliis conflata ſint, corpus diuerſum non efficiunt, ſed vnicum tantum, & illud concinnius reddunt. Sic nullus autor Longobardos duas leges habuiſſe dixit; etſi ea quae a Rothari in ſcriptis redacta fuit, variis imperatorum conſtitutionibus interpolata fuerit, & in tres libros digeſta, vt ſupra diximus; & quamuis Rachiſis dictorum Longobardorum rex anno 2. regni ſui, & Chriſti 746. conuentu habito omnium principum ſuae gentis, vt vna ſimul agerent de lege a Rothari promulgata, vel amplianda, vel emendanda, eam rex ſententia

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0347
DFG

tentia omnium bene disposítam promulgauerit, vt constat ex *autoritate ab illo praefixa legibus Longobardis.*

IV. Simile dicendum est de lege Gothica (sic a concilio Coyacensi appellata, vt superius attigimus) etsi toties a diuersis regibus Gothis & Hispanis correcta, emendata, renouata, immutata fuerit, vt vix faciem retineat eius, quae primo ab Eurico, seu Theodorico promulgata fuit. Sed quid hic diutius immoramur? Ipsemet CAROLVS M. vnicam tantum legem Salicam, non duas agnoscit: *Legem Saxonum* inquit, (apud AVBERTVM MIRAEVM *in codice donat. piarum, cap. II.*) *Noricorum, Sueuorum, Francorum, Ripuariorum, Salicorum distinxi, distinctam sub autoritate regia & imperatoria stabiliui, communi consilio & generali conuentu totius Galliae a me renouatam, & in melius auctam.* Quo respexit dictus EGINHARTVS dum ait: *omnium nationum, quae sub eius dominatu erant, iura quae scripta non erant, describere, ac literis mandari fecit.* Et POETA SAXO *lib. 5. de gest. Carol. M.*

Cunctorumque sui regni leges populorum
Collegit, plures inde libros faciens.

Inter quae iura non scripta, reponenda est lex Salica, vt constat ex *autoritate praefixa libro legis Salicae;* nisi velis haec verba *describere iussit*, intelligere cum ill. praes. de MARCA, *transferre iussit*, scil. de lingua Thiotisca in Latinam. Quaedam enim alia iura scripta erant, vt lex Baiuuariorum, iussu Dagoberti, vide GOTHOFRIDVM VITERBIENSEM, & prologum ad dictam legem.

V. Legem ergo Salicorum Carolus M. distinxit, i. e. in scripta, in meliorem ordinem, & in capita digessit, quae antea informis, & indigesta erat, quamuis ex quibusdam regum titulis congesta, qui legem Salicam non diuidunt, alioquin dicendum esset, tot esse leges Salicas, quot regum additiones & decreta, quae sententia nimis absurda foret. Scio praefatam constitutionem Caroli M. suspectam esse Miraeo, non vero imperatoribus Friderico I. & II. qui illam confirmarunt, vt refert LINDEBROGIVS *in prolegomenis ad Cod. leg. antiq.* nec Eginharto, nec poetae Saxoni, vt supra vidimus.

VI. Reiectis ergo his interpretationibus vera videtur haec esse; Eginhartum per duas leges intellexisse Salicam & Longodardam vel Salicam & Romanam, quas passim coniungi videmus, in Italia scil. Lon-

go-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0348
DFG

gobardam & Romanam, in Gallia Salicam & Romanam. Non desunt rationes, quibus probari posset Eginhartum locutum fuisse de lege Salica & Longobarda. Nam Carolus M. Longobardis a se recens deuictis benignum se praebuit, & omnia eis consueta iura seruauit (ita vt distincta semper fuerit lex Longobarda a lege Salica) & ad demerendam illorum gratiam titulo regis Francorum, titulum regis Longobardorum adiicere voluit, vt videre est apud autores illius seculi; & Francis permisit, cum mixti forent Longobardis, vti vel eorum lege, vel Salica, & ob mixtionem illam lex Longobardorum, *capitulare Caroli M. Romanorum imperatoris, Francorum & Longobardorum regis* dicta fuit *in prima editione illius legis facta* per NIC. BOHERI, ideoque Eginhartus potuit vocare has duas leges proprias Francorum, quamuis inter se diuersas.

VII. Sed malo hunc locum Eginharti interpretari de lege Salica & Romana (cum clarissimus V. ALTESERRA, quamuis dissentiat laudatus supra vir doctus in libello de alode) quibus ad libitum Franci vsi fuere, a Clodoueo ad Carolum magnum vsque, sub quo vixit Eginhartus, sicut & constare potest ex aliis auctoribus coaetaneis Eginharti, & iis, qui eum praecesserunt, puta ex pluribus locis formularum Marculphi, & aliorum, qui formulas collegerunt, in quibus *lex*, vel *ius*, & *consuetudo*, vel *mos*, i. e. lex Roman. & Salica passim coniunguntur, & qui sequebantur legem Roman. vulgo vocabantur *ciues Romani*, *in formula 40. lib. I.* MARCVLPHI, & formula 8. formul. incerti autoris, & ciuitas viuentium sub lege Rom. dicebatur quoque *Romana*, *formula 56. formul. dicti inc. aut.* & qui legem Salicam sequebantur, *Franci Salici* vocabantur *formula 5. eius incerti autor. Salegi*, & *Saligi* in diuersis actis chartularii Casaurienſis citatis *in tractatu Gallico*, *contra Francum allodium* p. 317. & 318.

VIII. In hoc tamen Salica lex a Romana differebat, quod consuetudo & *mos* vocaretur in plerisque *formulis*: FREDEGARIVS de nuptiis Clodouei & Clotildis, *Solido & denario* (*vt mos erat Francorum*) *Clotildem partibus Clodouaei sponsant*: Veteres formulae apud FR. PITHOEVM de ead. re loquentes, *N. filius*, *N. puellam ingenuam per solidum & denarium secundum legem Salicam & antiquam consuetudinem sponsauit*: vbi, quod FREDEGARIVS dixit, *mos erat Francorum*, formu-

lae exponunt, *secundum legem Salicam & antiquam consuetudinem. Mos nobilium Romanorum adsueuit, & ratio iuris exposcit*, inquit, *caput 46. formular. veter. incerti auctoris.*

IX. Sed quia haec formula difficilis est, & luce indiget, eam obiter explicare conabimur. Clariss. & doctiss. vir vult, haec verba significare probationem instrumentorum, quae vi ignis consumta fuerant (de qua loquitur haec formula) ex moribus Romanis descendere; subscriberem libenter, si ius istud primo ab imperatore Gordiano constitutum in *l. sicut. de fid. instrum.* (relata in codice Gregoriano *tit. de amissis, vel debitori redditis &c.* ex quo Franci hanc habere potuerunt) & a sequentibus imperatoribus confirmatum, tacito populi consensu longa consuetudine inueterato (vt loquitur VLPIANVS *in fragmentis*) aut ex interpretatione & auctoritate prudentum introductum fuisset; qualia sunt interdictio ciuilium officiorum mulieribus *l. 12. §. 2. de iudic.* prohibitio donationum inter coniuges *l. 1. de donat. inter vir. & vxor.* & alia pleraque, quae moribus recepta fuisse, nemo negat.

X. Sed cum nullum huius rei vestigium exstet in iure ciuili, cogor discedere ab opinione tanti viri: & nihil certi statuendo, sed coniecturis tantum vtendo, dicere, auctorem huius formulae his verbis, *ratio iuris deposcit*, intelligere voluisse, probationem hanc introductam fuisse legibus Romanis: qua de caussa ponitur quoque ab autore formular. sec. leg. Rom. *formula 27. & 28.* vbi notandum est, consuetudinem & legem coniungi: his vero, *mos nobilium Romanorum adsueuit*, significasse formam huius *praecepti de chartis concrematis*, vt loquitur FLODOARDVS, moris Francorum fuisse (vt ipsemet laudatus vir agnoscit) quos auctor huius formulae *nobiles Romanos* vocat, ob rationes, quas supra attigimus: & ita distinguit ius nempe Romanum a more Francorum.

XI. Coniecturam meam firmat: primo, quod haec formula loquitur tantum de Francis, non de Romanis, his verbis; *si comes vel reliqui Franci*, &c. Secundo, quia vsus auctorum harum formularum est, vt dum de lege Romana & Salica, vel aliorum populorum loquuntur, illam semper vocare soleant *legem Romanam* vel *ius*: has vero *morem & consuetudinem*, vt obseruat quoque dictus summus vir. Tertio, quia formula relationis hac de re expresse a MARCVLPHO posita *lib. 1. c. 34.* & auctor huius formulae 46. in explicatione chartae relationis istius,

vtun-

vtuntur, hac voce barbara, *apennis*. Deinde quia Franci & Galli, qui sub lege Romana viuebant, sub nomine Romanorum comprehendebantur, & vocabantur nobiles Romani, sicut eo tempore, quo omnes populi ditioni Francorum subditi erant, Franci dicti sunt, nempe tempore Caroli M. vt testantur GOTFRIDVS VITERBIENSIS & MONACHVS SANGALLENSIS, & omnes tam Romanos, quam Gallos, & reliquos populos nobiles Francos vocatos, inuenimus. Lemma capitularium CAROLI M. *Incipiunt capitula regum & episcoporum, maximeque omnium nobilium Francorum*, capitularia enim pro his omnibus statuta sunt.

XII. Lex autem Salica, mos & consuetudo dicta est; quia initio scripta non fuit. Si enim apud maiores nostros Gallos, ad doctrinam promptos, teste STRABONE, Druidum disciplinam (penes quos religio & leges) fas non erat litteris mandare, quocirca Lucanus, ritus & mores Druidum dixit: quanto magis consentaneum est Francos in quibusdam legis suae capitulis litteris & scriptione vsos non fuisse: & quamuis postea scripta fuerit, idem tamen nomen retinuit. *In instrumento chartarii S. Dionysii* relato *in dicto tractatu Gallico contra Franc. allod.* anni 1254. *secundum consuetudinem & vsum Franciae conuenire intendat, quod facere non potest secundum ius Romanum, quod in Italia seruatur;* vbi *ius Romanum* opponit *consuetudini Franciae. In eodem* quoque *titulo, lex Longobarda,* quamuis in scriptis redacta, vocatur *consuetudo,* & in diuersis actis chartularii Casaurienſis, *ritus gentis Longobardae, & ritus legis Longobardae,* sicut HORATIVS *4. Odarum* dixit:

Mos & lex maculosum edomuit nefas,

Et eodem modo, quo consuetudines & mores Galliae nostrae, etsi litteris consignatae sint ante centum annos ad probationem ex illis in scriptis eliciendas, non amiserunt nomen antiquum; & prouinciae, quae his vtuntur, *consuetudinariae* vocantur, appositе ad exprimendam longum morum suorum vsum: *Morem*, enim ait VARRO apud MACROBIVM *l. 3. c. 8. saturnal. sequi debet consuetudo*, i. e. cultus moris: vnde proprie VIRGILIVS:

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus vrbes
Albanae coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit.

XIII. Ceterum praestat integrum EGINHARTI locum discutere, & ostendere illum manifeste conuenire intellectui nostro: *Post susceptum imperiale nomen*, ait, *cum aduerteret Carolus, multa legibus populi sui deesse: (nam Franci duas habent leges pluribus in locis valde diuersas) cogitauit, quae deerant addere, & discrepantia vnire, praua quoque ac perperam prolata corrigere, sed in iis nihil aliud ab eo factum est, quam quod pauca capitula & ea imperfecta legibus addidit.* Perspicuum enim est Carolum M. pauca capitula legi Salicae & Longobardae addidisse: constat enim ex SIGEBERTO, *Carolum imperatorem per omne imperium suum legatos ad faciendum iudicium cunctis direxisse & legis capitula 23. vel 24. constituisse*, diuerse enim legitur: Verisimile autem est Sigebertum indicare capitula, quae in fine legis Salicae a Carolo M. addita habemus, etsi non omnia, nec eodem ordine digesta, sed quae naufragium litterarum euadere potuerunt. Vult enim Sigebertus hoc Carolum M. statuisse anno 802. *post susceptum imperiale nomen* ait EGINHARTVS, nempe anno superiori 801. Rationem vero, cur *capitula legis* ea vocet Sigebertus, peti debet ab eodem Carolo M. *lib. 3. legis Longobard. sub finem*: *Generaliter*, inquit, *omnes admonemus, vt capitula, quae praeterito anno legi sólitae cum omni consensu addenda esse censuimus, iam nou vlterius capitula, sed tantum leges dicantur, imo pro lege Salica teneantur:* vbi obiter aduertendum est, sub Carolo M. legem Salicam vnicam tantum fuisse, non duas: nam quod dicitur de legibus, id de singulis legis Salicae titulis intelligendum est.

XIV. De lege vero Longobarda certius est: quasdam enim Caroli M. constitutiones habemus insertas legi Longobardorum, quas simul collegit NICOLAVS BOHERII in prima editione dictae legis. Sed dicis, esto, hoc verum sit de lege Salica & Longobardorum, quomodo potuit Carolus M. addere, quae deerant legi Romanae? Respondeo haec esse iura feudalia, quorum nullus vsus apud Romanos, & quae a Francis originem habuisse, & inde ad reliquas nationes manasse, constans doctorum opinio est. Deinde seueritatem legum Romanarum temperauit, vt patet ex pluribus locis, sed maxime ex *c. 214. lib. 6. capitular.* vbi mitigatur poena sacrilegii constituta a IVSTINIANO *in l. si ecclesia. C. de episcop. & cleric.* quam leniorem legem Caroli M. obseruandam & in fine codicis legis mundanae (i. e. codicis Theodosiani) scribendam praecipit Ioannes VIII. in concilio Tricassino apud IVONEM

part.

part. 3. c. 98. Multas quoque constitutiones ecclesiasticas addidit iis, quae a Romanis imperatoribus editae fuerant. Ideo patres concilii Meldensis anni 845. can. 78. statuunt, *vt capitula ecclesiastica a Domno Carolo M. imperatore promulgata obnoxie seruarentur, sicut & legalia obseruanda esse noscuntur.*

XV. Denique Carolum M. multa edicta supra ius Romanum fecisse, quibus illud auxit, suppleuit, & immutauit, constat ex capitularibus Caroli Calui, ex epistolis IVONIS, *ex dicto can. in memoriam. 19. dist.* & ex ipsa compilatione Ansegisi & Benedicti; quamuis Eginhartus dicat, pauca capitula eum addidisse, quia pleraque illum latere poterant, vtpote facta super negotiis emergentibus, sicut nunc fiunt pleraeque ordinationes regiae, & nondum in vnum corpus digestae: ANSEGISVS enim anno tantum Christi 827. 14. post Carol. M. obitum ea compilare coepit, & aliquot post annis BENEDICTVS *in diuersis sparsim scripta membranulis, in diuersis schedulis* aiunt in praefationibus compilationum suarum: quae non ita cognitae erant, quin a plerisque primae notae viris ignorarentur, vel vt imperfecta negligerentur; quam ob rem Carolus Caluus in capitulis Siluatici scriptis post compilationes Ansegisi & Benedicti anno 853. hanc constitutionem edidit: *capitula aui & patris nostri, qui ex missis nostris non habuerint, & eis indiguerint, vt commissa per illa corrigere possint, sicut & in iisdem capitulis habetur, de scrinio nostro, vel a cancellario nostro accipiant.*

XVI. Sed ridiculum est, Eginhartum pleraque Caroli magni edicta ignorasse, qui illius gener & cancellarius fuit. Ideo dicendum videtur, Eginhartum vitam Caroli magni scripsisse, quando monachus Benedictinus & primus abbas Salingestadiensis factus est, postquam deseruit seculi negotia, vel potius eum dixisse, pauca fuisse Caroli M. edicta, prae iis, quae addere decreuerat legibus populi sui, vel prae multitudine legum Romanarum. Sunt & quaedam additiones Caroli M. ad legem Baiuuariorum, sed parui momenti.

XVII. Ex his ergo, quae adduximus forsan nimis prolixe ad stabiliendam sententiam nostram, manifestum est, vnam tantum legem Salicam fuisse; veterem illam nempe, quae postea aucta fuit diuersis temporibus a Clodoueo & aliis regibus. Nec quicquam facit contra argumentum, quod sumunt viri docti, ex eo, quod in legibus Salicis fiat

mentio legis Romanae. Quidni? Est enim in confesso, omnes leges Wisigothorum, Saxonum, Ripuariorum, Baiuuariorum, Frisionum ex parte compactas fuisse ex legibus Romanis, maxime populorum, qui a Francorum regibus deuicti fuerunt, & quibus leges dederunt.

XVIII. Non negamus tamen, quin lex Salica a collectoribus magnam mutationem passa sit. Id colligitur ex eo, quod in pluribus locis lex Salica nominetur eo tempore, quo scripta non erat, vt in *tit. 52. c. 2.* legis Salicae & in decreto Childeberti regis *c. 16. de Chrenechruda lex, quam paganorum tempore obseruabant*, & in conclusione dicti decreti: *explicium legis Salicae libri tres, quam Clodoueus rex Francorum statuit.* Ex quibus probatur, hanc legem Salicam, quae apud nos est, maxima ex parte a veteri discrepasse (vt supra diximus de lege Gothica) cuius deinde titulos vsque ad septuaginta octo Childebertus perduxit: postea sequuntur capitula addita a Clotario, Carolo M. & Ludouico, qui in conuentu Villae Theodonis, non amplius capitula vocari voluit, sed legem; *Vt lex*, inquit, *diceretur.* Non inde tamen sequi diuersas fuisse Salicas, satis superque probauimus.

CAPVT VIII.

IVS CIVILE SEMPER OBSERVATVM IN GALLIA.

I. Ius ciuile in Gallia semper viguisse, multis probat doctissimus professor nostrae academiae Tolosanae data opera *in tractatu MSS.* supra citato, & nos *in superioribus capitibus.* Fundamentum huius rei producemus hoc loco ex autoritate integra AGATHIAE *lib. 1. de rebus Iustiniani*, qui Francos leges Romanas in contractibus, matrimoniis, & rebus ecclesiasticis seruare scribit: ἀλλὰ καὶ πολιτεία ὡς τὰ πολλὰ χρῶνται Ρωμαϊκῇ, καὶ νόμοις τοῖς αὐτοῖς, καὶ τὰ ἄλλα ὁμοιῶς ἀμφὶ τε τὰ συμβόλαια, καὶ γάμους, καὶ τὴν τῆ θείᾳ θεραπείαν νομίζουσιν. Quodsi quando aliquatenus defeciisse videtur, id reor tribuendum iis, qui responsa pru-

den-

dentum respuebant, vti plena ambagibus & difficultatibus, quae iuuentutis ingenia nimium illis torquere videbantur.

II. Tandem iuris ciuilis docendi facultatem tempore Lotharii & Wernerii veteris ICti passim, non solum in Italia, sed etiam in Gallia datam fuisse a Ludouico grosso, & deinde a Philippo Augusto docet RIGORDVS. Exinde multa priuilegia academiis a sequentibus regibus concessa fuerunt, non quidem professoribus iuris ciuilis Lutetiae, propter decretum HONORII. III. *in cap. super specula. de priuilegiis*, qui vt iuri canon. autoritatem praeberet, ius ciuile legi vetuit, in futurum cauendo, non vsum abrogando.

III. Probabile enim est ius ciuile nunquam lectum fuisse Parisiis, ob reuerentiam vrbis regiae, vtpote quae sedes regum & caput regni effecta est a Clodoueo, anno 507. post deuictum Alaricum, quod innuere videtur HONORIVS *in dicto capite super specula*, dum dicit tantum se prohibere facultatem docendi & legendi ius ciuile Parisiis; nam si antea ibi lectum fuisset, expresse vetasset, ne deinceps ibi legeretur.

IV. Nihilominus post dictam Honorii constitutionem, ne omnino ius Romanum euanesceret, Aureliae instituta fuit academia iuris ciuilis, & in aliis vrbibus, sed priuilegia earum a regibus confirmata, curia Parisiensis rata habet sub hac moderatione, reges non intelligere, vt ius ciuile Romanum autoritatem legis habeat.

V. Inde fluxit haec consuetudo, vt quando regnicolae opus habent remedio aliquo extraordinario aequiter introducto a legibus Romanis, iudices (etiam in prouinciis, quae reguntur iure scripto) non possunt ex officio suo illud decernere, sed recurrendum est a litigantibus ad principis cancellariam, vt hoc remedium, quod in legibus Francicis non inuenitur, sed tantum in Romanis, auspiciis regiis adhibeatur.

VI. Sic obseruatur in restitutionibus in integrum super aetatis praeiudicio, super laesione vltra dimidium iusti pretii, super dolo aut fraude, super beneficio senatusconsulti Velleiani, super beneficio aetatis, quando permittitur minori viginti quinque annis & maiori viginti administratio bonorum suorum, & cretio vel aditio hereditatis alicuius sub beneficio recognitionis bonorum ipsius. Quodsi restitutio in integrum petitur in vim alicuius consuetudinis aut constitutionis regiae, litterae

cancel-

cancellariae non sunt necessariae, puta, si agitur de nullitate contractuum vsurariorum, contractuum cum vxoribus sine auctoritate maritorum, donationum pupillorum erga tutores & similium, vt prudenter obseruat GVIDO COQVILLE *in historia Niuernensi: Franci ergo* (vt eleganter ait P. PITHOEVS *in praefat. ad fragmenta ICtorum,*) *Romanarum legum maiestatem sic comiter obseruant, vt tamen illis nihil in eos licere patiantur, nisi quod earum rationi & aequitati, non auctoritati & sanctioni concedunt.*

FINIS.

IN-

INDEX I.

CAPITVM ET ARGVMENTORVM, QVAE IN HIS QVINQVE OBSERVATIONVM IVRIS CANONICI LIBRIS PERTRACTANTVR.

LIBER PRIMVS.

CAP. I. *Crimen falsi quomodo sit capitale. Cap.* ad audientiam *explicatum, extra*, de crimine falsi, *cap.* nouimus, de verborum significatione. & *cap.* 2. de clerico excommunicato. p. 3

Cap. II. Bulla dimidia. p. 5

Cap. III. Taleae, Intertaleare, Taille p. 5

Cap. IV. De maledicis. p. 6

Cap. V. Spalla, frisinga. p. 7

Cap. VI. Poenitentium poena & locus. Acroasis. Ferula. Scalae. p. 8

Cap. VII. De legatis sedis apostolicae, & pallio. p. 9

Cap. VIII. Panis intinctus, embamma, ὑγρον, ὀξυβαφιον, σκευάζον. p. 10

Cap. IX. Scotatio. p. 11

Cap. X. De Pallio. Ciuitas. Paroecia. Dioeceſis. p. 13

Cap. XI. Crucis praelatio. De nomine patriarchae, & apostolici. p. 15

Cap. XII. Ordinatio quibus competat. p. 16

Cap. XIII. Episcopi Scoti. Vacantes, sine sede, locales, μονοικία, σκότος. *Vacantiui. Scholastici. Sarabaitae. Synedria Iudaeorum.* p. 17

Cap. XIV. Rescriptorum honor, sacrae litterae. Labrata. Osculum. Ador. Adorare. p. 19

Cap. XV. Ephesinus legislator quis, praescriptionis auctor. p. 21

Cap. XVI. Bannus Christianitatis. Francilis. p. 23

Cap. XVII. Qui fratres, qui filii Papae Chariſſimi. Consobrini in literis. p. 24

Cap. XVIII. Testes Synodales. Serui publici. Classici testes. Synodi publicae & priuatae. p. 25

Cap. XIX. Memorialis cuculla. Memoriale Sabbathum. Memorialis corona. Monachorum rasio. Clericorum tonsura. Παπαλήθρα, λιγρον, ῥάσος. ῥάκος. *Vestis monastica.* p. 26

LIBER SECVNDVS.

Cap. I. Authenticum instrumentum, exemplar. p. 29

Cap. II. Iudices electitii, edititii, ordinarii. Quomodo ab his appelletur. p. 30

Cap. III. De episcopo citato ad synodum, & de appellationibus transmarinis, explicatur cap. 1. de iudiciis. p. 31

Cap. IV. Forum ecclesiae. Capella. Claustrum. p. 33

Cap. V. De Carceribus ecclesiae. p. 34

Cap. VI. Litterae formatae. Notae, Syllabae. Notaria. Elegia. Relationes criminum. Signa. p. 35

Cap. VII. Syllabarius. Phonascus, edomitor vocis. Tertulliani locus elucidatur. p. 37

Cap. VIII. De appellationibus omisso medio ab archidiacono. cap. Romana. de appellat. *in* 6. *explicatur.* p. 38

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0357
DFG

Cap. IX. Porprisum. Porprindere. Prisium. Prisio. Praesalia & Repraesalia. Vestitura p. 40
Cap. X. Manus in iuramentis. Ius manus mortuae. Conditionales coloni. Agrorum conditores. p. 40
Cap. XI. Trabale iudicium. Clauus. Pagina decretalis. Edictum peremptorium. Synodale. p. 43
Cap. XII. Breuiarium. Calendarium. Breue. Logarium. Officium ecclesiae. p. 44
Cap. XIII. Praebenda. Pittacium. Sportulae. Album. Exhibitio. Α'δέλφαλα. σιτηρέσιον χαριστικὴ. *Plaga. Plagula. Maltha. Cerussa.* p. 45
Cap. XIV. Canon vltimus concilii Sardicensis explicatus. Episcopi ἐν καναλίῳ. *Viae publicae, Canales publici. Canalis* ἀπλῶς. *Canalis cum adiectione. Strata vetus. Stratae simpliciter. Ciuitates* παράδειι. *Peruiae. Propontis canalis Byzantinus. Aluei maris canales. Fori stationes. Lacus. Tines.* Tine, Tertull. *locus de pallio discussus.* Αγο, ρὰ *duplex.* Αγορὰ ἐλευθέρα. Canaille. *Canis gestatio. Sellae gestatio. Ostentatores meri.* p. 47
Cap. XV. De bullis, annotationibus, subscriptionibus Pontificum. p. 51
Cap. XVI. Relatio. Ius relationis multiplex. p. 52

LIBER TERTIVS.

Cap. I. Cyliſtrae. Mores Graecorum in promouendis candidatis. Pallium sophisticum. Iuris antistites. p. 55
Cap. II. Character, Charaxatura. Can. 104 Cresconii *elucidatus, cruces facere. Album.* p. 57
Cap. III. De praesanctificatis. Missa perfecta. Communio perfecta. p. 58
Cap. IV. Quid sit perfecta sententia, perfecta synodus. Differentia inter papae & patriarchae nomen. Quis proprie papa dicatur. p. 59
Cap. V. Roga, congiarium. Canisicia. Salaria. Baia. Hypatia. Baies. p. 62
Cap. VI. De incenso & suffitu. p. 64
Cap. VII. De aera Diocletiani. Anno gratiae. Quando rescriptis annus Christi subscribi coepit. Annus misericordiae. Annus martyrum. p. 65
Cap. VIII. De compensis, & compensationibus. p. 67
Cap. IX. Horae praeteritae. Synaxis praeterita. Concilii Epanon. Can. 20. elucidatur. Horae indecentes. p. 69
Cap. X. De horis meridianis & vespertinis. De die naturali & ciuili. p. 70

LIBER QVARTVS.

Cap. I. Ad cap. secundum, & cap. vndecimum de temporibus ordinationum. p. 62
Cap. II. Pulsatores. Pulsatorium. Exequiales. p. 76
Cap. III. Frumentum aeneum. Lex vnica, Cod. Theodosiani, de frumento Carthaginensi. *Aereae tabulae. Milites aerei.* p. 77
Cap. IV. Panis mundus, arctus, pessimus, sordidus. Aqua munda. p. 79
Cap. V. De libra occidua. Asse. Marcellini papae accusatione. p. 80

LIBER QVINTVS.

Continens tractatum de lege Romana in Gallia.

Cap. I. De Codice Theodosiano. p. 86
Cap. II. De codice Theodosiano, sub regno Gothorum, & de Legibus Gothorum. p. 87
Cap. III. De mutatione regni, & legum Gothorum. p. 90
Cap. IV. De causa naufragii, & interitu legum Romanarum. p. 91
Cap. V. De restitutione legum Romanarum p. 95
Cap. VI. De lege Salica. p. 98
Cap. VII. De praesumta diuersitate legis Salicae. p. 102
Cap. VIII. Ius ciuile semper obseruatum in Gallia. p. 110

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0358
DFG

INDEX II.

RERVM ET VERBORVM,

QVAE HIS QVINQVE LIBRIS

OBSERVATIONVM IVRIS CANONICI

CONTINENTVR.

PRIMVS NVMERVS LIBRVM, ALTER CAPVT, TERTIVS PAGINAM INDICAT.

A.

Abecedarius II. 7 . 37
Academiarum priuilegia V. 8 . 111
Acroasis I. 6 . 89
Accursius Tolosae docuit V. 5 . 97
Adelphata II. 13 . 45
Adorare quid I. 14 . 20
Aera Diocletiani III. 7 . 66
Aera Alexandri III. 7 . 67
Aerarii milites IV. 3 . 78
Aethiopum annus III. 7 . 67
Africa sed. Rom. deuota II. 3 . 33
Agrorum conditores II. 10 . 42
Album pittacium II. 13 . 46
Altaribus donatio fiebat I. 9 . 12
Anclabeo edictum Longobardorum V. 3. 91
Ἀνδρολήψια, clarigatio II. 9 . 40
Annona munda IV. 4 . 79
Annotatio bulla II. 15 . 51
Annus gratiae martyrum, misericordiae III. 7 . 66
Annus Christi, quando numeratus III. 7 66
Annus Iulianus III. 7 . 67
Ἀπόκαρσις, ἀποκόπα, rasio I. 19 . 27
Appellatio a persona, de la mine du Iuge II. 2 . 30
Appellatio omisso medio II. 8 . 38
Aquileia dicta Roma V. 6 . 100
Archidiaconus an medius episcopi II. 8. 39
Arelas Roma V. 6 . 100
Assertio libertatis III. 1 . 55
Auditionis locus I. 6 . 8
Aue, salutatio in litteris I. 17 . 25
Authenticum instrumentum II. 1 . 29
Azymitae sacerdotes IV. 1 . 73

B.

Baiae III. 5 . 63
Banni definitio I. 16 . 23
Bannitum ieiunium I. 16 . 23
Bannus Christianitatis I. 16 . 23
Bannus Dei I. 16 . 23
Bannus episcopalis I. 16 . 23
Bannus francilis I. 16 . 24
Bannus regius I. 16 . 24
Basilica a quo edita V. 5 . 96
Bellagines dictae leges Longobardorum V. 3 . 91
Bilanx IV. 5 . 82
Breuiarium, breue II. 12. . 44
Bulla aurea, plumbea II. 15 . 51. & 52
Bulla dimidia I. 2 . 5
Byssacena prouincia II. 3 . 32

C.

Caesarianus quis I. 15 . 23
Calceamentum vetus, pictacium II. 13 46
Calendarium II. 12 . 44
Campanarum pulsatio IV. 2 . 76
Camus, citre IV. 4 . 79
Canales fisci II. 14 . 47
Canalium adoratio II. 14 . 49
Canalicolae, la Canaille II. 14. . 49 & 50
Canalis II. 14 . 47
Cancellaria regis Franciae II. 5 . 34
Candidatorum creatio III. 1 . 55
Canis nominatio, opprobrium II. 14 . 50
Canisia III. 5 . 62
Cantor, praecentor II 7 . 37
Canum gestatio, probrosa II 14 . 50
Capella Tolosana II. 4 . 34
Capellae martyrum II. 4 . 34
Capitalis poena falsi I. 1 . 4
Capitulum vocatur a papa filius I. 17 . 25
Cap. Romana de appel. in 6to II. 8 . 38
Capitula Caroli M. dicta capitula regis V. 7 . 105

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0359
DFG

Capitulorum editio V. 7 . 108
Capua Roma dicta V. 6 . 100
Carceres ecclesiae II. 5 . 34
Carolus M. an legem Rom. abolere voluerit V. 4 . 94
Carolus M. iudicandi munus committit V. 7 . 108
Carthago dicta Roma V. 6 . 100
Cathaloniae constitutiones V. 6 . 101
Causam conscisscere III. 10 . 71
χαρισμὴ II. 13 . 46
Charta redemptionalis II. 10 . 42
Carthaginensis synodus generalis Africae II. 3 . 32
Christianitatis bannus I. 10 . 23
Centenarius seruus IV. 5 . 80
Centenarius numerus IV. 5 . 80
Cerussa II. 13 . 47
Cinctorium I. 19 . 28
Circulus I. 19 . 28
Citre IV. 4 . 79
Citatio episcopi coram synodo II. 3 . 31
Ciuitatis species triplex I. 10 . 14
Clarigatio quid II. 9 . 40
Classicus testis I. 18 . 26
Claustrum II. 4 . 34
Clauus imperii II. 11 . 43
Clodoueus auxit LL. Salicas V. 7 . 103
Codex Theodosianus V. 1 . 86
Coena duplex veterum I. 8 . 10
Compensos facere III. 8 . 67
Communio sub vtraque specie I. 8 . 10
Comus archiepisc. Alexandrinus III. 7 . 67
Condita, pagus, villa II. 10 . 43
Conditionales distincti a seruis II. 10 . 42
Conditores agrorum II. 10 . 42
Congiarium III. 5 . 62
Conradus LL. Salicas auxit V. 3 . 91
Conscisscere III. 10 . 71
Consilium aureum II. 15 . 52
Consobrinus in litteris quis I. 17 . 25
Constantinopolit. concil. sub Copronymo IV. 1 . 74
Corporalis poena, an dicatur capitalis I. 1 . 4
Cruces in agris ponere an licitum III. 8 68
Crucis ferendae ius I. 11 . 15
Cuculla memorialis I. 19 . 26
Κύριον ordinarium II. 2 . 31
Cylistra III. 1 . 55
S. Cyrillus orbis iudex delegatus III. 4 . 61
Cyprus aerosa IV. 3 . 78

D.

Daemones fugiunt incensum III. 6 . 65
Daniel accepit incensum, cur III. 6 . 64
Decanica, carcer ecclesiae II. 5 . 34
Decretalis pagina II. 11 . 43
Decretorii dies II. 11 . 44
Decretum Childeberti regis V. 7 . 110
Denarius Petri I. 9 . 13
Desertoris monachi poena I. 19 . 27
Detractio de summo pontifice I. 4 . 6
Dextera manus II. 10 . 41
Dexterae amissio in poenam II. 10 . 41
Dies ieiunatorii IV. 1 . 72
Dies decretorii II. 11 . 44
Dii domestici III. 8 . 68
Diocletiani aera III. 7 . 66
Dioecesis vox I. 10 . 15
Diplomata varii generis II. 15 . 51
Diplomatum falsator I. 1 . 3
Diuinatio per mensam III. 8 . 68
Doctores, qui Tolosae docuerunt V. 5 . 97
Donatio per cultellum I. 9 . 12
Donationis formulae I. 9 . 12
Donantes ecclesiae coronam gestabant I. 19 . 27
Donatiuum II. 13 . 46
Drachma IV. 5 . 81
Druidae V. 7 . 107
Duodecimus numerus perfectus IV. 5 . 81

E.

Ecclesiae forum II. 4 . 33
Edictum peremtorium II. 11 . 43
Edictum Anclabeo dictum V. 3 . 91
Edititius iudex II. 12 . 30
Eginharti locus de lege Salica V. 7 . 108
Electitius iudex II. 11 . 30
Elementarius puerorum magister II. 7 . 57
Elogium II. 6 . 6
Embamma I. 8 . 11
Encautum II. 15 . 51
Ἐνώδινον δικαστήριον II. 2 . 31
Eparchici libri V. 5 . 97
Ephesinus legislator I. 15 . 21
Episcopi Latini & Graeci in eadem dioecesi IV. 1 . 72
Episcopus vacans I. 13 . 18
Episcopus vicarius alterius episcopi IV. 1 . 74
Episcopus, an teneatur respondere coram synodo II. 3 . 31
Euarix rex Gothorum V. 1 . 86
Examinatio, pulsatio ad religionis ingressum IV. 2 . 77
Exemplar II. 1 . 29
Exequiales qui IV. 2 . 76
Exhibitio II. 13 . 45

F.

Falsator diplomatum I. 1 . 3
Falsi poena I. 1 . 3
Ferula poenitentium I. 6 . 8
Ferulae varia significatio I. 6 . 8

Feu-

Feudum beneficium II. 10 . 42
Feudalium iurium vsus sub Carolo M. V. 7 . 108
Filii papae I. 17 . 24
Foeminarum consortia prohibita clericis III. 10 . 71
Fores pulsare, obedientiae signum IV. 2 77
Fori significatio, ecclesiae II. 4 . 38
Fori canales II. 14 . 49
Fratres papae qui I. 17 . 24
Francorum magnanimitas & pietas V. 6 . 99
Francilis bannus I. 16 . 24
Francia orient. & occident. V. 6 . 100
Franci Salici V. 7 . 105
Frisinga; I. 5 . 7
Frumentum aeneum IV. 3 . 78
Frumentaria tessera IV. 3 . 78

G.

Gallorum & Francorum nomen confusum V. 6 . 100
Glutinatio librorum II. 13 . 46
Gothorum regni mutatio V. 3 . 90
Gundebaldus Burgundiae rex V. 2 . 83

H.

Heduor. ciuitas, Rom. Celtic. V. 6 . 100
Heres pulsando fores ius acquirit II. 10 42
Hora pomeridiana III. 10 . 71
Hora suspecta III. 10 . 71
Hora liturgia III. 10 . 70
Hora meridiana III. 10 . 70
Horae praeteritae quid III. 9 . 69
Hypatia III. 5 . 62

I.

Ieiunium bannitum I. 16 . 23
Imperatorum osculum I. 14 . 19
Incensum III. 6 . 64
Incestae nuptiae V. 6 . 99
Insanus, inuinctus, incautus I. 8 . 11
Intertaleare quid I. 3 . 6
Intinctus panis I. 8 . 11
Instrumentum authenticum II. 1 . 29
Iudae buccella I. 8 . 10
Iudex edititius, electitius, ordinarius II. 2 . 30
Iudici saeculari tradere, quid sit, I. 1 . 4
Iudicium synodale II. 11 . 43
Iulii Caesaris annus III. 7 . 67
Iuramentum clerici & laici distinctum II. 10 . 41
Iuris docendi facultas in Gall. V. 8 . 111
Ius scriptum diuersorum V. 7 . 110
Ius manus mortuae II. 10. . 41
Ius ciuile in Gallia V. 8 . 110

L.

Labrata I. 14 . 19
Lacus Lucrinus II. 14 . 49
Latinorum & Graecorum differens ordinatio IV. 1 . 72
Lectoris ordinatio IV. 1 . 75
Legationis ius in pallio I. 7 . 9
Leges aliorum ex lege Romana compactae V. 7 . 110
Legis Rom. restitutio V. 5 . 96
Legis Gothicae mutatio V. 3 . 91
Legis Roman. interitus, odiosa quibus V. 4 . 91
Legis Gothicae defectus V. 6 . 101
Legis Salicae sterilitas & varietas V. 6 . 101
Legislator Theodosianus I. 15 . 22
Leo sapiens tollere voluit ius Romanum V. 5 . 96
Lenis, alias tenis, tine II. 14 . 49
Leuuigildus rex Gothorum leges composuit V. 2 . 87
Lex Romana in vsu V. 7 . 105
Lex Rom. pro lege Visigothor. V. 6 . 101
Lex Sal. & Rom. quomodo obseruata V. 6 . 100
Lex Theodoriciana V. 1 87
Lex Visigothorum V. 4 . 94
Lex Longobardorum V. 3 . 91
Lex Francica praeualuit Rom. V. 6 . 100
Lex Salica vna sub Carolo M. V. 7 . 104
Lex Longobarda & Salica V. 7 . 104
Lex, mos, consuetudo V. 7 . 105
Libertatis assertio III. 1 . 55
Libertatis vindices Franci V. 6 . 99
Libra occidua orient. & occ. IV. 5 . 80
Librae reductio IV. 5 . 84
Libramentum IV. 5 . 82
Libri authentici & rationales II. 1 . 29
Libripens IV. 5 . 82
Librorum glutinatio II. 13 . 46
Linguae Romanae corruptio quando V. 2 89
Litterarum osculatio I. 14 . 19
Λίτρα, circulus, cinctorium I. 19 . 28
Λιτρον, ventilabrum I. 19 . 28
Λιτρόω, rado I. 19 . 28
Litre I. 19 . 28
Liure trebuchante IV. 5 . 84
Logarium II. 12 . 44
Longobardi quibus LL. vsi V. 4 . 92
Longobardi vnde egressi V. 3 . 90
Longobardor. irruptio in Ital. V. 3 . 90
Lotharius LL. Roman. restituit V. 5 . 95

M.

Magistratus differentia iure canonico & ciuili II. 2 . 31
Maiores, μείζονες I. 18 . 26

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0361
DFG

Maledicus quis I. 4 . 6
Malta & ceruſſa II. 13 . 47
Manus mortua II. 10 . 41
Manus impoſitio reparat defectum Graecorum. IV. 1 . 74
Marcellini papae accuſatio IV. 5 . 80
Martyrii annus numeratus III. 7 . 66
Mauritiana duplex II. 3 . 32
Memoriale ſabbatum I. 19 . 27
Memorialis corona I. 19 . 27
Memorialis cuculla I. 19 . 27
Menſas componere III. 8 . 67
Merca orum libri II. 1 . 29
Meridiare III. 9 . 69
Meridianae horae III. 10 . 70
Meri oſtentator II. 14 . 51
Miles claſſicus I. 18 . 26
Mina IV. 5 . 82
Miſſa duplex matutina & veſpertina III. 10 . 71
Modius aeneus IV. 3 . 78
Monachorum raſio I. 19 . 27
Monaſtica veſtis I. 19 . 28
Monachi tonſi ſoli I. 19 . 27
Monachi deſertoris poena I. 19 . 27
Monitores exequiales IV. 2 . 76
Monitio in ius vocatio IV. 2 . 76
Μοροικια I. 13 . 18

N.

Nobiles Romani V. 7 . 107
Notariae notae II. 6 . 36
Notaria inſtrumenta II. 13 . 47
Numerus centenarius IV. 5 . 80
Numidia II. 3 . 32

O.

Oblatio votorum III. 8 . 68
Oblationes in domibus priuatis vetitae III. 8 . 68
Occidua libra IV. 5 . 80
Officium eccleſiae varie diuiſum II. 12 . 44
Oracula bullae II. 15 . 52
Oratoria facere vetitum III. 8 . 68
Ordinarius iudex II 2 . 30
Ordinatio minorum ordinum apud Graecos IV. 1 . 75
Ordinationes Graecorum & Latinorum variae IV. 1 . 74
Ordinationis ius qui habeant I. 12 . 16
Ordinationis ritus & forma IV. 1 . 73
Ordinationis tempus varium IV. 1 . 72
Ordines minores IV. 1 . 75
Orientis & occidentis imperium diuiſum IV. 5 . 83
Oſculum datum reſcriptis I. 14 . 19
Oſtentator meri II. 14 . 51
Οὐσιάριοι I. 8 . 11

P.

Pagina decretalis II. 11 . 43
Pallii honor I. 7 . 9
Pallium ſophiſticum III. 1 . 56
Palmarum rami, loco Baior. III. 5 . 63
Panis intinctus I. 8 . 10
Panis mundus, arctus IV. 4 . 79
Παπαλήθρα I. 19 . 28
Pariſienſis academia V. 8 . 111
Paſchalis indictio I. 12 . 16
Patriarcha primas I. 10 11 . 15
Penſator librae IV. 5 . 82
Peremtorium edictum II. 11 . 43
Perſona, perſonare II. 10 . 42
Phonaſcus II. 7 . 37
φίλημα oſculum I. 14 . 20
Pittacium, pitance II. 13 . 45
Plaga II. 13 . 46
Plagula II. 13 . 46
Poena corporalis, an capital. ſit I. 1 . 4
Poenitentium locus & poena I. 6 . 8
Porticus I. 6 . 8
Poenitentes pulſabant fores eccleſiae IV. 2 . 77
Poenitentium panis IV. 4 . 79
Porci ſpalla I. 5 . 7
Praebenda II. 13 . 45
Praecentor II. 7 . 37
Praelatio crucis quib. competat I. 11 15
Praeſcript. autor Theodoſ. min. I. 15 . 21
Praeſalia II. 9 . 40
Priſium II. 9 . 40
Proceſſio Spir. S. Graec. infenſa IV. 1 . 74
Procurationis ius, ſpalla I. 5 . 7
Promotio differt ab ordinat. IV. 1 . 75
Propontidis canale II. 14 . 48
Prouinciarum diuiſio I. 10 . 14
Puerorum ſcholae II. 7 . 37
Pulſare, pro examinare IV. 2 . 77
Pulſatores qui IV. 2 . 76
Pulſatorium quid IV. 2 . 77
Pura veſtis IV. 4 . 79
Pyragium IV. 4 . 79

Q.

Quadra panis IV. 3 . 78
Quodvultdeus, epiſcopus Centurienſis II. 3 . 31

R.

Ράκος, lacera veſtis I. 19 . 28
Raſio monachorum I. 19 . 27
Ρασύφοροι I. 19 . 28
Rami palmarum donati populo III. 5 . 63
Rationales libri II. 1 . 29
Rauenna dicta Roma IV. 6 . 100
Redemtio voti III. 8 . 68

Redemtionalis charta II. 10 . 42
Relatio II. 16 . 52
Relationis ius multiplex II. 16 . 53
Religionem ingreſſuri pulſabantur IV. 1 77
Repraeſalia II. 9 . 40
Reſcripti honor I. 14 . 19
Roga III. 5 . 62
Romaine Libra IV. 5 . 82
Romiſcot denarius Petri I. 9 . 13
Romanor. nomen vſurpant Graeci IV. 1 73

S.

Sacrificium perfectum IV. 3 . 58
Sacrilegii poena lege Salica V. 7 . 108
Salica lex vnde dicta V. 6 . 98
Salici Franci V. 7 . 105
Salue, in litteris I. 17 . 25
Salutatio per oſculum I. 14 . 19
Scalae domus pauperum I. 6 . 8
Scatz quid I. 9 . 12
Scatzlegi I. 9 . 12
Scholae humiles dictae ſcalae I. 6 . 9
Scholae puerorum II. 7 . 37
Scholaſticus vacans I. 13 . 18
Σκευαζὸν I 8 . 11
Scotallum, collectio I. 9 . 13
Scotatio quid I. 9 . 13
Scoti epiſcopi I. 13 . 17
Scotica quid I. 9 . 12
Σκότιος vagus I. 13 . 18
Scotorum gens hoſpitalis I. 9 . 11
Scriptura rubra II. 15 . 51
Scultatio I. 9 . 12
Sedes apoſtolica III. 4 . 61
Serui publici II. 18 . 26
Seruorum & conditionalium differentia II. 10 . 42
Seruum eſſe & in ſeruitute eſſe differentia II. 10 . 42
Signa literarum II. 6 . 35
Sinueſſanum concilium IV. 5 . 80
Spallae tributum I. 5 . 7
Solido ſponſalia facta V. 7 . 105
Sors per ſurculos arborum I. 3 . 6
Sportula II. 13. III. 5 . 45 & 92
Sponſalia ſolido & denario V. 7 . 105
Stipendium quid IV. 3 . 78
Strata vetus II. 94 . 43
Sudor decretorius II. 11 . 44
Suffitus, ſuffitorium III. 6 . 64
Syllabae II. 6 . 36
Syllabarius II. 6 . 37
Synaxis praeterita III. 9 . 69
Synodus localis I. 18 . 26
Synodus publica & priuata I. 18 . 26
Synodus quando iudicat epiſcop. II. 3. 31

T.

Tabulae aeneae IV. 5 . 7
Talea taille I. 3 . 8
Theodoſius minor Epheſinus legislator I. 15 . 6
Tenis, vel tines, tine II. 14 . 22
Teſtis ſynodalis claſſicus I. 18 . 49
Thronus Romanus II. 4 . 25
Titulus aeneus IV. 3 . 78
Toloſae doctores IV. 5 . 97
Toloſana academia IV. 5 . 97
Tonſura monachorum I. 19 . 27
Torquere reos iudicis ſecularis I. 1 . 5
Trabale iudicium II. 11 . 43
Tripolis II. 3 . 32

V.

Vacantes vacantiui epiſcopi I. 13 . 18
Veſpertinae horae III. 10 . 70
Veſtis pura IV. 4 . 79
Veſtitura II. 10 . 40
Via militaris & publica II. 14 . 47
Vicarius epiſcopus alterius epiſc. IV. 1 74
Vini venditor II. 14 . 50
ὑγρὸν I. 8 . 11
Vncia IV. 5 . 81
Vocatio in ius quomodo IV. 2 . 76
Voti redemtio III. 8 . 68
Vſura centeſima IV. 5 . 80
Vultus oſculatio I. 14 . 19
Vuelhagen placitum V. 3 . 91
Vuernerius leges docet V. 5 . 96

Z.

Zythus IV. 4 . 79

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0363
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0367
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn817465219/phys_0370
DFG

dentum reſpuebant, vti plena ambagibus & difficultatibus, quae iuuentutis ingenia nimium illis torquere videbantur.

II. Tandem iuris ciuilis docendi facultatem tempore Lotharii & Wernerii veteris ICti paſſim, non ſolum in Italia, ſed etiam in Gallia datam fuiſſe a Ludouico groſſo, & deinde a Philippo Auguſto docet RIGORDVS. Exinde multa priuilegia academiis a ſequentibus re- concеſſa fuerunt, non quidem profeſſoribus iuris ciuilis Lutetiae, decretum HONORII. III. *in cap. ſuper ſpecula. de priuilegiis*, qui canon. autoritatem praeberet, ius ciuile legi vetuit, in futurum , non vſum abrogando.

. Probabile enim eſt ius ciuile nunquam lectum fuiſſe Pariſiis, rentiam vrbis regiae, vtpote quae ſedes regum & caput regni eſt a Clodoueo, anno 507. poſt deuictum Alaricum, quod inidetur HONORIVS *in dicto capite ſuper ſpecula*, dum dicit tantum ſe re facultatem docendi & legendi ius ciuile Pariſiis; nam ſi antea ibi fuiſſet, expreſſe vetaſſet, ne deinceps ibi legeretur.

. Nihilominus poſt dictam Honorii conſtitutionem, ne omnino nanum euaneſceret, Aureliae inſtituta fuit academia iuris ciuilis, is vrbibus, ſed priuilegia earum a regibus confirmata, curia Parata habet ſub hac moderatione, reges non intelligere, vt ius omanum autoritatem legis habeat.

Inde fluxit haec conſuetudo, vt quando regnicolae opus hamedio aliquo extraordinario aequiter introducto a legibus Romadices (etiam in prouinciis, quae reguntur iure ſcripto) non poſofficio ſuo illud decernere, ſed recurrendum eſt a litigantibus cipis cancellariam, vt hoc remedium, quod in legibus Francinuenitur, ſed tantum in Romanis, auſpiciis regiis adhibeatur.

I. Sic obſeruatur in reſtitutionibus in integrum ſuper aetatis prae, ſuper laeſione vltra dimidium iuſti pretii, ſuper dolo aut frauper beneficio ſenatusconſulti Velleiani, ſuper beneficio aetatis, permittitur minori viginti quinque annis & maiori viginti admi- bonorum ſuorum, & cretio vel aditio hereditatis alicuius ſub io recognitionis bonorum ipſius. Quodſi reſtitutio in integrum in vim alicuius conſuetudinis aut conſtitutionis regiae, litterae

cancel-